LITTERÆ ANNVÆ SOCIETATIS IESV EX PROVINCIA LVSITANA
Anni 1608.



HAbet Societas in hac Prouincia viginti circiter domicilia. Duas Professorum domos, Vlyssipone vnam, alteram Villauizosę: Collegia nouem; Vlyssiponense, Conimbricense, Eborense, Bracharense, Portuense, Briganti-num, Farense, Furelicalense, Angrense: Residentias sex; vnam in Sancti Michaelis Insula; alteram Amææ, vulgo Portalegrio; tertiam in Regno Angolæ; quartam ad Hesperidum Insulas, quintam Canalensem; sextam Sancti Felicis: præter hæc domum probationis inchoatam Vlyssipone, & Hibernorum seminatium in eadem vrbe. Socij sunt decem circiter supra septingentos; ex quibus initiati sacris ducenti decem; Addicti studijs bis centum triginta quinque, domesticarum rerum Curatores centum septuaginta quinque; Nouitij nonaginta. Decesserunt viginti quatuor; admissi in Societatem octo & quadraginta.

DOMVS PROFESSA VLYSSIPONENSIS.

GRauis hic annus & perniciosus nostris fuit, qui Vlyssiponẽsẽ Dñm incoluere. Plurimi grauiter



A morbis

morbis tẽtati, quatuor è vita migrarunt. Primus fuit Ludouicus Mendius, temporalis Coadiutor, vir in ſuo Ordine ſtrenuus, & annos natus ſexaginta quatuor, ex quibus apud nos egit ſex & quadraginta. Inerat viro viuax quædam in gerendis rebus feſtinatio, quæ tunc maximè enitebat, cum ex caritate & obediẽtia aliorum negotia ſuſceperat pertractanda. Eius obitus omnia Prouinciæ Collegia, ac domos in re familiari non mediocri damno affecit. Non tãtum noſtri, ſed etiam externorum multi, præſertim pauperes, miſeri, morbidi mœrore & lacrymis illius funus proſecuti ſunt, quantumque in rebus ad corpus & animum pertinentibus amiſerint vitæ ſuæ ſubſidium, voce & vultu apertè ſignificarunt. Semel & iterum cum debacchante peſte ex obedientia luctatus eſt; vix dici poteſt quanto cum fructu & exemplo. Cõtactos lue intrepidus adibat, colloquijs recreabat, conſilijs ad difficiliora accingebat. Interea rogitare quid vellent, præbere quod optarent; medica quibuſdam pharmaca porrigere, alijs putida ac fœtida vlcera faſcijs alligare, adeo nullum pietatis officium præterire, vt etiam cum opus eſſet, commeatus, onera, & ſarcinas ſuis humeris vectaret. Atque hæc foris geſta magis quidem miraretur, qui domi clauſum ſibi, & quod caput eſt, Deo aſsiduè vacantem perſpexiſſet. Ita erat orationi deditus, ita frequenter ſacris epulis reficiebatur, ita ſe verberibus acriter cędebat, vt ad temporalia munia credi poſſet ineptus, niſi rerum geſtarum experiẽtia aptiſsimum demonſtraret. Sacris omnibus ex Eccleſiaſtico ritu egregie communitus, vitæ præſentis curſum æterna quiete commuta-

mutauit. Secundus obiit Antonius Cardosus temporalis etiam Coadiutor, pari morum probitate, & virtutum laude clarus, septuagesimum quintum ætatis annum absoluerat, septé & quadraginta domesticis Societatis ministerijs impenderat. Illo ipso sacræ hebdomade die concessit ad mortuos, quo vindex hominum Christus discessit è viuis; vt qui, dum vixit, nullum omiserat pietatis officium, quo eximiè summum Parentem coleret, vltimo quoq; spiritu eidem morienti moriens ipse parentaret. Tertius naturæ debitum soluit Franciscus Pires, in rebus quoque temporalibus adiutor. Annos vixit sexaginta, Deo in Societate meruit tribus & quadraginta. Illud de hoc inter cætera memorabile, quòd cum ipsos viginti annos varijs semper morbis eius valetudo grauiter fuerit exercita, non modò impatientiæ signum nullum edidit, aut de solita virtute quidquam remisit, verum etiam ex diuturna patiendi consuetudine obducto sensibus callo pene ad prodigium obduruit. Plures abhinc annos fere semper lecto affixus, simulque podagræ, & chiragræ dolorib⁹ cruciatus, mortuo magis erat similis, quàm viuo. Exesa homini membra, exulcerata brachia, corrosæ tibiæ, totum corpus sanie taboque fluens, adeo in eo omnia profligata ac perdita, vt in tali receptaculo contineri animum posse, nemo vnquam adduceretur vt crederet, nisi videret. Quartus animam egit Ioannes Vanderuuius, patria Belga, officio temporalis adiutor. Vt comitaretur Patrem, qui Belgicis mercatoribus operam nauat, in Lusitaniam venit: neq; ignauus ipse, siue in auocandis ab errorum prauitate hæreticis,

ſiue in alliciendis ad veram pietatem Catholicis; quatuor enim annis, quibus fere apud nos fuit, multos ſuorum Chriſto lucrifecit. Ne morbo abſumeretur, nullum medicinæ remedium non tentatum; ſed caſſa opera. Hæc de mortuis. Venio ad viuos.

Sunt in hac domo Socij fere ſeptuaginta, bipartito in Sacerdotes & adiutores numero. Centum ſexaginta ex Anglia, Germania, Olandia, Zelandia, alijſque hæreſum receptaculis, in hanc Vrbem nauigijs appulſi, relictis errorum tenebris, Catholicæ veritatis ſplendore illuſtrati ſunt.

Vir nobilis Regij miniſtri faciem colapho deturpauit. Rem per ſe atrocem multo fecit atrociorem locus, & religione ſanctus, & populo confertus: impacta enim in templo alapa, atque in magna hominum frequentia. Ergo facinoris auctor foràs ſubito exit, nec domo tantum, ſed vrbe etiam excedit. Interim alius iniuriæ acerbitate ſtimulatus, atq; in vindictam promptus, aduerſariũ quærere; nunc furtim per inſidias, nunc vi aperta, & cum bene magna ſicariorum manu in biuijs ac triuijs omniq; loco venientem expectare; noctu in obuios quoſque falſa opinione erumpere, factioſis hominibus pecunia conductis vltionem committere; deniq; furenti ſimilis, vel potius verè furens, omnia permiſcere & perturbare. Effectum hac ratione nihil eſt. Tranſierant dies aliquot, cum is, qui læſit, negotij cauſa ſcapham conſcendit. Non procul à portu cooritur repente vehemens tempeſtas, qua turbatum mare ſcapham in partes duas mediã ſcindit, & expoſitos vndis vectores vorticoſo hiatu deuorat.

rat. Vnus tantum illatæ reus iniuriç, correpto nauigij fragmine, viuus supernatat, mergi dignus, nisi illũ, cæterapium, diuina seruasset bonitas eo periculo expiandum. Ecce misero homini cum fluctibus morteque luctanti, auxilio venit actuarium; in eo forte is vehitur, qui alapæ iniuriam acceperat. Hic vbi inimicum vidit, rei nouitate perculsus hæret ac stupet; dumque paululum subsistit, siue quia prior ille furentis animi tumor iam deferbuerat, siue quia præsens calamitas, etiam in hoste conspecta, commouere solet humanos animos, & ad commiserationem flectere, siue, quod verius crediderim, quia interiori motu Numinis inflatu, intellexit Christiani hominis esse, non modò iniurias non persequi, sed earum memoria deposita, illos beneficijs deuincire, à quibus sint acceptæ; alacer & intrepidus ad oram nauigij accurrit, hostem iam pene exanimatum, & quo sit in statu, à quoue liberetur, ignorantem, ad cymbã trahit, amplexu fouet, tandiuque sinu tenet, donec post horas aliquot restituitur membris calor, corpori vigor, animo sensus. Factus ille sui compos ac circumspiciens, hominem videt à se iniuria affectum, remedia sibi fomẽtaque ministrantem. Primum vix fieri credit, quod fit; deinde correptus timore haud fidit sibi; tandem hominis caritatem demiratus accidit ad genua, se vehementer incusat, beneficentissimum hostem miris effert laudibus, eique se, vitam suam, ac sua omnia debere libera voce profitetur. Cui ille: Ego, inquit, & impactum mihi colaphum, & quam ex eo apud homines ignominiam contraxi, & siquid amplius est, quod in me peccaris, Christi causa li-

bentiſsimè tibi condono. Iſtis dictis hominem familiariter amplectitur, & in portum ducit incolumem. Ille ab vtroque periculo ſumma Dei miſericordia liberatus, nihil ſibi prius faciendum duxit, quàm vt Sacerdotem noſtrum adiret, à quo re tota expoſita, & facta diligenti peccatorum confeſsione, ſalubriora vitæ monita acciperet.

COLLEGIVM VLYSSIPONENSE, Domus Probationis inchoata, & Seminarium Hibernicum.

IN Vlyſsiponenſi Collegio Socij ſunt plus minus ſeptuaginta: Sacerdotes tres & viginti, Magiſtri duodecim; vnus cõſcientiæ caſus, alter Philoſophiam, tertius Mathematica, octo humaniores literas docent; Auditores ſunt decem, reliqui domeſtica curant.

COLLEGIVM CONNIMBRICENSE cum Reſidentijs.

DEgunt Conimbricæ triginta aut quadraginta circiter ſupra ducẽtos, ex quibus octo & quadraginta ſacris ſunt initiati, nonaginta, partim docendo, partim diſcendo, literarum ſtudijs addicti, Adiutores reliqui. Venere hoc anno ad Societatem duodetriginta. Ad Superos decem euolarunt. Horum agmen duxit P. Chriſtophorus Ægidius Brigantinus. Agebat annum ætatis tertium & quinquageſimum, Societatis octauum & trigeſimum, quatuor votorum profeſsione adſtrictus. Perſuaſum nobis eſt, acceptum ſemel in ſacri

fontis

fontis lauacro diuinæ gratiæ donum, ad extremum vſque vitæ ſpiritum ſanctè incorrupteque ſeruaſſe; ea morum integritate, ea probitatis ac ſanctimoniæ laude, & nobiſcum in Societate per omnes ætatis gradus, & puer ante ingreſſum, tum in paterna domo, cum ſuis, tũ foris inter æquales ſemper excelluit. Caſtiſsimum Angelicæ virtutis florem non ſolum in oculis & delicijs habuit, atque ad mortem vſque illibatum ſeruauit; ſed etiam vt ab omnibus amaretur, vehementer optauit, & qua potuit ratione etiam contendit. Cum meditabatur diuina, vel ſecreta cum Deo colloquia miſcebat, vel auguſtiſsimum peragebat Miſſæ ſacrificium, ſæpius viſus eſt dulces ac faciles lacrymas effundere. Mira valuit dexteritate, ad profanos hominum ſermones abſq; vlla colloquentiũ nauſea, in cœleſtes cõmutandos. Non ſolum ferebat ægrè, ſed grauiter etiam indignabatur, ſiquis alienam famam vel maledico dẽte roderet, vel petulanter carperet, vel leuiter etiam vellicaret. Tum verò acerbiſsime ſtomachabatur, cum ſuperiorum perſtringebatur auctoritas, aut debita ipſis obſeruantia, vel minimo verbo lædi videbatur. Iudicio fuit perſpicaci, ingenio ad omnia promptiſsimo, tantum ſtudio & diligentia perfecit, vt earum literarum, quæ ſunt libero homine ac religioſo dignæ, euaſerit peritiſsimus. Rhetoricam & literas humaniores in Angrenſi & Conimbricenſi Collegio ſex aut ſeptem annos, quatuor in Conimbricenſi Philoſophiam, multò plures in Eborenſi & Conimbricenſi Academia Theologiam, ſumma cum ingenij laude, & doctrinæ opinione profeſſus eſt. Cum plurimis in rebus haud

dubiè magnus, vna animi demiſsione, ſuique ipſius deſpicientia fuit vere maximus. Idiotam putaret, & omnis ſcientiæ ignarum, qui hominem nõ agnoſceret, nec audiret de rebus literarijs differentem. Humilium Colloquijs & familiaritate libentiſsimè vtebatur. Cum aliena opera plurimi faceret, adeo ſua nihili pendebat, vt contemnenda crederet, qui vllam eius dictis haberet fidem. Multa de rebus Theologicis & magno iudicio, & ſingulari ſtudio, & exquiſito labore, fuerat commentatus. Et vt in lucem daret, adduci nulla ratione poterat, Sed vbi vi potius coactus, quàm prece inductus vulgare illa decreuit, non hominis vllius (quod fieri tamen non male conſueuit) ſed Christi Optimi Maximi patrocinium initio operis ſibi putauit conciliandum; vt qui non lenitate animi ad oſtentationem ingenij, non inanis gloriæ cupiditate, ad hominum plauſus rumoreſque captandos, ſed vnius Dei obſequio permotus, ad aliorum fructum & vtilitatem, commentationum ſuarum laborem referebat, ſolius Dei cauſa aut omnino, aut potiſsimum laboraſſe videretur. Morti proximus ardenter expetijt, vt quæcunque ſcripta vſpiam reperirentur, ignis paſtus fierent, quo ab hominum memoria funditus deleretur. Optauit inſuper, vt ea qua eſſet conſumendus, ægritudo acerbiſsimos afferret corpori cruciatus. Factus eſt voti compos, ſummiſq; membrorum doloribus confectus, vitam finijt. Eius exequiæ celebri totius Academiæ concurſu cohoneſtatæ ſunt. Poſt P. Ægidium elatus funere eſt Ludouicus Abreus patria Vouzela, quem Philoſophiæ ſtudio incũbentẽ funeſta phthiſis immatura morte præri-

prępipuit. Secutus eſt Petrus Figheredius, in eadem verſatus Philoſophiæ diſciplina, atque in iiſdem vitæ exordijs interceptus. Eius ad virtutem indoles omnium animos non mediocriter erexerat. Quarto loco migrauit è vita Paulus Marchius Vlyſiponenſis, ætate & virtute alijs duobus par. Quintus interijt Pater Ioannes Baptiſta etiam Vlyſiponenſis, formatus ſpiritualis Adiutor, & annis natus ſexaginta, ex quibus tres & quadraginta in Societate fructosè & laudabiliter conſumpſit. Sextus obijt P. Siluęſter Georgius ex oppido Batagliа, Coadiutor etiam ſpiritualis formatus. Ætatis annos confecit circiter nonaginta, Societati dedit ſeptem & quinquiginta. Hic illius Marci Georgij, quem inter prima huius Prouinciæ lumina Societas noſtra recęnſet, frater fuit & natura & morum probitate germanus. Excelluit architectandi arte, & pleraque huius Prouinciæ ædificia ſuo conſilio ac labore plurimùm iuuit. Animo fuit aperto & ſimplici, ac ſine vllo fuco ac fallacia, veritatis amante. Puerum Ieſum miro ſemper proſecutus eſt àmore, ſolitus etiam eius incunabula feſtiuis verſibus celebrare. Septimus deceſsit P. Aluarus Lupus ex oppido Villaregali. Annos vitæ abſoluerat ſeptem & quinquaginta, Societatis duos & quadraginta; vota quatuor nuncupauerat. Humaniores literas, Rhetoricam & Philoſophiã docuerat, cũ magna ingenij, & doctrinæ opinione. Rectorē egerat in Portuenſi Collegio, annis aliquot ſtudiorum præfectum plurimis in Bracharenſi & Vlyſiponenſi; cum magna noſtrorum atque externorum approbatione. Corpore fuit ferè ſemper infirmo & ægro, ſed adeò a-

nimi viribus pollebat, vt neque otiosè unquam vixerit, neque ad exequenda Societatis officia fuerit in eo sanitas desiderata. Incubuit scribendis Prouinciæ annalibus sermone patrio, eosque penè absolutos reliquit. Insignia habuit virtutum multarum ornamenta, ex quibus animi tranquillitas, mansuetudo, lenitas maximè commendantur. Octauo efflauit animam Ludouicus Mendoza Vlysiponēsis, veteri eaq; illustri ortus familia, summaq; & animi & ingenij spe Adolescens. Nono loco decessit P. Melchior Franciscus trium votorum professus, annis natus vno & quadraginta, ex quibus viginti quinque in Societate traduxit, in suam ac proximorum salutem ardenti semper studio intētus. Magno in eo pietas, magna erga Cœlites religio. In Beatissimæ Virginis cultum feruentissimo quodam spiritus æstu concitatius incubuit. Ante & post Sacerdotium solemne semper habuit, eius Sacellum, quod domi erat, detergere, scopis purgare, omni elegantia & concinnitate componere atq; adornare. Artificum Sodalitium magnæ Matri dicatum, diu diligenterque curauit, & mirificè promouit. Dum ægroti Sodalis confessionem exciperet, pestilētem morbum cōtagione contraxit, quo grauissimè afflictus fractusq;, paucis pòst diebus extinctus est. Reliqui Sodales, vt benefico Sacerdoti gratiam rependerent, non modò luctu, ac lacrymis, sed multo etiam pietatis officio eius funus sunt prosecuti. Vltimus funebrem pompam clausit P. Simon Vièra Conimbricensis, vir sanctitate & spe, quàm ætate maior. Trigesimum quintum ætatis annum nondum excesserat; & in Socie-
tate

tate egerat penè vigesimum. Cum virtutes omnes à puero adamauit, tum verò in dictis & factis, in oculis & vultu, ac toto in corpore singulare semper specimen præbuit eximiæ cuiusdam modestiæ, per quam honestus pudor claram illi & stabilem apud omnes comparauit auctoritatem. Humaniorum litterarum & Rhetoricæ Gymnasia sex aut septem annos sedulò & commodè administrauit. Postea ad Philosophiæ studium translatus, cum iuuentutem laudatè exerceret, irruente morte de vtroque simul, & Philosophiæ & vitæ cursu, non sine magna Scholarum & Societatis iactura, deturbatus est.

Agnorum Cereorum virtutē & mirabilem cōtra dæmones vim sequens euentus egregiè probauit. Vnum acceperat prostitutæ pudicitiæ mulier, & collo appēderat: sed tamen ita se in omnem proiecerat audaciam, vt formidolosam dæmonis effigiem oculis sæpius obiectam, non modò non formidaret; verumetiam absque vllo metu vllauè animi commotione, familiares cum illo dulcesq; conferret sermones. Vnum iam erat callidissimi hostis studium, vt miseram fœminam ad se strangulandam adduceret; nam quò minus per se ipse impias manus in eius fauces inijceret, sacra illa cera vetabat. Verum qua est impudentia ad omnem improbitatem compositus, palàm cœpit Agno mulierem interdicere; ac primum blanditijs allicere recusantem, deindè terrere minis non obtemperantem. Abijce, inquit, istas è collo quisquilias, vt baccatum gemmis torquem earum loco tibi opponam. Nî matura facis, durè te cædo. Accipit hæc

mulier, & paulisper cogitat quid importuna bestia de illo cereo Agno tantoperè solicita sit. Tunc illi lux diuina internos mentis oculos illustrat, & vafri hostis insidias patefacit. Quo fit, vt è tenebris emersa dæmonis famliaritatem, primum detestetur, dein purgatis confessione criminibus, & ablegata prioris vitæ consuetudine, nouam ineat viuendi rationem. In Canalensi & S. Felicis residentijs exercita quoqꝫ reꝫ cum laude & fructu munia Societatis; sed nihil occurrit singulare, quod scribendum iudicem.

COLLEGIVM EBORENSE.

CEntum octoginta aluit hoc anno Eborense Collegium. Fuêre in his Sacerdotes quinque supra triginta, addicti studijs septuaginta quinque, Adiutores triginta, tirones quadraginta. Sex diem suum obiere, ex his vnus in ipso adhuc tirocinio, alter non ita pridem ab eo egressus, reliqui quatuor veterani. Primus omnium cecidit Ludouicus Figheredius Setobricensis, admodum laboriosa consumptus phthisi, cum qua biennio cōflixit. Affirmabant medici fore ipsi salutare ad suos redire, Societate relicta. Hoc vbi egregius miles accepit, mirum est, quam non lento, sed properato cursu diem mortis maturauerit, atque omnem repetendæ patriæ spem, & nobis omnibus & ipsis medicis præciderit. Itaque lenta febri sensim medullas depascente, ad vicinum obitum inter Religiosos parietes conficiendum, alacriter se comparat, & quia per id tempus biennium iam expleuerat, Societatis vota nuncupat, Ecclesiæque Sacramentis

mentis communitus, in cœlum migrat. Secundus cecidit Andreas Georgius Viannensis, cuius mors ob egregias Adolescentis virtutes, omnium animos grauiter vulnerauit. Inter reliquas eius virtutes duæ maximè enituêre, pietas in Superos, in gerendis rebus modestia. Vtraque insignis fuit, & singularis. Morti vicinus, cum occupata mentis arce in deliria abiret, hoc illi vnum reliquum fuit, vt se ad omnem modestiam componeret: & ad excutiéndum lethargum, quo grauiter premebatur, nullum erat præsentius remedium, quàm vt vel manu tangeretur, vel aliqua ex parte corpus tantulum nudaretur. Aderat iã veluti in foribus mors, cum mens illi quasi postliminio redit. Circumspicit, & læto vultu adstantes intuetur, vbi Pater Rector sit, rogat, accedentem modestè et hilarè compellat, manum prêsat, deosculatur, valé extremum dicit, ac tandem placidissimè emoritur, annos natus viginti, quinto iam in Societate absoluto. Post hos sexagenarius decessit P. Gõsalus Sosia quatuor votorum Professus, ex patria Tolabrica, qui parentibus ortus clarissimis, magna fortunarum expectatione, mundo nuntium remisit, & ad nostra vexilla conuolauit, sub quibus meruit annis quadraginta sex, valetudine parum secunda: viginti enim abhinc annis pestilenti aura ita fuit afflatus, vt omni penè membrorũ functione captus, ad mentis stuporem propè accesserit. In ea tamen sensuum debilitate, imbibitæ semel virtutis mira indicia prælucebant; quadam enim puerili simplicitate, ad flagra, ad preces, ad peccatorum expiationem, ad sacram Synaxim, aliaque Religiosæ disciplinæ officia

officia,vt illi prius mos erat, constanter atque auidè ferebatur. Hoc igitur viuendi modo nō minimam ætatis partem egit inglorius, qui pp insignia animi & corporis ornamenta,sibi ad gloriam,proximis ad salutē, Societati ad honorē, magno vsui esse posset, nisi infausti sideris afflatu, in medio ferè vitæ cursu de mētis statione fuisset deiectus. Verum ante eam ægritudinē, non mediocriter Societatem iuuit. Rectorem.n.Ministrū,ac Nouitiorū Magistrum annos plures & cum dignitate egit. Quarto loco interijt P. Antoni9 Pinas ex oppido Meagliada, post annos ætatis 70. ex quibus nobiscū egit quatuor supra quadraginta, ea virtutū laude cumulatus,vt nullo præconio queat satis commendari. Cum hic ad institutum nostrum animū applicuisset,atque ob infirmitatem & gracilitatem corporis,à Societatis ingressu esset repulsus,negauit fortiter alio se,quàm religioso viuēdi genere, aut apud alios,quàm apud nos victurum. Vt igitur admitti posit, exploratur diligētius valetudo,ostenditur medicis,vt faciant de viribus periculum. Pronuntiant annos tres, ad summū quatuor,posse viuere. At ego, inquit Antonius, & in Societate viuam, & vobis omnibus ero superstes. Ita factum est;in Societatem.n.admissus, annos vt dixi quadraginta quatuor superauit. Mira fuit animi submisione, & ab omni humanæ gloriæ affectu sic alienus, vt cum Philosophiæ curriculum magna ex parte, nec sine nomine, nec sine probabili spe fructus peregisset, eo se studio libenter abdicarit,& ad conscientiæ casus,petita & obtenta à superioribus facultate, animum appulerit. Ter ad grassantem toto regno pestem destinatus, maximis laboribus,

boribus, grauissimisq; exercitus molestijs, non dubia vitæ pericula haud semel subijt. Infectos peste cominus summa cũ beneuolẽtia tractare, sacramẽtis munire, lectos illis sternere, propria manu vlcera tangere & curare, repurgare sordes, ad omnia, victui & cultui necessaria præstò illis esse, vulgatia in eo fuere. Sæpe enim clitellarium iumentum cibarijs onustum, per medias vrbis plateas agasonis more agebat; sæpe manticas necessarijs rebus plenas, instar baiuli, humeris suis vectabat; nec vllum veræ pietatis officium, quamuis cum magno suo incommodo, prætermittebat. Quibuscunque fuit in locis (fuit aũt in præcipuis Lusitaniæ vrbibus) toto animi conatu, & magno semper cũ fructu in id incubuit, vt cuiusq; ętatis homines à pestifera mulierũ cõsuetudine ad puritatem & castimoniam transferret; à pellicatu pellices, à meretricio quæstu meretrices abduceret, & vtrisq; in loco ad p̃teritas animi maculas eluendas apto, atq; à periculis tuto, cũ tẽporalis vitæ, tũ salutis æternæ remedia opportunè reperiret. In excipiendis pœnitentium peccatis fuit indefessus. Hoc verò mun⁹ nunquam videbatur exercere libẽtius, quàm vel noctu, cũ ad ægros ac moribundos accersebatur, aut alio diei tempore, quo sibi magis incommodaret. Pridie q̃ lethali morbo cederet, cũ iam vix cõsistere pedib⁹ posset, adit Ministrũ, & paulo ante consuetã horã, eundi cubitũ facultatẽ petit, atq; hoc insuper adijcit: Nolim hoc nesciat P. Rector, ne siquis æger hac forte nocte ad cõfitenda peccata aliquem ex nostris deposcat, relicto me per speciẽ ægritudinis, deligat aliũ, quẽ ad eundũ destinet. Fama est, ab impura fœmina aliq̃n solicitatum, sic

ſic excanduiſſe, ſic animo & corpore fuiſſe cõmotum, vt ipſo vultu petulantis mulieris furorem & procacitatem fregerit. Quantopere rerum humanarum, earum maximè, quæ ad affines cognatoſque ſpectant, curam ex animo abiecerit; illud eſſe argumento poteſt, quòd cum aliquando vnus è noſtris alio è loco veniens, nomine fratris eius germani, quem forte in itinere offendit, ipſum officiosè ſalutaſſet, & quædam etiam mandata ſollicite dediſſet: Quid hoc, inquit, rei eſt? Adhuc mihi viuus germanus frater? Adhuc, ait alius, imo valet, & viget, ac plurimam tibi ſalutem dicit. Hic P. Antonius ſubridens: Eius ego Epiſtolam, inquit, abhinc tres annos accepi, quam etiam nunc obſignatam ſeruo, & pro atramentarij operculo commode vtor. Æmulari quippe didicerat genuina proles exemplum ſimile Ignatij parentis optimi & ſanctiſsimi, cum faſciculum litterarum, quas è Guipaſcoa allatas Ianitor oranti reddidit, ſic vt erat ligatus, abiecit in ignem. Pœnitentiæ ſtudiũ nunquam Antonius, ne in extrema quidem ætate, intermiſit. Grauatum annis vidimus ad ieiunia, ad verbera, ad vigilias alacriorem vegetioremque vſque ad vltimum vitæ tempus extitiſſe. Tanto cum deſiderio mortẽ expectauit, vt ad eam, veluti ad optatiſsimũ hoſpitem excipiendum, abradi ſibi capillos, manuſque ablui voluerit. Itaque non tam precarijs globulis, quos ſuſpendi ſibi è collo fecit in ſignum lætitiæ candidos, quàm lacteo animi candore ſpectabilis, ad æternas immaculati Agni epulas beatitatis candidatus euolauit. Quintus obijt P. Fernandus Rebellus ex oppido Prato, vir & omnium virtu-

tum genere, & doctrinæ laude præstans. Tanta fuit ingenij mansuetudine, vt cum sæpe inter argumẽtandum asperioribus aliorum verbis vel per iniuriam, vel per ardorem prolatis, grauius pungeretur, nec licentius vnquam quidquam responderit, nec vllam vel adirati, vel querentis animi dederit significationem: quo est effectum, vt Eboræ apud externos Academicos Iobi appellationem & laudem sortitus sit. Adeo fuit omnibus in rebus moderatus ac temperans, vt vix extiterit, qui in eius actionibus vel minimam peccati labem iure reprehenderit. Communi bono nihil habuit prius aut optatius. Vt erat totus proximorum saluti addictus, ita in eorum vtilitatem de Religionis, caritatis, iustitiæ obligationibus, duo composuit volumina, quorum prius luci datum vidit, posterius propediem visurus, nisi fuisset morte interceptus. Vltimus naturæ concesśit P. Christophorus Fierius Argillæ in Africa natus, sed ex nobilibus parentibus ab Lusitania oriundus, trium votorum professus, & affecta iam ætate septuagenarius. Vixit in Societate annos quinquaginta, quorũ magnam partem in recognoscendis atque expurgandis ex officio auctorum libris insumpsit. Ad omnem virtutis functionem semper vegetum se ac robustũ probauit, cum esset alioquin valetudine admodum infirma, & pestilentis sideris afflatu aliquando tentata. In corporis sui cruciatum non tam suas, quam alienas vires experiri quàm maximè optabat. At enim cum sibi non modò inhumanus, sed plane crudelis esset, ne tamen alijs quidquam molestiæ exhiberet, diligentiśsimè cauebat. Vnde peropportune illi accidit, vt

B in vitæ

vt in vitæ fine, nè morbi longinquitate cuiquam esset grauis, peracerbis correptus intestinorum doloribus, breui consumptus sit. Hanc sociorum iacturam viginti quatuor compensarunt. Horum nonnulli ex prima fuerunt Lusitaniæ nobilitate. Vnius facinus egregium videtur singulariter memorandum. Is est Iacobus Brandanus, vir genere, doctrina, & virtute clarus, qui dum lectitandis nostrorum missis ex Iaponia litteris pia curiositate, frequenter incumbit, iniecta diuinitus mente ad tuendam ac propagandam illam Christi Ecclesiam, mirabiliter exarsit. Quapropter re Vlyssipone cum nostris maturè cōsiderata, statuit annuos redditus aureorum mille quingentorum, quibus non illiberaliter vitam sustentabat, ad noui Collegij in Iaponia ædificationem conferre. Quo facto res humanas despiciens, & Christi paupertatem secutus Societati se aggregauit. Res domestica non mediocriter aucta est. Singularis verò fuit & indefessa P. Rectoris in amplificando Collegio industria. Ea potissimum in sacris rebus enituit. Sanctuarium centum quinquaginta ferculis ex auro, argento, ære, crystallo, alabastro, porphyrite, aliaque pretiosa materia confectis, elegantissimè exornatum. Inter alia argenteus crater ad continendas Christi Optimi Maximi reliquias, auro & anaglyptica cælatura insignis; quanti pretij sit vel indè potest æstimari, quòd sola opificum opera ducentis quinquaginta nummis aureis persoluta est.

Hic annus attulit, quod fuit semper maximè expetitum. Villa suburbana, qua requietis & animi causa feriatis diebus vtuntur nostri, ad propulsandas

das hyemis æstatisque iniurias, incommodum satis habebat domicilium. Ea res morborum erat seminarium. Erecta nunc in illa capax & ampla domus octodecim distincta cubiculis; quamquam nondum est ad finem perducta. Dies quo B. P. noster Ignatius miseram vitam cum beata commutauit, maiori quam antea, & spiritus ardore, & rerum solitarum paratu traductus à nobis est. Illud in oppido Vianna inter cætera contigit memorabile. Vir nobilis ætate iam grandi, nec exigua aliàs pietate, dum publico in foro cum rustico homine litigaret calidius, subito furore in iram prolapsus, colaphum aduersario impegit. Extemplò turba exorta, & ferè ad arma ventum. Intercessêre nostri; sed initio frustra. Vnum enim accepta iniuria impellebat ad vindictum; alterum nobilitas à petenda venia retardabat. Hunc tàdem partim innata mansuetudo, partim nostrorũ hortatus ad ueniæ petitionem flexit. Ad nostrũ igitur Sacerdotẽ propius accedit, secreto exponit animi sui sensa, ait consiliũ se iniijsse petendæ veniæ tale. Medio in foro, quo ad illas tragædias ingens factus erat hominum concursus, mirifico Christianæ pietatis exemplo abolere parat ex candescentis animi facinus, & digna castigatione purgare. Ecce tibi malè tractatum à se hominem conuenit, aperto capite, genibus flexis, erũpentibus lachrimis contenta voce, quò posset ab omnibus probè audiri, sic alloquitur: coram habes crudelẽ Dei & hominum hostem, venia & vita indignum; repete meritas temeritatis pœnas; quate, tunde, vulnera, totum me arbitratui tuo committo; nihil inferes mali, quod sceleri meo gra-

uius putem. Grauiter hic commoti omnes. Rusticus ipse tanta senis pietate stupefactus, deijcitur in terram, lacrymantem lacrymans comitatur; implet vlulante voce conuentum, & gestu magis, quàm verbis iniuriæ debitum remittit. Hoc exemplo excitati alij qui fortè aderant, & veteres inter se inimicitias exercebant, depositis illicò offensionibus, ingratiam rediere. Illud etiam accidit eodem in oppido memoratu dignum. Vnicum habebat filium vir primarius, ætate puerum, vita cariorem. Hunc palam aggreditur proiectæ audaciæ Adolescens, & vi ex Patris oculis sublatum, gladioque confossum relinquit exanimũ. Actutum comprehenditur sceleris patrator, & in carcerẽ conditur, mortis pœna pueri mortẽ soluturus. Commissa interim vni de nostris cura, vt si qua posit arte, veniam homicidæ impetret. Vbi multùm diùque cum parente inutiliter conflixit, illum tandẽ in sententiam adduxit. Acerbissimus .n. iniuriæ dolor, qui paterna viscera commiserationi clauserat, patientis Christi memoria vict⁹, petitioni cesit; atq; eodẽ illo die, quo Dei filius nostra luens delicta, se crucifigentibus pepercit, ijsq; à Patre veniam postulauit, statuit vir bonus reo veniam cõcedere, & vinculis absolutum libertate donare. Publica igitur fide ratam esse volens condonationem, libellum confici iubet, in quo adhibito proprijs locis, suo & homicidiæ nomine, hisce verbis illustrem pietatis suæ dedit significationem. Quãuis facinorosus, impius, sceleratus, atq; omni flagitio coopertus, nulla tamen de re, quàm de impetranda peccatorum meorum venia magis solicitus,

tus, vt quæ in Deũ improbiſsimè atq; iniquiſsimè egi, aliqua ex parte cõpenſare queam, ſalutaria Patrũ Societatis Ieſu monita ſecutus, ad imitationem Chriſti Parẽtis optimi, qui mirabili manſuetudinis exẽplo liberaliter ijs ignouit, qui mortem ipſi crudeliter inferebant, acerbiſsimam mihi filij cariſsimi necem libẽs ac lubens homicidæ condono, & eius vnquam in iudicio, vel extra iudicium, vindicandæ omni me ac poſteros meos iure in perpetuũ priuo.

COLLEGIVM BRACHARENSE.

BRacharæ degũt ex noſtris duo de quadraginta, Sacerdotes tredecim, Magiſtri ſex, Auditores vndecim, reliqui Adiutores. Fuerunt omnes in officio, & ſuam quiſq; Prouinciam non minore vtilitate, quàm ſtudio adminiſtrauit.

COLLEGIVM PORTVENSE.

SEptemdecim Socios habuit hoc Collegium, Sacerdotes decem, reliquos Adiutores. Ex his Emanuel Madera bonæ ſpei Adoleſcens, Religioſæ vitæ curſum fauſtè ingreſſus, æternæ ciuitatis portum breui tenuit.

Dum miſericordiæ Sodales de creando Sodalitij Præfecto, diuerſis inter ſe animis & ſententijs diſceptant, grauis repente oritur ſeditio. Arma quiſque rapit, quæ miniſtrat furor, & aduerſarium impetit: ac fœdo inprimis vulnere Sodalitatis miniſtro facies deformatur. Breui ad alios ſeditionis impetus tranſit; & vrbs penè tota quodam veluti ciuilis belli incendio incipit conflagrare. Hic ergo noſtri ad extinguendam tantæ diſ-

cordiæ flammam illico omnes curas & cogitationes intendunt; ac tandem consilio & auctoritate tumultuantium multos sedant, remque totam grauiter componunt. Aucta insuper sacra Collegij supellex sumptu non modico. Data dono sunt primum elegans peripetasma ex serico, ad velandam aræ maximæ frontem; deinde sacerdotale ornamentum ex serico item, colore viridi; tum argentea candelabra duo, pondo quatuordecim; denique decem aureorum millia ad perficiendum aræ principis sacellum iam antea inchoatum.

COLLEGIVM BRIGANTINVM.

Brigantiæ degunt ex nostris duo & viginti, nouem ex his Sacerdotes, quorum vnus morum quæstiones edisserit, reliqui partim humanitatis scholis, partim rerum temporalium procuratione occupantur. Magna fuit Brigantiæ hoc anno annonæ difficultas, quæ copiosam nostris præbuit exercendæ caritatis materiam. Auxit mirabiliter rei frumentariæ inopiam infinita prope hominum multitudo, quæ ex vicinis Gallaciæ oppidis, vbi fames sæuire primũ cœpit, turmatim egressa, tuendæ vitæ causa huc confluxit. Cum malum indies ingrauesceret, iamque passim ingentes vmbrarum potius, quàm hominum fame pereuntium greges miserando spectaculo tota vrbe conspicerentur, tale initum à magistratibus est depellendæ calamitatis consilium. Statuunt inter se non posse in tanta annonæ caritate ab aduenis, simul atque ab indigenis famem depelli; necessum igitur esse, si viuere

uere isti debent, à finibus illi arceantur: quapropter vi & pœnis compellendos esse externos, vt à toto Brigantino tractu confestim exeant, per vias & cãpos, perque syluas & lucos, ad quos desperati se conferunt, absque dubio morituri. Cognita res à nostris; quibus visum est nihil esse posse tam misero tempore immanius, magisque ab humano sensu alienum. Senatores adeunt; & aliam afflictæ Reipublicæ medẽdi rationem proponũt. Placuit sententia. Ea fuit, vt per omnes vrbis vicos ac domos diligens fieret pauperũ conquisitio & recensio: tũ pecuniosis ciuibus, prout cuiusq; facultates ferrẽt, bini, terni, quaterni viritim distribuerẽtur, & quoad inopia duraret, alerentur. Ita factum magno ciuium consensensu, suos quisque pauperes, vt Christi hospites, non grauatè excepit. In hac distributione obtigere Collegio nostro quadraginta, quos P. Rector benigne ac liberaliter tres integros menses bis in die necessario victu reficiendos curauit. Delegit etiam aliquot ex nostris, qui vrbem & vicina vrbis loca frequenter obirent, ægrisque, quorum magnus passim numerus, cibaria & medicamenta deferrent. At enim vix atrocitatem famis enatæ fruges depulerant, cum noua exoritur ægritudinum tempestas. Lenticularem morbum medici appellabant. Febris est plane funesta, cui putrefactio sanguinis, & luridæ corporis maculæ comitantur. Hæc lues tanto impetu grassari cœpit, tantasq; pestifera contagione vires breui tempore comparauit, vt multa mortalium corpora ex priori adhuc famis malo debilia, & vix consistentia facile prostrauerit. Hic etiam nostrorum caritas multis & præ-

claris in ægros officijs Brigantino populo mirifice commendata est. Ex ijs, qui se iuuandis ægrotis, & morientium confessionibus excipiendis deuouerant, vnus fuit P. Antonius Ludouicus, qui collecto in ea occupatione morbo, vitã recte in Societate actam glorioso fine conclusit. Ex oppido erat Bretolæo, annis natus quadraginta, vno minus, ex quibus egit apud nos viginti, laborum patientia, & constanti ad insectandam virtutem animo, conspicuus.

DOMVS PROFESSA VILLAVIZOSÆ, & Collegium Farense in Regno Algarbiorum.

DVocim Socios habet Villauizosa, Sacerdotes septem, Adiutores quinque. Fructus fuit numero vberior. Princeps Philippus lectissimus iuuenis, Alexandri Eborensis Archiepiscopi, & Theodosij Brigantini Ducis germanus frater, ingrauescente morbo in discrimen adductus, domus nostræ Præpositum sibi assistentem multis præsentibus hunc in modum alloquitur: Ego me, Pater, Societatis militiæ deuoueram, iamque ad dandum nomen à Reuerendo admodum Patre Generali facultatem impetraram: Ne id perficiam, mors prohibet. Obediendum est Numini, quod me iubet ex vitæ statione discedere; eius beneficio obtinebo in cœlo, quod non potui obtinere in terra. His dictis paulò pòst immortalitatis fide & spe plenus, animam efflat. Addita templo fuit sacra pyxis pondo ducentorum aureorum, singulari opera, artificioque perfecta.

POR-

PORTALEGRIJ SEDES.

PORtalegrij Reſidentia quinque habet ex noſtris, è quibus tres ſacerdotio ſunt decorati, Adiutores duo. Multa hic ex Societatis inſtituto præclare geſta. Inter alia hæc. Fœmina erat morti vicina, quam cum Sacerdos noſter ad peccatorum confeſsionem impenſè monuerat; demum perſuaſit, & confitentem audiuit. Peracta confeſſione rogat, ſuperſit ne aliquid dicendum, quod religionem animo inijciat? Annuit illa, & Crucis ſigno frontem munit; dumque manum erigit, vt ſignum Crucis ſecundò efficiat, ecce tibi (mirum dictu) os fœminæ fœdiſsimè diſtorqueri, corrugari frõs, contrahi vultus, obliquari oculi, rigere capilli, corpus totum horrore perfundi. Pauere quoque Sacerdos terribili mulieris aſpectu, exalbeſcere metu, & ſalutare Ieſu nomen identidem inclamare. Paululum tamen vbi animos collegit, perturbationis cauſam à muliere ſciſcitatur. Tunc illa, terribilem, ait, dæmonē hic intuere, qui me præpeditam tenet, ne dicere pergam, quod animum pungit. Poſt hæc, O me, inquit, iterum, ô ſæpius infelicem ac miſeram, cui nulla ſuperat ſalutis ſpes. Iam abripior ad inferos, iam præda ſum immanium beſtiarum. Hoc de genere furentis more, & veluti per deſperationem cum multa profert, tum inſuper addit, adſtare ſibi plurimam Æthiopum turbam, colore nigerrimam, & oris turpitudine inſigniter deformatam; ab his verò monſtris enixè ſibi ſuaderi, nequid dicenti Sacerdoti credat, Societatis homines ex mendacijs, fraudib⁹ & fallacijs totos ac penitos cõſtare,

idcircò omni prorſus fide indignos. Hic Pater inuocatis Ieſu & Maria nominibus, pſam mulierem totumque cubiculum luſtrali aqua ſpargit. Id vbi factum, nouo mulier terrore concutitur, & horrenda vociferatione clamat, pellite domo, pellite ferales laruas: en horribili perculſæ metu diſceſſum parant; en ſe in fugam præcipites conferunt. Porrigite etiam mihi, obſecro, paululum huius aquæ, vt affixum faucibus cacodæmona hauſtu eruam, & foras eijciam. Datur aqua petenti, bibit, redit ad ſe, & aſsidentium conſilio quieſcit. Sed ecce rurſum furiæ in miſeram conuolant, de mente deijciunt, acerbè diſcruciant. Tum B. Patris Ignatij imaginem domi fortè repertam, oppreſſæ mulieris oculis obijcit Pater, hortaturque vt viri ſancti auxilium precetur. Hic illa, O Sanctiſsime, inquit, Ignati, afflictam reſpice, ferto miſeræ opem, Numen peccatrici concilia. Sic locuta, in ſimulacro Christi à Cruce pendentis defigit oculos, & in eo obtutu immobilis ac ſtupenti ſimilis horas tredecim hæret. Ab eo poſtea mentis ſomno euigilans, virum vocat, filium ex ipſo ſuſceptum bonæ indolis puerum ſolicitè commendat, petitque vt litteris imbuêdum curet, imbutumque Societati adſcribat. Reliquos dum ore placido alloquitur, aſſerens nihil ſibi iucundius, nihil optatius, quam è corporis ergaſtulo euolare, & vltimum vitæ ſpiritum ſuo reddere conditori. Ad extremum Sacroſancta Catholicæ Religionis myſteria repetês, & profitens emoritur.

COL-

COLLEGIVM ANGRENSE.

INſula Tertia vna eſt ex ijs, quæ quia tertio poſt alias loco primis inuentoribus patuere, Tertiarum nomen ſortitæ ſunt. Hæc verò ob ſitus commoditatem & nauigantium frequentiam, commune reliquarum nomen proprium ſibi fecit. Ad occidentem ſolem tercentum leucarum traiectu ab Hiſpano littore diſſociatur. Prima in hac Inſula vrbs Angra eſt. In ea Collegium habemus cum Socijs ſedecim, ex quibus Sacerdotes ſex, reliqui partim litterarum Humaniorum ſtudiis, partim domeſticis negotijs implicantur. Ex Sacerdotibus vnus Theologicas quæſtiones, quæ ſunt de moribus, frequenti clero exponit. Caſtellanus miles ſcelerum conſcientia grauiter agitatus, inferre ſibi mortem parabat; huius rei gratia modò aſpera & confragoſa adibat loca, vnde ſe præcipitem daret; modò cogitabat de laqueo, quo ſibi gulam ſtringeret; modò altam alicuius putei profunditatem meditabatur, vt ſe aquis ſuffocaret. Malus dæmon, qui talem militis animo ingerebat cogitationem, corporis quoque oculis horrenda obijciebat ſimulacra, vt intus foriſque ſtimulatũ ad interitũ citius deturbaret. Dum hiſce furijs miſer homo ageretur, contigit vt aliquando nocte concubia tenebroſo abditus in loco, piacularibus globulis pro defuncti cuiuſdam anima Beatæ Virgini preces effunderet. Hic ſe precanti terribile obtulit ſpectrum, manu venabulum tenens, & eum minis immanique terrore ita increpans. Abijce, inquit, globulos iſtorum mera puerorum ludibria: militum profiteris, non ignauam Monachorũ vitã; neq; oratorẽ hic agis, ſed excu-

excubitorē. Ille increpantis voce & vultu territus ad Crucis ſignum confugit, eaque munit frontem, quo facto monſtrum agit in fugam. Vixque dies illuxit, cum Sacerdotem noſtrum feſtinanter quærit, & detectis confeſsione peccatis, dæmonis inſidijs & iniqua voluntariæ necis cogitatione penitus liberatur. Duæ Indicæ naues ab orientali ora in Luſitaniam profectæ, & fœdiſsima tempeſtate ad huius Inſulæ littus iactatæ, grauiſsimum naufragij periculum ſubiere. Vehebantur in vna ex his quædam Mahumetanæ ſectæ mancipia, in quibus homo erat noſtræ Religionis percupidus. Is cum ſubmerſionis periculum antè cerneret, metuens ne facto naufragio prius maris fluctibus obrueretur, quàm ſalutari aqua poſſet expiari, in mare ſe præcipitem dedit, vt nando terram teneret, & vitam ſacro Baptiſmati reſeruaret. Sentiunt ſaltum excubiæ; nare incipientem rapiunt, referuntque ad nauim. Eius verò Socij cauſa fugæ cognita, vi, minis, metuque conantur à propoſito auertere. Ille nihilò ſecius conſtans ac firmus, moræque impatiens ſequenti iterum nocte ſe mari committit, & ſuperatis tandem vndis, in actam incolumis euadit. Vix pedem in terra poſuit, cum ſubito comprehenditur. De fuga quæſitus cauſam exponit: ea cognita noſtrum in Collegium ducitur; atque inibi doctrina fidei interim inſtruitur, donec receptæ ex periculo naues, ac tantiſper refectæ, interceptam nauigationem ad Vlyſiponenſem partem continuant. Datis ergo ad noſtros litteris, mittitur homo ad vrbem principem, vbi accuratius Religionem edoctus, maiore frequentia, celebritate, & vtilitate fidelium

numero adſcribatur. De re domeſtica hoc eſt, quod ſcribam. Epiſcopi, & ciuium liberalitate impoſitum faſtigium eſt inchoato Collegio. Noſtri igitur ſedem mutarunt. Facta mutatio eſt menſe Februario ſolemni pompa, & magno totius populi concurſu. In illo Epiſcopus ipſe, qui præcipuus pompæ auctor fuit; ſub prædiuite vmbello ſacram pyxidem cum diuino Corporis Chriſti Sacramento ferebat, antè Eccleſiaſticus Ordo, retrò ſenatorius, ſuo quiſque loco aptè & concinnè diſpoſitus, magna cultus elegantia, & magnifico apparatu, comitabantur.

ANGOLANA SEDES.

Annis ſuperioribus ſex è Societate Sacerdotes cum aliquot adiutoribus in hac ſede morabantur; ex his magno Luſitanorum militum & indigenarum Æthiopum damno, cœli ſolique inclementia quatuor abſtulit. Suffecti deinde Sacerdotes duo, cum adiutore vno, demortuorum iacturā modo aliquo refecerunt. Hoc demum anno Sacerdotes tres cum duobus adiutoribus è Luſitania profecti, non mediocri erunt Angolanis rebus adiumento. Communes litteræ nullæ nobis ex hac ſede fuerunt; quæ à priuatis accepi, bona fide reddam. Pater Gaſpar Azeuedius cum adiutore vno, cui nomen Antonius Sequaria, miſſus eſt ad luſtrandas finitimas quaſdam Prouincias, quæ ſunt Chriſtianorum Principum, quos vocant Sobas, imperio ditionique ſubiectæ. In his multa ad Dei gloriam & animarum ſalutem pertinentia egregiè

egregiè præstiterunt. Quibusdam in locis Euangelij doctrinam nunquam antea inibi satam de nouo seminarunt: semisopitam in alijs Religionem non minori quidem impendio, sed industria maiori, ex ignauæ cuiusdam obliuionis cineribus excitarunt. Inuentũ est oppidum amplum & frequens, cuius incolæ nomen olim Christo dederãt, sed iam præter Christianũ nomen, idque pene extinctum, nihil illis sinceræ fidei, nihil veræ pietatis erat reliquum Barbari vbi nostros aspexere, non homines, sed monstra rati, fuso primum & incomposito agmine arripuere fugam. Quidam deinde ex ijs visendi studio eminus respicere; alij retento cursu paululum morari, sed oris colorisq; insolentia deterriti, & attonitis similes, statim sese à conspectu abripere. Omnium primi Sobæ filij veluti honoris aculeo puncti, spiritus concipiũt, & pauorem dissimulantes audent nostros ad se venientes opperiri & alloqui. Eos Socij sermone vernaculo, cuius erãt periti, blandè salutatos ad se alliciunt. Tum reliqui exemplo moti paulatim ex fuga redeunt, accedunt propè, salutati resalutant. Ecce mira in omnibus tranquillitas, & qualis esse potest in tanta barbaria aduersus hospites comitas. Reuocata illis in mentem Christianæ Religionis professio; exposita fidei morumque doctrina; inculcata iustitiæ officia; laudata castimonia; commendatæ virtutes; reprobata vitia; vis & iniquitas vituperata. Erat in hoc ipso oppido domus nefando idolorum cultu infamis. Hanc nostri adeunt; fœdissimis inueniunt refertam simulacris: in his simul viri & mulieres, capita caprina, testudinum conchæ, bestiarum pedes, elephan-

phantórum oſſa, aliaque ſimilia portenta loco Deórum execrando ritu habita. Huiuſmodi ſacra attrectare nefas ducunt Barbari, peccarũ eſſe, q, ſola morte queat piari. Ingẽs igitur Religio manus cohibet. Noſtri Religionis vanitatem patefaciunt, & ſcrupulum ex miſerorum animis euellunt, dum impetu facto irruunt in ſimulacra, contemptim attrectant, contumelioſè rapiunt, & igni ſubijciunt. Ad alia inde oppida digreſsi, paruum Sobæ filium ſecum ducunt, vltrò à Patre oblatum, vt & comes itineris ſit, & Chriſtianis præceptionibus apprimè imbuatur. Veniunt poſtea ad Sobam alium, cuius ditioni tres alij Sobæ ſubditi ſunt. Ab hoc pro gentis more honorificè recepti, & humaniter tractati; eademque apud illum & eius populum, quæ apud Superiores, Chriſtianæ pietatis munera ſeduló exercent. Veteres Chriſtianos officij monent; alios aqua tingunt ſalutari; omnibus fidei doctrinam inſtillant. Contigit quodam in oppido, vt vir & vxor nimia iam ætate & ſenio deformati, occurrerẽt noſtris. Eos Pater recenſitis Chriſti myſterijs ad fidem baptiſmumque inuitauit. Animum vir adiecit, & Chriſto nomẽ dedit. Mulier riſu & cachinnis cuncta excipit: facetè rogat, an baptiſmatis liquor iuuentutem referat? ſi referre, inquit, non poteſt, opus mihi non eſt iſto veſtro lauacro ablui. Ita baptizatæ binæ cum Patre filiæ; ſola mater inſulsè faceta, dum ſine corporis renouatione non vult animo renouari, & ſalutari vnda ablui contemnit, miſero corporis & animi ſenio confecta iuſto Dei iudicio relinquitur æternis gehennæ flammis nunquam purganda, ſed perpetuò crucianda. Luſtra-

tæ à

tæ à nostris etiam sunt Cambambæ, Mochinæ, & Massangani arces; atque in ijs ministrata vtiliter Ecclesiæ Sacramenta. Soba vnus cum multis domesticis & clientibus baptismum suscepit; sic alios propediem facturos propitio Numine speramus. Cacongi Regnum in occidentali Africæ littore amplum inprimis & nobile, septentrione Anziquio est conterminum; ab Oriente partim ad vastissimas Buagi, Angoi, & Biangæ Regiones longe lateque porrigitur. Aditus ex Angola ad hoc Regnum facilis ac patens; placido enim sinu per octoginta leucas ad vrbem Pindam mare diffunditur nauigationi opportunum. Pindâ verò in principem Cacongi vrbem quatuor tantum dierum spatio, quamuis aduerso alueo, Tairus fluuius nauigijs transmittitur. Cum nostri illas, quas dixi, Sobarum Prouincias peragrant, Cacongi Rex Oloandam cum muneribus litteras mittit, quibus Episcopo exponit, optare se maximè cum suis Christiana sacra suscipere; idcirco non grauetur idoneos docendæ prædicandæque fidei ministros ad se mittere. Episcopus rem inprimis cum Prætore diligenter expendit: tum verò communi consilio Patrem nostrum, qui Angolanæ Residentiæ præest, certiorem facit, simulque precatur tanto agro subigendo atque excolendo sufficientes numero, & aptos doctrina adhibeat operarios. Destinati illico ad opus Patres Franciscus Goes, & Franciscus Azeuedius. Non dubitamus fore, vt in ea Prouincia obeunda plurimos & maximos subituri sint labores; sed & spes est, fructum laboribus responsurum.

SEDES

SEDES IN INSVLIS HESPERIDVM, & Misßio ad Caput Arſinarium.

AB Vlyſsipone verſus meridiem per Atlanticum Oceanum nauigantibus ſiniſtra occurrit illa Africæ Regio, quam ab atro hominum colore, Mauritaniam dixêre Græci antiquiores. Qui maritimæ huius oræ per fines Barbariæ vſque ad Atlantis radices littora legunt, in promontorium incurrunt aquarum impetu, & vicinis Syrtibus infame, quod olim extremam Channariam, Indicæ vero nauigationis initio Caput Non vulgus nautarum appellauit. Ab hoc leucis circiter ſexaginta diſtat promontorium aliud, cui à veteribus Ganaria, à Luſitanis poſtea nauarchis Caput Bogiator nomen inditum eſt. Ex eo verò perVaſtiſsima eiuſdem Africæ littora leucis fermè ducentis & ſexaginta excurritur vſque ad Arſinarium promontorium, à quo prima illa incipit Guineæ plaga, quæ Zanga fluuio Borealem Æthiopum gentem à Mauritanis ſeiungit. At enim tota illa Africani littoris ora, quæ ab Arſinario promontorio vſque ad illud, cui Virgæ nomen, longiſsimo tractu porrigitur, celebri nunc appellatione Caput Viride nominatur. Tota regio Peninſulæ formam habet; hinc inde Zonaga & Gambea alluitur fluuijs, qui vaſto interioris Libyæ lacu ex eodem fronte originem trahentes, vno primum collecti alueo, immenſa Africæ ſpatia percurrunt: Dein rupto quaſi fœdere, atque in duo cornua diuiſi, varias perfluunt Guineæ Regiones; donec tandem Oceano recepti, permiſtis iterum

aquis, veluti nexis brachijs, cõſociantur. Quidquid terrarum hæc inter flumina interiectum eſt, ij incolunt Æthiopes, qui Ialofi nuncupantur, & ciuilioris vitæ cultu anteeunt cæteros. Corpore robuſto ſunt, & equitandi militandique peritia inſignes. Exarant ferro corpora, & aculeis pungunt labra, quo intumeſcant, vtrumque enim pulchritudinis gratiam ſibi putant conciliare. Inter alia illud habent non mediocri obſeruatione dignum, quòd ipſorum Rex de grauioribus rebus cum nobilibus deliberaturus, in penitiores cum illis ſyluas ſecedit; ibi effoſſa humo, & depreſsis in eam capitibus, clandeſtina ineunt conſilia; quibus initis, terra iterum opplent foſſam, ſignificantes rem totam, de qua eſt deliberatum, ſic oportere ſecretam eſſe, ac ſi omninò ſepulta ſit. A Gambea ad Iarim per leucas ferè triginta ſequuntur Faluppi & Arriati, feris ac ferreis gentes moribus, ingenio truci, natura crudeli, & ab omni humanitate adeò abhorrentes, vt inſtituto iure gentium hominum commercio aduenis interdicant. Vita his communiter & captandis piſcibus, & alendis pecoribus ruſticè traducitur. Poſtea ſunt Coſangi, & alij finitimi populi, in quibus eò deteſtabilior, quam in cæteris immanitas, quò propinquitatis iura apertius violant. Enimvero amicitia, affinitate, ſanguine coniunctos, filios etiam, vxores, ipſos denique parentes, quo poſſunt modo, nulla habita pietatis ratione, quibuslibet emptoribus vendunt. Hæc verò impietas maior in ijs, qui maiori vi pollent, ac ſubindè ſumma in principibus. Fœminæ primo diluculo parum aquæ hauriunt, & vſque ad prandium illæſam in ore conſeruant,

uant,

uant,nequid interim valeant comedere,quo temperantia lædatur. Inter fluuium Iarim, & illum quem vocant Magnum,Buzami Æthiopes populo multo ac vario per vastas terrarum regiones, latè funduntur. Inania colunt Deorum simulacra, cæremonijs partim fœdis, partim ridiculis, quibus quam minimum adhærent. Terrenum habent propter fluminum copiam magna ex parte amænum & ferax; quamquam frumentum & vinum nimia luxuries corrumpit, cui fortè non erat difficile arte mederi. Victitant frugibus generis diuersi,& carne communiter ferina, quo saltus abundat. Anseres domi educant, anates, palumbes, & alias volucres gregales. Affluunt auro, ambaro, moscho, gumi, quibus vendendis & commutandis mercaturam faciunt. Cæterum ipsæ Hesperidum Insulæ in mari Atlantico gradibus citra Æquatorem fermè quindecim sitæ, & ab Hispano littore leucis propè septuaginta tribus supra quadringentos in Austrum diuulsæ, & denario numero contentæ, nec longis inter se spatijs dissitæ, communē habēt Capitis Viridis appellationem. Ea principem locum tenet, cui à sancto Iacobo nomen, leucas lōga viginti, lata duodecim, partim montibus aspera, partim depressa vallib⁹, & in his ob fluentium aquarum concursum, cum primis læta & pinguis, multaque fructuum vbertate & varietate fœcunda. Toto anni tempore melopepones eximiæ notæ facili cultura fert. Ingentes alit equorum & pecorum greges. Gallinis,ijsque optimis, abundat. Hominum in ea frequentia maior, quàm existimari potest: quamquam cœli solique insolentia potius, quàm inclemen-

 men-

mentia nonnullos, ex Lusitania de nouo venientes, dum initio minus cautè insolitæ victus cultusq; rationi se credunt, morbo morteque pessundat: quod damnũ non pauci etiam nostrorum his quinque retro annis, non sine magno Societatis & totius Guinêæ incommodo, experti sunt. Enimverò à tribus Sacerdotibus, qui huc primi ex Lusitana Prouincia nauigarunt, duo breui extincti, ea singulari animi voluntate, qua se illi Æthiopiæ agro colendo totos penitusque dedêre, plus sibi meriti apud Deum, quam Æthiopibus fructus compararũt. Hi erant Patres Emanuel Barrius, & Emanuel Fernandius notæ viri probitatis, & ea adhuc ætate, per quam liceret in propaganda tuendaque Christianæ Religionis veritate, non paucos annos consumere. Sed aliter Deo visum. Superfuit diuino planè beneficio Pater Balthasar Barreria missioni præfectus, homo penè octogenarius, sed caritate in proximos, & maximè in Æthiopes, de quibus annos ante multos in Angolana Prouincia benè meruerat, ita robustus ac vegetus, vt obeundis barbarorum regionibus, disseminando Euangelij semine, tradenda rudibus Catechesi, ministrandis Lusitano Africanoque Sacramentis, vitamque per multa aduersa & aspera trahēdo, nihil animo aut corpore videatur defatigari. Sed maximas huius viri virtutes, quamque vberes ac lætos ex præclara Æthiopicorum Regum, Principum, multorumque aliorum à gentilium superstitionum tenebris ad veritatis splendorem conuersione, Christianę Reipublicæ fructus tulerit, opportuniore tempore ac loco, maiorique, vt par est, orationis vbertate, scriptores

alij


alijs prædicabunt. Tres iterum Sacerdotes superiori anno ad hanc Prouinciam missi, vt immensos P. Barreriæ labores aliqua ex parte alleuarent, similem prioribus exitum habuêre. Superfuit P. Emanuel Aluarus, qui vbi primùm in Insula pedem posuit, statim in continentem traiectus, & auxilio inibi laborantibus fuit, & vitam cœlo salubriore incolumem seruauit. Reliqui duo partim soli vitio & insitata viuendi ratione, partim nimijs laboribus, quos suscipere necessitas coëgit, non multos post aduentum menses, mortem oppetiere. Vnus fuit P. Petr⁹ Nepos, qui annis ferè quatuor, quos in Societate vixit, multa, quibus in Beatorum consortio æternùm viuat, sibi merita comparauit. Alter P. Emanuel Almeida, egregiæ virtutis vir, & cum rebus alijs, tum verò ipsa professione maximè commendandus. Humaniores primum litteras & Rhetoricam annis octo, arte dicendi clarus; diuersis dein temporibus Philosophiam annis quinque Conimbricæ docuerat. Atque hæc & alia Religiosi hominis officia cum magna & animorum vtilitate, & Societatis existimatione in Lusitania præstiterat; aptus ad maiora, quæ apud nos sine dubio præstaret superstite vita, nisi in diuina instinctus, atque eximio quodam Christianæ humilitatis ardore inflammatus, humanarum rerum gloriam, & inanes honoris titulos, Æthiopũ saluti postposuisset. Hãc igitur Prouĩciam animo concipiens, & pia quadam eius obtinendæ ambitione stimulatus, partim secretis à Deo orationibus, partim solicitis à Superiore precibus eam petijt, ac tandem impetrauit. Periculum erat, nè si propinqui rem fortè subodorarentur

tur, profectionem ipsam vel omninò impedirent, vel minimum retardarent. Hoc periculum vitare cupiens P. Emanuel, & nostros & externos rem totam vsque ad profectionem mira dexteritate celauit, donec oblata est nauigandi opportunitas; quo tempore absque vllo peculiari rerum paratu, nauim conscendit; & cunctis penè stupentibus, virique consilium mirificè commendantibus, in altum soluit, præclarum nobis relinquens magnanimitatis æquè & prudentiæ documentum. Vbi Insulam est ingressus, nihil prius habuit ac potius, quàm vt toto animi conatu in proximorũ salutem omnibus modis incumberet. Itaque dispartitis temporibus frequentes apud Christianos conciones habere; confessionis & Eucharistiæ Sacramenta illis ministrare; abecedarias litteras & prima Grammaticæ rudimenta pueris tradere; quæstiones de officijs Ecclesiasticos docere; ad capessendam nostræ Religionis fidem, Gentiles allicere; Christianis præceptis Catechumenos instruere; nihil omninò p̃termittere, quod Dei Ecclesiam posset vllo modo promouere. Hac laborum mole depressus succubuit, & relictis rebus humanis, anno ætatis quadragesimo secundo, Societatis sexto & vigesimo, quatuor votorum Religione adstrictus, omni meritorum genere cumulatus, ad Superos, vt speramus, cõcessit, bonorum operum & magnæ inprimis voluntatis, qua se Deo illo in munere dicauit, vberem mercedem accepturus. His nostrorum apud Guineam calamitatibus cæteri, qui in hac Lusitana Prouincia degunt, afflicti quidem certè, sed adeò non sunt deterriti, vt nihil magis habeant in votis, quàm vt

in eaſdem barbarorum terras, primo quoque tempore mittantur. Nec verò magnoperè curant, ſeriusne, an ocyus; poſt debellatam videlicet multis in locis Mahumeticam, Gentilicamque ſuperſtitionem, & Chriſti fidem longè latèque diffuſam, an in ipſo ſtatim non modò Prouinciæ, verumetiā nauigationis ingreſſu, ſiue ex maritimis laboribus, ſiue ex regionis inclementia, ſiue ex ardore Solis, ſiue ex aëris intemperie, ſiue quolibet alio ex caſu obituri diem ſint; cum rectè intelligant, mortem ex huiuſmodi cauſa ſuſceptam cuiuſdam veluti Martyrij loco haberi poſſe; atque eam vitam, quæ hūc in modum auctori Deo redditur, ſiue longo, ſiue breui temporis ambitu circumſcribatur, & excellentis gloriæ plenam eſſe, & æſtimabili exitu felicſsimè terminari.



LITTERÆ ANNVÆ SOCIETATIS IESV EX PROVINCIA TOLETANA Anni 1608.



Vnt in hac Prouincia Socij quingenti decem & ſeptem. In Domo Profeſſa Toletana quadraginta. In Collegio Toletano decem. In Madritano octoginta quatuor. In Domo probationis triginta quinque. In Complutenſi ſeptuaginta quatuor. In Murciano ſexaginta ſex. In Placentino decẽ & octo, in Oropeſano triginta vnus. Talabricæ decem. Ocaniȩ ſexdecim. In Hicetenſi viginti quinq;. In Conchenſi vndecim. Belmonte ſeptemdecim. Carauacæ decem & nouem. In Securitano vndecim. In Domo probationis Villaregij quadraginta duo.

DOMVS PROFESSA TOletana.

SOdales ſponte ſua, pulcro inuento, perfecerunt, vt quo die Taurorum agitatio celebratur, eo die ſacra Euchariſtia ſolenni ritu, multoque apparatu, ſpectabilis ponatur in templo; itaque Sodales, & eorum exemplo piorum virorum numerus non exiguus, cum magna ædificatione, diem illum in templo exigunt, diuino ſpectaculo contenti interea, dum alij cum animæ, corporiſque diſcrimine, crudeli ſpectaculo, vel carnificinæ potius intenti debacchantur. Et quidem cum frequentes adſint in Hoſpi-

Hoſpitalibus, vt omni ope pauperes iuuent, præſertim verò in carcere, quotidie nunquam minus, quàm centum pauperibus victum largiuntur: nam ſæpenumero (quia ex toto Regno coguntur huc damnati ad triremes) ducentos corrogatis hinc inde eleemoſynis alunt, ex quibus multi extremè indigentes, annis elapſis moriebantur fame conſumpti. Res accidit in hoc genere narratu digna. Cum annis ſuperioribus ad triremes catenati longo agmine ducerentur, medioque foro tranſirent, nihil erat à furto ſecurum, vt propolæ ſua tentoria claudérent, ac demum quiſque ſibi caueret, ſi vellet omnia eſſe ſalua; tum deinde longo itinere multi defatigati, aut morbo oppreſsi, cum incedere non poſſent, vi ferrei annuli abſciſſo capite, ſine ſacramentali confeſsione, miſere in agris iacebant, canibus & lupis obiecti. Ea ne acciderent, congregatio prouidit, & inſtante profectione, victu veſtituque egentes adiuuit, cumque hæc vltima catena octoginta quinque concluderet, omnes ſua peccata confeſsione expiarunt, multi etiam ſacro pane refecti. Vnus de Sodalitate Sacerdos, omnium ſuffragio delectus, illos toto itinere proſecutus eſt, vt ægros curaret, oppreſſos leuaret, confeſsiones audiret. Ibant omnes modeſti, demiſsis oculis, voluentes manibus calculos precatorios, ore, animoque B. Deiparam ſalutabant. Nullus in foro officinam clauſit metu rapinæ, imo vero multi illos comitati ſunt ad fores vſque vrbis, rei nouitatem admirati: itaque toti ciuitati ſpectaculo fuere. Cardinalis Archiepiſcopus tranſeuntes illos videre voluit, neque ſolum benedictionem Pontificiam, ſed etiam lar-

gam eleemosynam omnibus impartiuit, totaque illa nocte lacrymis obortis de nulla alia re loqui poterat. Doctrina Christiana traditur magna tum frequentia, tum fructu.

COLLEGIVM MADRITANVM.

Madriti, tametsi confessarij sint ad quadraginta, & ab hospitibus, quorum est domi multa copia, adiuuentur ad confessiones audiendas, confluit tamen tãta multitudo, & virorum, & fœminarũ percipiendorũ sacramentorum gratia, vt quadrare possit illud Euangelicum: Messis quidem multa, operarij autem pauci. Neque id solum Iubilei, aut aliarum Indulgentiarum tempore, sed quotidie; nam diebus festis omnibus, pœnitentium, & communicantium numerum si consideres, plane credas, aut Iubileum, aut hebdomadæ sanctę dies aduenisse. Concionator noster omnibus quide, Regibus quoq; ipsis gratissimus, tum domi, tum in Regia capella, alijsq; tẽplis præcipuis prædicans admirationi est, & ad eius conciones, non tantum populi fit concursus maximus, sed etiam totius nobilitatis. Ad xenodochia, & carceres itum est frequentissimè, & ad reorũ supplicia. Duo Saraceni ad suspendiũ damnati, ad Christianam fidem opera nostrorum cõuersi ac publici baptizati sunt, leuante ipsos de sacro fonte Legato Melitensi, & spe magna concepta futurę beatitudinis, ita alacres ad patibulum ascenderunt, vt ad epulas inuitati viderentur. In scholis nostris octingenti scholastici numerantur, tamque ipsi Adolescentes, quàm parentes

rentes eorum cauſa, optimè ſunt in noſtram Societatem animati. Quadraginta horarum ſupplicatio ad templum noſtrum indicta in Bacchanalibus, magno apparatu, inſignique totius oppidi deuotione celebrata eſt, vt tota curia, virique principes Iubilei cauſa, orationiſque conuenerint, multa etiam variorum Ordinum Religioſi. Rex quoque ipſe, & Regina die ſecunda adfuerunt oraturi, cum magna erga nos amoris ſignificatione. Mortuus eſt in hoc Collegio P. Egidius Martines profeſſus quatuor votorum, cum exegiſſet in Societate annos triginta vnum, ex quibus hic annos decem, & ſex fuit domeſticorum confeſſarius, & Præfectus rerum ſpiritualium, cumque hoc muneris ſatis eſſet, propter noſtrorum multitudinem, ipſe tamen præ feruore animi in laborando infatigabilis, multorum etiam ſæcularium confeſsiones audiebat, pauperum præſertim, & miſerorum, quos excipiebat in viſceribus charitatis, ſcholas puerorum adibat cunctis hebdomadis, quas habet hoc oppidum plurimas, Chriſtianamque doctrinam explicabat pueris, quos etiam feſtis diebus per vias cantilando doctrinam ductabat, & perfecta Catecheſi, ad confertã multitudinem de rebus diuinis verba faciebat, plurimo tum labore, tum fructu. De virtutibus ipſius ſi velimus agere, longo tractatu opus foret, illud vnum ſit ſatis, huncPatrem, tam dum in viuis ageret, quàm etiam defunctum, ab omnibus & domeſticis, & externis. communi conſenſu, & voce ſanctum eſſe appellatum, & vere humilem, ac ſancto Zelo ferventiſsimum. In eius funere preter communem dolorem, pueri, quos in doctrina Chriſtiana erudiebat, grandi

grandi ciulatu, multorum lacrymas excusserunt. Obijt quoque P. Ioannes Xara plenus dierum, in senectute bona, centum tres annos natus, ex quibus quadraginta in Societate egerat, perpetuus vsque ad mortem confessarius, multis quoque annis studiorum Præfectus fuerat, & tanta ætate prouectus, communi tamen cæterorum laborandi more, atq; viuendi, ne socium quidem habere voluit, qui sui cubiculi curam gereret. Erat enim sedulus in procuranda ædificatione, & magnus communitatis sectator. Frater etiam Franciscus Nuuez annos natus sexaginta duos, ex quibus triginta octo in Societate vixerat, in multis quidem officijs, maximè verò emptoris, quod est in hoc Collegio laboriosissimum. Nunquam de illo aut domi, aut foris vlla audita queremonia in tanta negotiorum & personarum, quibuscum agebat, multitudine (illo quippe superiores administro plurimis in rebus vtebantur) eò quod non minus curaret ædificationem quàm negotia, imo verò multò magis. Excessit quoque de vita frater Ioannes Garcia Coadiutor temporalis, qui viginti octo annorum iuuenis, octo annos duntaxat in Societate vixerat, sed tanta cum ædificatione, & obedientię exẽplo, vt tẽpora multa breui consummatus expleuerit, magnoque cum domesticorum dolore, quibus erat charissimus, excessit è vita. Sodalitas Matris Dei, quæ secularibus hominibus constat, floret bonæ opinionis odore, & eximio virtutis exemplo multum fructum affert. Sodales numerantur supra mille, & quidem omnes octauo quoque die confitentur, & decimo quinto sacram Eucharistiam percipiunt. Huic Sa-

cramento-

cramentorum frequentiæ cætera quoque respondent, vt inter alios, quasi luminaria in mundo, præluceant: cumque aliquando in consultationem venerit; An duas ex vna congregatione fieri oporteret, vnam quæ nobilibus, & primarijs duntaxat constaret, alteram, quę cæteris pateret; nullo modo permiserunt equites, ac viri nobiles, sed ipsi potius vltrò se permiscent alijs, & pari Sodalitatis iure coniungunt, Christianam humilitatem thesaurum rati maiorem, quàm externum nobilitatis splendorem, sæculique diuitias. Omnes certe Patres, qui ex alijs Collegijs atque Prouincijs huc veniunt, non satis admirãtur opus insigne, Deoque gratias agunt pro tam vberrimo fructu, qui ex hac congregatione colligitur. Altera congregatio multò antiquior scholasticorum floret maxime, & sancta quadam in bonum æmulatione inter vtramque congregationem suborta, ad rem bene gerendam maiores animos facit.

DOMVS PROBATIONIS Madritana.

IN hac Probationis Domo, Nouitiorum nostrorum feruor indies illustrior; & in obeundis consuetis experimentis cum alacritate, & omnium ædificatione inuicti, atque constantes extitere. Data quoque est opera, vt catechismo, confessionibus sacraque synaxi, & concionibus, viciniæ huius vtilitas procuraretur, quæ plerumque huiusmodi ope destitui solebat. Diem obijt frater Antonius Sanches Nouitius quidam ille (nouem quippe menses duntaxat in Societate vixerat) sed animi virtute, orationis

orationis studio, cordis puritate, sui abnegatione, & obedientia, vel inter antiquissimos numerandus. Ipse nemine admonente, in testamento Societatem reliquit hæredem; nam de cognatis ne meminit quidem, quos toto animo semper relictos esse voluit. Id solum timebat videlicet, nè à Societate dimitteretur. Tum quia se putabat inutilem ad altiora ministeria (præclaro alioqui ingenio præditus) perpetuo legendæ Grammaticæ votum Deo nũcupauerat. Duo Lusitani in Societatem adsciti, Sacerdos vnus, alter Iurisperitus. Sacerdos in India Orientali multos annos miles fuerat, militaribus functus muneribus, ijsque honorificis, postea varijs periculis, tempestatibusq; iactat⁹, ac ferè mirabiliter ereptus, tandem in vltima nauigatione octodecim mẽsium errore confecto, socijs ferè omnibus extinctis, nauigio à pyratis capto, facta rerum omnium iactura, mari huius sæculi, quod tam infidum expertus est, valedixit. Alter Iurisperitus Conimbricæ cum libris incumberet, planè innocens, & securus; grauissimè vulneratus est multis ictibus à quibusdam, qui se ab eo læsos putabant infami libello Autoris incerti. Sed postea de Iurisperiti innocẽtia cõstare cœpit, vero scommatũ Autore cõperto, ac tandem sanatus mirabiliter Complutum venit, ibique Societati nomen dedit. Alius quoque duplici ereptus periculo, vt se totũ Deo liberatori traderet, Societatem ingressus est: Nam noctu dormientis culcitra, totoque cubiculo igni compresso, vix tandem post horas aliquot ferè mortuus eripitur ab incẽdio, ac post tres dies ad se redijt. Præterea equum indomitum ferens, alligato ad brach-

ium fune raptatus eſt, cumque fluuium rapidum equus intraret, fune expeditus (à quonam incertum eſt) incolumis in littore deponitur. Nouitius alius triſti exẽplo cæteros deterruit. Hic variè multumque tentatus à ſuis, & matri traditus egregiè reſtitit, maternisque contemptis lacrymis, ad nos redijt. Poſtea verò dæmonis aſtu circũuentus, vt ad ſæculum rediret, planèq; proſtratus, Superiori non aperuit animi latebras, ſed noctu conſcenſis trabibus horti ſepem ſuſtinentibus, reuerſus eſt ad ſuos. Poſtquam animaduertit ſecum, quid egiſſet, obſtupefactus, & mœrore deiectus miſerã hucuſq; vitam agit atque triſtiſsimam, lucis huius fugitans, nunquam læt⁹ viſus eſt. Sacra ſupellex plurimum aucta hoc anno: in ijs argẽtea pyxis ducentis aureis æſtimatur, multiſque alijs donis & muneribus Illuſtriſsima Domina Anna Felix de Guſmã Marchioniſſa Camaraſſæ, Fũdatrix noſtra nos auxit cotidie, & indies ornat ſingulari amore & beneficentia.

COLLEGIVM COMPLVTENSE.

COmpluti ſeptem in Societatem admiſsi, duo abſolutis iam ſtudijs, pręclarę expectationis, cæteri dabant operam Philoſophiæ, bonumque ingenij ſpecimen ediderant, in Academia propterea noti. Exceſsit è vita P. Ferdinãdus de Arze quatuor votorum Profeſsus, quadraginta ſeptem natus annos, quorũ triginta vnum in Societate exegerat. In Belmontenſi Collegio & Oropeſano Rector fuerat, & tres annos præterea Socius Prouincialis, Religionis obſeruantiſsimus, & in media nego-

negotiorum, & occupationum mole, orationi, cæterisque exercitijs spiritualibus addictissimus. Duo illum præclara amabilem, omnibusq; charissimum reddiderunt, inprimis, quòd de omnibus benè, & honorificè loqueretur, defectus excusaret, cuncta cōponeret. Deindè, quòd si quid boni, iustiq; petebatur, vt obtinerent magnoperè curabat. Expectationem totius Prouincię mors abripuit. Scholastici nostri tum in litteris, tum in solidis virtutibus, & sui ipsorum victoria, se exercent egregiè. Ad agendum cum eis de rebus litterarijs concursus plurimus, non solum à minoribus Academię Collegijs, sed etiam à maiori, vt flos Academię, (sic dicitur) ad nos confluat. Theologiæ lectiones longè maiori scholasticorum numero frequētantur: concionum quoque fructus vberrimus decerpitur. Congregatio Virginis Anunciatæ pristino feruori iam nunc restituitur.

COLLEGIVM MVRCIANVM.

PRæter illa communia de concionibus, confessionibus, reliquisque ministerijs vtiliter obitis, Murciæ in Bacchanalib⁹, quadraginta horarum supplicatio cum Iubileo totam ciuitatem ad nos adduxit, illorumq; dierum licentiam in magnam sanctimoniam commutauit. Studia Grammaticæ, Philosophiæ, & Theologię felici pregressu, & numero florent. Reuerendissimus Epscopus multo ornatu, & carmine domi nostræ exceptus, actui Theologico præsens adfuit & argumentatus est. In templo nostro multa ornamentis & sacris imagini-

ginibus accesſio facta, & ſexcentorum aureorum eleemoſyna à pijs hominibus data. Corpus S. Ioannis Presbyteri, & Martyris ſolenni Religione, theca prædiuite collocatum eſt.

COLLEGIVM BELMONTENSE, ET Talabricenſe.

TAlabricę exceſsit è vita P. Ieronymus de Burgos, Profeſſ⁹ quatuor votorum; ex antiquioribus totius Prouinciæ, ſeptuaginta duos annos natus, ex quibus quadraginta quinq; in Societate vixerat. Et primò quidem multis annis, aut Rhetoricam docuit, aut fuit ſtudioſorũ Præfectus; exindè in varijs Collegijs Confeſſarius aſsidu⁹ tam noſtrorum, quàm etiam ſecularium, & rerum ſpiritualium Pręfectus egregius, ſi vll⁹ alius. Fuit quoque huius Rector Collegij, ac demum vndecim annis noſtrorum Confeſſarius, & externorum, in quo munere infatigabilis, adeò vt vltimo iam morbo oppreſſus, nos quoque adiuuerit Iubilei cauſa ad confeſsiones audiendas. De huius Patris virtutibus eximijs ſi eſſet habenda ratio, longam texere telam oporteret. Tota Prouincia teſtis eſt, quod vixerit planè irreprehenſibilis, vt tam domi, quàm foris vir ſanctus omnium ſuffragijs appellaretur. Perfectus ſanè vir, qui verbo non offendebat, quem nemo murmurantẽ, nemo detrahentẽ audiuit vnquam, eodem ſemper vultu, vt videretur immutabilis. Præter orationem matutinam omnib⁹ nobis communem, alteram quoque ipſe veſpere ſemper in oratione ponebat; quòd ſi occupationes permitterent,

rent, multas etiam diei partes in templo coram Sanctissima Eucharistia deuotissim⁹ cõsumebat. Cum verò de rebus spiritualibus pro ratione sui officij ad Patres & Fratres loquebatur (in quo sanè omnes boni Præfecti partes expleuit) omnes ad benè agendum inflammabantur, quia palam erat, nihil aliud ipsum docere quàm faceret. In summa; obedentiæ studiosissimus, cumque ab omnib⁹ sanctus esse, atque perfectus crederetur, ipse sibi ipsi abiectissimus, quam calcabat, terra ipsa sese arbitrabatur indignum, in eius funere, quam charus esset omnibus, totius populi, & virorum Principum lacrymæ declararunt, qui ad eius manus osculandas certatim accurrerunt.

COLLEGIVM OROPESANVM.

Oropesæ confessiones, & communiones permultæ; quippe præter indigenas, ex vicinis populis ad nos plurimi Sacramentorum causa confluunt. Homo quidam claudus, ac totis artubus impeditus, morboque grauissimo, reptans potius, quam deambulans, ad deuotissimam imaginem B. Mariæ de Guadalupe tandem peruenit, voto se obstrinxit, totius vitæ generalem confessionem esse facturum, quam totos triginta annos pudore obstante, non integram fecerat, delictis grauissimis silentio contectis. Statim atque votum emisit, repentè sanus factus est, vt deambularet, atque etiam curreret, toto populo inspectante, & rei miraculum obstupescente. Accessit ad Sacerdotem confessurus, & iterum deterritus verecundia,

pec-

peccataquædam grauia silentio premit. Vix dum à confessione surrexerat, & ecce manus Domini super eum, pristinoq; morbo, & languori restituitur, vt etiam peius haberet. Tunc demum ad nos venit, peccatorum sarcinam omnem lacrymabundus deposuit, & sacra Eucharistia percepta, rediјt iterum ad B. Mariæ semper Virginis imaginem, quo tamen euentu, hucusque scire non potuimus. Alter quoque Sacerdos annos decem & nouem, grauissimis sceleribus irretitus, & sacrilegiјs plenus, in maximamque miseriam, morbum quoque grauissimum ob sua peccata prolapsus, statim atque apud vnum ex nostris, peccata, quæ diu celauerat, confessione detexit, melius habere cœpit, & ferè repentina valetudine confirmat⁹, quasi miraculo fuit.



LITTERÆ ANNVÆ PROVINCIÆ ARAGONIÆ ANNI 1608.

NVmerauit hæc Prouincia in domicilijs 14. Socios 401. in Domo Professa Valẽtina 40. in Collegio Valentino 47. Cæsaraugustano 40. in Gandiensi 33. in Barcinonensi 37. in Balearico 38. in Domo Probationis Tarraconensi 52. in Gerũdensi Collegio 30. in Bilbilitano 16. in Turiasonensi 13. in Vrgelitano 11. in Illerdensi 13. in Residentia Oscana 6. in Perpinianensi 11. in vniuersum PP. 152, Scholastici 111. Coadiutores 138. quatuor morte amisit, pro his dedit Diuina prouidentia duos & viginti.

VALENTINA PROFESSORVM Domus.

ALuit hæc Domus 40. viginti Sacerdotes, ac totidem rei domesticæ Adiutores. Sublata seditio, quam certissimæ cædes consequuturæ videbantur. Milites 400. in oppido diuersari constituerant; contra oppidani illis omnino ingressum prohibere; quia alieno malo didicerant turbulentos, ac perniciosos esse. Vtrisque pręiracundia frementibus arma è manibus extorta, liniti etiam animi, in concordiamque adducti. Aureos octingentos amicorum liberalitas donauit: Ex ijs sexcenti ad ornatum templi, reliqui ad augendam bibliothecã sunt attributi. Leuatum etiam

iam æs alienum, quod coëmendis ædibus ad futuram ædificationem contractum fuerat.

COLLEGIVM VALENTINVM.

IN Valentino Collegio septem supra 40. fuere, tredecim Sacerdotes, è quibus quinque magistri, & duo Theologiæ scholasticæ, vnus positiuæ, alius moralis, postremus Philosophię, scholastici 20. Tredecim Theologię, 7. Philosophiæ, Coadiutores reliqui. Vellicabat alibi Societatem in circulo qui minus debebat: Exprobrat Curio mẽdacium, palamq; ostendit, quã dedeceat hominẽ religiosum calumnia: opus esse reuocet orationem. Ille subita reprehensione perculsus, pedem referre, memor esse modestiæ, seque semel iterumque purgare, rem Curio ad nostros defert, illi subridẽtes, amamus, inquiunt, te patronum nostrum; sed vide, an melius per patientiam vincamus: lenitatem admiratus Curio, Societatem amare tunc cœpit; cuius antea non erat amantissimus, nec tantum amare, sed ab ea petere exempla virtutum, quæ imitetur. Eodem ipso tempore 1300. aureos nobis legauit fœmina lectissima, quo ducentorum reditus vnius è nostris morte amiseramus. Alia ad augendam sacram supellectilem addidit quinquaginta.

COLLEGIVM CÆSARAVGVstanum.

CÆsaraugusta 40. numerauit, Sacerdotes 20. è quibus duo conscientiæ causas pertractarunt,

quinque Fatres auditores, cæteros Coadiutores temporales. Tres in hoc Collegio mortalitatem exuerunt. Antonius Rada Coadiutor temporalis, qui cum sedulam nostris ægrotis diu nauasset operam;in eoque munere præclara dedisset documenta charitatis: fastigium imposuit per patientiam magni diuturnique morbi, quo ad vitæ finem afflictus est.Hunc sequuti sunt duo scholares Adolescẽtes, Emilianus Vbau,& Gaspar Sancius, qui & ipsi alacres, suique victores ad cœlestem patriam euolarunt.Et quidem Emiliani vita in Societate breuis, trium nempe annorum;sed quæ conferri cum diuturna,atque optima multorum Religiosorum meritò posit, nempe vt scintillæ, virtutes eius, magis dum extinguuntur, fulgent. Extrema ægritudine concussus religionis animus, clariores iecit virtutum radios: Patientiæ virilis,cum in graui molestoque morbo ne leuiter quidem commoueri,vel affici visus est; sed in summa æqualitate, nec duris se mollem, nec delitijs obsequentem præbuit. Medicus certe,& qui curabat eius valetudinem,propenso in eum animo crebrò interrogantes, num quid expeteret ad gustum,vel voluptatem:Hoc tantum respondit, quod mihi conducere videbitis. Eius animi candorem indicabat totus corporis habitus ad modestiam compositus: eiusque compositionis in hoc præsertim morbo asidua, vigilansque custodia. Cum optatũ sibi migrationis tempus adesse cognosceret, alacer ad superiorem conuersus, quasi Misionis veniam petens: Abeundum nobis est,Pater,ait,atq; in his verbis Iesum Mariam identidem apellans, sanctiſsimè ac placidiſsimè moritur.

COL-

COLLEGIVM GANDIENSE.

IN Gandienſi agro egere tres & triginta, vndecim Sacerdotes, inter quos vnus liberalium artium curriculum ſeptem ſcholaſticis noſtris demonſtrabat. Duo item ſcholaſtici grammaticæ præceptores, alij Coadiutores. Geminato Philoſophiæ Magiſtro aliquid hoc anno additum Academiæ ſplendoris. Deſignatus etiam eſt, qui priuatim humanioribus litteris Marchionem vnum Ducis hæredem inſtituat. In varias Religioſorum familias ſeptē emiſit, duos in noſtram ad miſit. Non erit ingratum filijs de B. P. etiam nunc cognoſcere, quod ſuperioris anni litteræ non dixerunt. Illuſtriſſimus & excellentiſsimꝰ D. Patriarcha Antiochenꝰ & Archiepiſcopus Valentinus, & D. Laurentius Galatinus Mongiꝰ Epiſcopꝰ Mineruienſis, Inquiſitores à P. M. deſignati virtutum ac miraculorum Parentis noſtri, venêre in hoc opidum. Vbi examine ex ſententia peracto, idem ipſe Archiepiſcopus voce atque exemplo Gandienſium animos in illius cultum & religionem ſatis propenſos, mirum eſt quantum inflammarit: nam in templo maximo orationem habuit elegantem illam & grauem de laudibus Societatis, eiuſque fundatore Ignatio: in qua quidem ſapientia cum pietate, pietas cum beneuolentia certauit. Verba profecta eſſe ex animo oſtendit, cum ad B. P. aram nouemdiale ſacrificium peregit: eique in diſceſſu pignus ſuæ pietatis, Chriſti Cruci affixi effigiem præclaram ex argento, in Cruce & baſi argētea dono dedit. Ex hoc Religio-

nis fonte riuus emanauit in B. Ludouicum Gonzagam, dignam tali parente prolem: cuius etiam ara, quæ in nostro visitur, frequentari & piorum votis consecrari cœpta, nam pro seruato filio honesta fœmina votiuam ex eadem materia statuam donum obtulit. Rei librariæ & sacræ vnius è nostris prolixa benignitate, magna accessio facta est.

COLLEGIVM BARCINONENSE.

Recensuit Barcino 7. supra tricenos, 16. Sacerdotes, horumq; binos Theologiæ Scholasticæ Mgistros, scholasticos nouem, 12. Coadiutores.

Vir primarius Dertusæ. Ecclesiastica dignitate præditus nostrorum animaduertit industriam atq; constantiam in proximis iuuandis, tenera præsertim ac rudi ætate Christianæ Religionis elementis informanda, ita captus est, vt statim de Societatis fundando Collegio cœperit cogitare: atq; ad hanc rem Societatem bonorum suorum hæredem instituit, quorum summa est quindecim millia nummûm aureorum. Ausam missi etiam duo, qui in ea vrbe, vicinoq; agro Reuerendissimi Episcopi Ausetani rogatu perpetuam instituerant missionem, his alijs, atque alijs succedentibus. Optimo enim & commemorabili pietate prædito Antistiti, benignissimoq; Societatis patrono mos gerendus fuit, quem non magis Antistitem, quàm nostræ familiæ alumnum possis appellare, in cuius vita expressam nostri instituti imaginem liceat intueri. Barcinone aliquando transiens, auidus religiosæ quietis, & hu-

manas aſpernatus delitias, maluit nos, quã ad viros primarios à quibus inuitabatur, diuertere: ibi interpellatus clamoribus vicinarum ædium, noſtrorum conſulens quieti, ducẽtos aureos dedit, vt emerentur. Helnenſem Epiſcopatum pro Auſetano commutauit, patriam, cognatos, amicos, cum ijs loci ſalubritatem deſeruit, noſtris inuigilans commodis, vt nimirum Minoreſſam, quæ in Auſetanis eſt, atq; in ea ſpelunca præclaris B.P.N. Nobilitatem Auſpicijs, magis ipſe fundato Societatis domicilio illuſtraret. Iamque in eam curam ipſe, alijque incumbunt: nam tamdiu expetitas ædes, Xenodochium olim, & B.P. hoſpitium, coëmptas ære publico nobis ciuitas benignè donauit. Ad hæc vir Nobilis è clariſsimo B. Ioannis Ordine equeſtri, trecentos quinquaginta aureos quotannis redituros adiunxit, ita propediem ſperamus fore, vt ibi Societas ſedem habeat, vbi nata eſt. Et verò Beatæ illius ſpeluncæ tanta eſt Religio populorum, vt è diſsitis etiam locis frequentes adſint peregrini, conſtante miraculorum fama exciti. Inter hoc placuit Duci Montis leonis totius Labetaniæ, hodie Gotholaniæ Proregi cum matre; atque vxore lectiſsimis fœminis, eam ſua præſentia religiosè cohoneſtare. Venit ètiam voti reus vir Nobilis Eccleſiæ primarius nudis pedibus, decem leucarum itinere confecto. E noſtris vnus in ipſo ſpeluncæ aditu Religionem cultumque ſenſit, quod ferè omnibus vſu venire ſolet vt cœleſtem hauriant animo lætiam, lachrymis præ gaudio ſæpè obortis.

In noſtræ Scholæ viridario lectiſsimi viſũtur flo-

res, ex quibus varios in Areolas suas variæ Religiones legerunt: nos tres in nostram; plures lecturi, cum se magis aperient. Duos sibi ex eadem Deus, Ioannem Paulum de Vinatione Gotholanum: verè florē, nam in medio Theologiæ cursu vigesimum septimum agebat annum, cum excisus est, dignus longiori æuo, in nostra Societate decimum. Humaniores litteras cum laude docuerat; nec tantum hac docendi peritia præditus erat, sed peritiæ concionandi, & gubernandi specimen præferebat. Captus Societatis desiderio, ad studia litterarum animum appulit, in quib⁹ breui amore stimulante naturam, eximios fecit progressus; nec ferēs desiderij magnitudinem, votis se ex nostra formula obstrinxit. Eminebat in eo facilitas & māsuetudo, in moribus candor, veritas in dictis: quibus artibus mirabilem se alijs, amabileq; prębebat, quem vnquam vel verbo læsit, vel lædentē libenter audiuit? quanta in verbis cautio? quanta in factis constantia, atq; dimisio, quāta in omnibus obedientia, & puritas? disquisitionis sui vnius, atque alterius vsum constātißimè retinuit. Cum in extrema vitæ linea constitutus omni sensuum vsu ad speciem careret, visus est reuiuiscere, nouasq; vires sumere, vt corpus ad modestiam componeret, quod casu nonnihil nudatum fuerat. Affirmauit Confessarius, non rarò recurrendum ei fuisse ad vitam superiorem, quod recentes noxæ deessent: eundemque, quod paucis concessum est, primam gratiam nunquam amisisse: id sibi ex integra vitæ totius expiatione, quam exactè, vt se ad mortem pararet, instituit, compertum exploratumque esse. Florem alterum legit Deus à nostro

noſtro viridario, Franciſcum Clariana Sacerdotem, clarum huius Collegij lumen, clarum gente, & naturæ dotibus; vita & moribus clariorem, quem cur ego noſtrum non appellem, cum quinquaginta annos Societatem, non minus quam nos ipſi, adamarit, auxerit, illuſtrarit, vitæque actionibus expreſſerit? Annon magnum aliquod eſt, orandi contemplandique vſum nunquam intermiſiſſe? quotidiè in noſtro templo ſtatis horis ſpatio quadraginta annorum operatum fuiſſe? Eccleſiaſticos honores & Sacerdotia repudiaſſe? Hūc æmulantur Sacerdotes duo, vnus genere, alter doctrina nobiliſsimus, pares pietate & contemptu rerum humanarum. Proregis autem ſtudia atque officia nunquam deſiderauimus, quò leuius fuit quoſcunque inuidiæ impetus ſuſtinere. Iam verò Illuſtriſsimus Epiſcopus nullum erga Societatem officium hominis amantiſsimi prætermittit, quòd crebris eleemoſynis, quibus inopiam noſtram ſubleuat, tum maximè in cauſa B. P. N. tractanda atque vrgenda diligentiſsimi, integerrimique Iudicis functus munere, apertè planèque monſtrauit, ac pro eo R. P. G. litteras miſit, quibus eum participem ſpiritualium Societatis bonorum faciebat: quam ille communicationem tanti fecit, vt Epiſcopatui anteferre non dubitauerit. Templum eleganti eſt auctum ſacrario: ſacrarium pegmate eximij operis liberalitate Nobilis fœminæ inchoatum, ad eam rem centum quinquaginta aureis attributis.

COLLEGIVM BALEARICVM ET Domus Probationis Tarraconensis.

IN Balearium Insula duo de 40. degerunt, 15. Sacerdotes, è quibus duo Præceptores, alter Moralis Theologiæ, & Philosophiæ alter, ille vnum, iste sex Scholasticos edocuit; reliqui domesticis officijs occupati. Magistratus cum fames totam Insulam miserè affligeret, nostri Concionatoris hortatu diuinam opem implorandam curauit: vix dictum ac factum, cum adfuit: septem enim naues in portum ingressæ, tantam frumenti copiam inuexerunt, quanta satis fuit præsenti malo propulsando, proque beneficio in vrbanos paganosq; pauperes, eiusdem suasu bona pars liberaliter diuisa: summa fuit centum quadraginta modiorum millia. Mauri non pauci Christianis institutis à nostris eruditi, Christo se addixerunt. Iam pietas ciuium erga Parentem nostrum noua miraculorum accessione quotidiè augetur, verè, vel hoc nomine, fortunatam Insulam, quam sibi Ignatius caram esse ostendit! an non etiam in filios hæc pietas eximia? cum Collegij ædificatio, durissimo licet anno, quam angustiæ rei familiaris tetardarat, multorum liberalitate promota est: ad eamque aurei sexcenti supra mille donati: auctum etiam sacrum instrumentum diuite veste nobilis fœminæ, æstimatione trecentorum aureorum: totidem & quinquaginta ab alia lychno conficiendo ex argento, qui pendeat in sacello B. P. N. vestis etiam Sacerdotalis, taber-

tabernaculique ornatus ex auro textili, cuiusdam donum fuit. Duarum verò quinquaginta aureorum vectigal ornando templo. Sacra tabula paratur Aræ maximæ operis pulcherrimi, atque im mensi. A varijs hoc anno aurei ducenti supra millenos liberaliter collati ad sustinendos sumptus, & ad constructionem tabernaculi quingenti.

DOMVS PROBATIONIS TARRAconensis.

HAbuit hoc anno Tarraconense tirocinium 52. decem Sacerdotes, Nouitios 35. secundæ, ac duos tertiæ Probationis, cæteros Coadiutores. Neque nobis defuit pietas multorum, quorum liberalitas holosericos Sacerdotis amictus tres cum antipendio donauit. Neque hoc tantum; sed vt domicilij angustiæ sex ædificatis cubiculis, laxarentur, affectum.

COLLEGIVM GERVNdense.

GErundæ triceni versati sunt, 10. Sacerdotes, ex his tres Præceptores, vnus scilicet Philosophiæ, biniq; Grammaticæ vnâ cum Scholastico inferioris Classis Magistro. In Humanitatis & Latinæ Græcæque linguæ plantario 12. Scholastici fuêre, cæteri in sua quique munia distributi. Latinitatis Scholæ steriles sunt, nec diligenti Magistrorum labori fructus respondet: qui in tanta discipulorum paucitate, in tanta offensione, eximius

esse

esse non potest: quæ tantò molestior nobis hoc anno extitit, quantò tectior aggresſio fuit, & quia aperta vi Gymnasium nostrum delere ac funditus euertere non potuerunt; occulta aggrediuntur, multa confingentes, vt bonum Magistrorum nomen obscurent, atque dedecore, infamiæque notis obruant, & vt steterit, diuinæ prouidentiæ tribuimus: & secundum hanc amori & beneuolentiæ, optimi amantisſimique Antistitis, cuius studia atque officia nunquam desiderauimus. Is litterarijs exercitationibus lumen, vitamque restituit: effecitque auctoritate sua, vt illas Canonici, Religiosiq; viri frequentarent, cohonestarentque, quod intermiserant rogante Magistratu, illusis suam sortem dolentibus. Ex quo etiam fit, vt minus grati, vtilesque sint Gerundensibus reliqui nostrorum labores; neque propterea illi quidquam de conatu suo remittunt; quin nouos sumunt animos, vt veteratoris artes artibus suis fallant: atque vt intelligant ciues, altas mentes, spretis humanis, alta sempiternaque spectare. Ergo certatim varijs Christianæ fidei dogmata imperitis explicare, diuini verbi semen in templis, in foro, custodia, Xenodochio spargere, reliquos consilio, prece, ope adiuuare, nec tñ infructuosè. Ægrotãti cuidam bufo prodigiosæ magnitudinis obijcitur, qui circum lectum vel mouebatur, vel scintillantibus in eum luminibus miserũ minaciter terrebat, quid faceret? ad Deum confugit, preces ex imo pectore fundit: quo telo monstrum semel, iterumque fugat, iratum Deum sic timet, vt de placando solicitè cogitet, quare flagitiosisſimam vitam detestatur, deflet, apud nos re-

retexit, nouamque orditur. Adoleſcens magna animi conſtantia ſibi aditum in Societatem patefecerat; ingratus, cum dæmoni defectionem ſuadendenti aures, manuſque dediſſet, tirocinium deſerit, prætendens corruptum ſe, & penè coactum in religionem veniſſe, pauperemque matrem deſeruiſſe, ergò dimittitur. Impudentiam non tulit Deus: vix enim pedem intulerat in maternas ædes, cum elatus eſt, nunquam rediturus.

Templi ædificatio, quæ proximo anno cœpta eſt, procedit: nam primarium ſacellum hoc anno abſolutum eſt. Deambulationibus additæ ſcalæ, ijs cancelli ferrei liberalitate Fundatoris, opus ſanè eximium, quod aureis quadringentis minimum æſtimatur.

COLLEGIVM BILBILITANVM ET Turiaſonenſe & Vrgelenſe.

Bilbilim incoluêre 16. nouē Sacerdotes; quatuor Latinitatis Profeſſores, duo nimirum Sacerdotes, ac totidem Scholaſtici, Coadiutores quinque. Benignitatem B. P. N. Sacerdos noſter expertus. Is lethali febri correptus, eius lipſana ſibi adferri poſtulat, adlata religiosè adorat, vouet certas preces: ab eo tempore melius habere cœpit, breui conualuit. Similiter aliuš in extrema vitæ linea poſit⁹, mirantibus medicis ſanatus eſt. Scholæ cum vetere Sodalitio nihil de robore ſuo perdunt. Decem varijs Religioſorum Ordinibus, vnum noſtro pepererunt: cæteri interim expectant. Inſtitutum

hoc

hoc anno opificum Sodalitium ſub nomine Virginis Conceptæ, nec inſtitutum ſolum, ſed primario aggregatū. Auſpicia fuêre certiſsima, ſiue numerū ſpectes alumnorū: ij fuêre centum & quinquaginta delecti, & in album relati: ſiue feſti celebritatem à templi ornatu ſplendidiſsimo, à muſicorum concentu, à flore nobilitati, ab Illuſtriſsimi Antiſtitis præſentia & pietate, à quo noui Sodales magnifica pompa diuino pane fuêre refecti: deindè etiam laudati ac confirmati: ſiue denique ab eorundem ardore animi, quem mirantur, & prædicant vxores, cum ſic mutatos viros vident. Multus ſim ſi caſtitatis, patientiæ, & religionis triumphos, perſequi velim, Deus tenera germina firmet ac foueat. Tandem ſe ædificium noſtrum ex parte erexit, oſtenditque iam pulcherrimam faciem, opus in quo elegantia cum firmitate certat; & dignitas quædam inuidenda; infima pars atrio atque Gymnaſio, media quindecim cubiculis, ſumma amæno proſpectui ambulationique tributa.

Solum Turiaſonenſe 13. ſuſtinuit, 6. Sacerdotes, tres Humaniorum litterarum Magiſtros, vnum quippe Sacerdotem, & Scholaſticos duos, reliquos Adiutores.

Certat B. P. N. multitudine miraculorum cum Turiaſonenſium pietate, dicam vno verbo: eius patrocinio quinque à certo mortis diſcrimine fuiſſe ereptos: fœminam vnam Pleuritide, duas epilepſia liberatas. Filiā mater paralyticam in noſtrum Collegium adduxerat: poſtulat reliquias B. P. ſibi, filiæque adorandas afferri, reſpondetur domi non eſſe; ſubtriſtis illa, ſed plena fide in preces ad eius

aram

aram effusa, discedit. mirum dictu, eo ipso die filia sanata est.

In Vrgellensi Collegio vndecim è nostris conuixerunt; quinque Sacerdotes, vnus tantum Scholasticus, qui externos Grammaticæ arte imbuebat, reliqui temporalibus exercitationibus destinati. Fundator Illustrissimus nullum de nobis merendi finem facit, septingētos ferè hoc anno nummos aureos donauit: quibus ædificatio Collegij bona ex parte perfecta est. Aucta etiam est res sacra ferculo Sanctissimæ Eucharistiæ ex argento inaurato, & Cruce ex ebeno argento artificiosè inclusa, argenteisq; iconibus insignita, tabula item B. Andreæ eleganter picta, eiusdemque statua ex eadem materia, vt minora alia ornamenta prætercam.

COLLEGIVM ILERDENSE.

TRedecim pauit Ilerda. 7. Sacerdotes, è quibus vnus erat Præceptor Latinitatis, quam etiam duo nostri Scholastici suis in exedris tradebant; Coadiutores 4. Scortator insano cupidinis œstro furens, malè Patrem fustibus accipere decernit, it, reditque sæpè in Collegium multis noctibus, vt in eum, vel alium quemlibet Societatis fortè egredientem impetu ruat, moræ tandem impatiens, actusque intemperijs, in Collegij fores sæuit despumatq; iram ferox. Exprobrat, qui aderat amicus factum: caueat Dei vindictam; vana non fuit comminatio: etenim post paucos dies, is ipse raptus in custodiam, & capitis supplicium est (quod alterius omen fuerat) nostris piè prosequentibus,

E &pro

& pro iniurijs multa Christianæ pietatis officia rependentibus, ille pudore suffusus, luget superiorem vitam, & illatam nobis, inquam nobis in se sic benignis, iniuriam, etiam atque etiã accusat. Scholastici nostri pari cursu ad pietatem, doctrinamque feruntur, duo ex ijs ingressi in Societatem, ex Academia item alij duo. Crescit autem numerus cum existimatione Scholarum crebris exercitationib⁹, quibus nostri Magistri valde se probant ciuitati: tum etiam iudicio atque auctoritate Gymnasiarchæ, viri non minori pietate, quàm sapientia præditi, nostræque Societatis amantissimi: is designatus Episcopus Perpinianensis, stipulari noluit, nisi nostro Sacerdote, cui⁹ iudicio stare maluit, quàm suo rem tantam definire, suadente, meritò cautus in præcipitio.

RESIDENTIA OSCANA.

OScanam Residentiam terni Sacerdotes ac terni etiam Coadiutores habitarunt. Oscæ pro nostrorum paucitate satis strenuè laboratum est, cum potius illis occasio, quam ipsi occasioni defuerint: quare à consuetis Societatis officijs consuetum fructum retulere. Benignitas duarum sororum lectissimarum fœminarum in nostros indies illustrior extitit: nam annuæ eleemosynæ ducentorum quinquaginta aureorũ adiecerunt hoc anno calicem argenteum inauratum, pondere atq; opere egregium, custodiam Sanctissimæ Eucharistiæ ex eadem materia, & ornatum aræ duplicẽ ex veste damascena, præter minora alia.

RE-

RESIDENTIA PERPINIANENSIS.

PErpiniani recẽsiti sunt 11. sex Sacerdotes, quinque Coadiutores. Vsitata Societatis munera adeò hic non prætermissa, vt fructu certare possit Perpinianensis Residentia cum cæteris Collegijs. Duo nomen Societati dedêre: concionibus habitis, per Quadragesimam acriter pudicitia propugnata est: non modò mulierculis à turpitudine retractis; sed lupanari etiam, quod Magistratus erigere constituerat, ad eumque finem eleemôsynas cogebantur, expugnato. Nostri nascenti malo sedulò occurrunt, cõsules adeunt, damna, quæ indè in Rempublicam profectura sint, diligenter exponunt: nempè certam iuuentutis perniciem, crebras seditiones, rixas, cædes, à milite præsertim præsidiario: negantque talia prostibula hodiè frœnum esse libidinis. At relegatis in vnum locum his animorum pestibus, reliqua Reip. membra intacta, & incorrupta manẽt. Absit; contra est, quo magis copulantur liberius, latiusque quasi sumptis viribus, propagantur. Nam seminarium omnis impuritatis est. Videãt passim Respub. toto orbe diffusas, in quib⁹ hi Veneris fornices: & dicent. Hæc illi, atque alia in ventos effundunt. Nam Consulum aures Theologi occuparant, in quibus Religiosi aliqui non minimi nominis, a ſſerẽtes tales domos extruere, tantum non esse piaculum, sed op⁹ Religiosum, pium Deoq; gratum, atq; adeò Reipub. salutare, & omninò perficiendum. Nostri non despõdent animũ, sed Dei causam ei⁹ præconi defendendam committunt, Fecit ille tam disertè, tam aptè, tam arden-

ter, rei illi⁹ partim incommoda, partim violati Numinis licentiam detestatus, vt facilè fuerit populum à noxio præposteroq; conatu deterrere. Nec finis fuit, tantum refert primos impetus cohibere: nam Religiosi illi qui doctiores videbantur, minus Religiosè, minus pro status ratione decorè, aduersus nostrum Concionatorem contendũt; non modo opus pium, sanctum, Deoque gratum, sed litteris sacris, Conciliorum Patrumque decretis consonum, idq; obuijs quibuscunq; priuatim & publicè inculcant. Ad cumulum rem disceptandam proponunt; ad disceptationem de more conuocantes doctos, & primarios quosq; viros, è suggestu vnus populum ad spectandum inuitat: & per occasionem in Societatem amarulenta multa iacit. Aderat sacræ Inquisitionis Comissarius, is offensus hominis dicacitate, & quæstionis nouitate: simulq; veritus ne inde imperitæ multitudini daretur aliqua errandi occasio, cum non leui mutuæ charitatis iactura, grauissimè publicam, siue priuatam super ea re disputationem interdicit, deq; re tota pro ratione muneris, sacros fidei quæsitores admonet: aduersarijs frementibus sibiq; fieri iniuriam querentibus. Ergo Barcinonem aduolant causæ patrocinium suscepturi. Quis successus? tantum constat, ædificandi consilium magno ciuium bono & gaudio disturbatum esse, rem etiam probantibus nobisq; gratulantibus illis ipsis, qui prius aduersarijs adhæserant.

Quamuis multi calumniandi finem nõ faciant, arrepta pro libito occasione, bono Societatis nomini auaritiæ maculas aspergentes; plures tamen sunt qui

qui nos tuentur & diligunt. Inter hos Sodales nostri iure censentur, de quorum incitato studio ad pietatẽ multa dicere possem; sed in diuite ampláq; materia, potiꝰ videndum quæ omittere, quàm quæ dicere debeas. Vt tamen quæ sint de Sodalitio prudentium iudicia, quæue ex eo vtilitates capiantur, vno quasi aspectũ appareat; vnum vel alterum perstringam. Carolus Coloma summus in his Regni finibus præsidiorum limitaneorúmq; militum Præfectus, cuidam multa in congregationem, cuiꝰ ipse Præfecturam gerit, & nostrã Societatem mendaciter effutienti, ita respondit, vt veritas de mendacio triũpharet. Cum verò pergeret calumniator nomen Sodalis exprobare, quasi minus decorè in tantum virum caderet, si Rex inquit essem, Clarissime Carole, decem millium aureorum annuæ pensionis cum insigni aliquo ac specioso honore tibi donarem hac lege, vt Sodalitium desereres. At ego, mî homo, etiam viginti spernerem cum hoc onere, prolixoque addito sui Sodalitij & nostræ Societatis præconio, quam vnicè amat, tuetur, & fouet, lingualem illum ab se dimisit. Felices duorum Sodalium exitus satis reliquorum vitam commendarunt. Vnus humilis fuit opifex facilè cum viris perfectis comparandus, Religiosus in Deum, cuius mysteria meditabatur quotidiè, quolibet octauo percipiebat, aliquot horis contemplationi tributis: pius in alios: durissimus in seipsum, datum sitienti Christi calicẽ degustauit, in extremo morbo acerbissimos cruciatus, quàm æquissimo tulit animo. Alter Helenensis Canonicus, reconditæ & admirandæ sanctitatis vir: cui Deus in corde, in ore, in

 omni

omni opere,humana ſub pedibus. Apparuit, cum feria quinta ſanctioris hebdomadæ nudis pedibus templum religioſè luſtrauit. Quid ille in morte egerit, ex eius vita æſtimare quiſque poterit, nobis aureos nummos centũ legauit: cõgregationi quinquaginta, ac præterea tabulam egregiè depictam eiuſdem valoris. Alij aureos ducentos, vt minutiora ſileam: laxatum etiam fuit templum extructione maioris ſacelli.



LITTE-

LITTERÆ ANNVÆ PERVVIANÆ PROVINCIÆ, Anni 1608.



Vm multò maximam noſtrorum partem, tum in Paraquarios anno proximo ſuperiore deducta Colonia (quę iam Prouinciæ iure gaudet) tum etiam Granatenſis noui Regni ſemiprouincia, detulerit, mirandum ſane non eſt, longe minorem noſtrorum numerum extitiſſe. Verum dum hoc luſtro delect⁹ haberetur, octogeni octoni ſupra ducentos Societatis homines recenſiti, quorum centum ſacris initiati myſterijs, quinquaginta quinque liberalibus addicti diſciplinis, nonaginta ſeptem rei domeſticæ adminiſtri. Nouitij triginta ſex. Cenſet Limanum Collegium ſupra centum duodecim. Probationis Domus vnum & quinquaginta. D. Martini ſeminariũ decem. Cuſquienſe viceſimum alterũ. Potoſinum vndeuiceſimum. Todidem Ciuquiſacanum. Arequipanum quindecim. Cuiquiabenſe terdecim. Guamanguenſe ſenos. Iulis totidem. D. Iacobi ad Limam reſidentia ternos. Sancta Crux in Montanis ſeptenos.

COLLEGIVM LIMANVM.

Sacerdos cuidam ſtipem precariò corroganti palliũ, quo amiciebatur liberaliter elargitur, S. Martini æmulat⁹ exemplũ. Adoleſcens erat, qui

cum se iam olim assiduis febribus extorreri mirum in modum condoleret, eam hausit spem, vt si sanctissimæ Virginis cœtui adscriberetur, futurum aliquando, vt pristinam recuperaret valetudinem, nec spe deiectus; nam vbi primum eam inijt mentem, magna omnium admiratione status quartanarum circuit⁹ intermisit. His, alijsque exemplis haud ægre promouentur seculares homines, qui eiusdem sunt Virginis Sodalitio adscripti, vt tam sanctis vestigijs insistant, præcipue cum Marchio de Montes claros (non solum generis claritudine, verum quod caput est, virtute insignis) eorum se congregationi aggregare, & Sãctorum fortibus excipiendis voluerit interesse. Cum è nostris quidam Christianæ facundiæ laude præstãs, de eleemosynæ laudibus identidem verba faceret, tam grandem congessit argenti vim, vt ad paupertatem redactis occursum prolixe fuerit. Is cum è nostro templo diuinis rebus ad populum diceret, & effrenatas animi libidines compescendas persuaderet, Hispanum hominem in peccato impunè se volutantem, sic flexit, vt extemplò in genua prouolut⁹, nil vnquam simile perpetratu-rum, per summam omnium admirationem sese voto devinxerit. Alter cum se molestia, tristitiaque subigi animaduerteret, nec causam facile deprehenderet, è nostris cõscientiæ iudicẽ adijt, qui cuncta sic hominem mæstitudine liberauit, vt illius allocutionibus acquieuerit. Dum hæc nostris summam pariunt voluptatem, nescio quam Patris Frãcisci Zamorani ab humanis discessus tristitiam creârit. Is Hispanus ortu in liberalibus artium disciplinis magisterij laurea donatus, & ad Sacerdotis apicem,

qua

erat pietate & religione, meritissimò euect⁹, ad nostram Societatem animum appellere nimiopere curauit; sed cum viduæ matris, ac deplorabundæ precibus attineretur, nescio quid obtendens Montellã iter arripuit, nostrisq; adscriptus Deo cœpit liberi⁹ operari. Cuius, vt alias omittam artes, quibus quatuor solemnia Societatis vota meruit nuncupare, præcipuas tres Religiosorum sic excoluit, vt dum acriter sibimet imperat, multos alios longissimo post se interuallo relinquens, ad perfectionis apicem peruenerit. Mira hæc humanarum rerum obliuio orationi viam illi patefecit, qui quot diebus non solum statam orationi cum reliquis horam, verum multo mane vigilans integram aliam tribuebat. Summæ voluptati habebat etiam tum, cum in lecto grauiter affectus decumbebat, difficilimis rebus obtemperare: rogat⁹ enim verum Icam vellet (terra est vini feracissima, vbi è nostris duo agriculturæ nauant operam) ille, quæ erat obedientia, decernat, inquit, quod sibi P. Rector collibuerit; mihi enim nil erit antiquius, si grauiter laturum putarem, quàm Deum impensè orare; vt hanc mihi mentem vellet inijcere. E vitæ denique statione decessit, cum tres ipsos annos grauiter ægrotasset, in quibus ita se gessit, vt ad eius exemplum sese nostri componere meritò debeant. Sed excipiat filium Ignatius parens per hæc tempora miraculorum laude præfulgẽs, qui quidem secundum quietem seculari Sacerdoti grauiter affecto, sese visendum exhibuit, & dum occultis motibus ad rectum salutis iter hominem inflammat, vt se Sacerdotum congregationi addiceret, persuadet, paruit, & facta

est senescentis morbi insperata remissio. Cilcam oppidũ Indorũ incolit gẽs, ibi forte fortuna Sanctissimi Parentis inuentã imaginẽ oculis glaucomate laborantibus homo Peruuianus imposuit, & quamuis vel Ignatij nomen ignoraret, nulla iam oculis lippitudine vitiatis ex toto sanitas est restituta. Hęc aliaque miracula in causa fuêre, vt sumptuosissimum illi hoc anno sacellum magnis sumptibus extrueretur.

DOMVS PROBATIONIS.

VIta cessit frater Iosephus Serranus; vixerat in Societate mensibus duodeuiginti, virtutibus, vt per tempus licuit, impensè deditus; nam summa ope se præstare cæteris semper studuit. In Societatem adscriptus nobilis adolescens, cui iampridem Deo militãdi cupido incesserat. Is cum à Societatis instituto nonnihil abhorreret, sacris de more exercitationibus expolitus, nostram inire viuendi rationem enixè curabat. Verum vbi primum parẽs inaudiuit (aberat enim ab hac vrbe tridui) præstò est, Martinianum Collegium, vbi Adolescẽs degebat, iam se intendẽtibus tenebris, adijt, in amicique personam migrans, adolescentem orat accersi, quem vt primum vidit, operarum auxilio domum deduxit, ibi veluti compactus in carcerem valida custodia attinebatur, sed ille elapsus multa nocte tirocinium adijt, vbi à nostris benigne exceptus, Parens filij constantiam miratus ab incepto destitit.

SEMI-

SEMINARIVM DIVI MARTINI.

CEntum & octoginta (aut plus eo) bonę indolis adolescentes, qui ex dissitis Peruuiani Regni partibus huc confluunt, à nostris ijs artibus imbuuntur, quibus puerilis ætas solet informari. Sodalitium est Angelo Custodi consecratum, adsciscuntur pueri, & id ferè ætatis alij, qui virtutes (vt in istam cadit teneritudinem) adepti ad sanctissimæ Virginis Lauretanæ congregationē (vt ipsius legibus sancitur) gradum faciunt. Omnes octauo quoque die peccatorum expiant sordes, publica valetudinaria, non solum Dominicis diebus, sed quoties est à litteris otiū, inuisunt. Singulis Sabbathis vespertinæ preces vnà cum D. Virginis Lauretanæ supplicationibus pręcinuntur, dein propitiandi æterni Numinis gratia, per semihoram sese tacita precatione in diuinas laudes effundunt. Qui omnium dignior habitus, is domesticum valetudinarium ad mensem multò sibi habet commendatissimum. Omnes sexta feria semel in hebdomade, per dies Aduētui Dominico sacros iterum, ipso Cineralium tempore tertiùm, inferiores animi vires voluntaria diuerberatione coercent. Res litteraria æque procedit, nam statas exercitationes summa cum laude sic obeunt, vt Martinianum Seminarium, quà virtute, quà litteris, reliquis omnibus præluceat. Vsque à Maio enim mense elapsi anni ad hoc tempus, duo & viginti ad diuersos Religiosorum Ordines animum appulere. Sub noui Proregis ingressum à Collegis quinquaginta castissimi

mi Iosephi historia acta est, quæ sic omnibus extitit probata, vt vix possem' è gratulationibus eminere.

RESIDENTIA DIVI IACOBI AD Limam.

NVllus à nostris in iuuandis indigenis desideratus labor, hoc enim anno (vt cum maxime) ad omnem pietatē imprimis gens dedita fuit. Imminutus quidem Inquilinorum numerus, sed non item Christiana pietas: Turrim enim, cui nouum æs campanū impositum, proprijs sumptibus exædificarunt, quæ quassato terræmotibus templo, ac proinde ruinam minitanti subsidio fuit. Sed non solum sarta tecta præstiterunt templa, verum quod prius potiusque ducimus, Euangelicos Oratores proprio idiomate identidem monentes tanto cum emolumento audiunt, vt eorum multi peccatis confessione depositis, cœlesti fuerint conuiuio excepti.

COLLEGIVM CVSQVIENSE.

QVidam libidine infamis, cum se in prealtum flumen egisset præcipitem, non citra miraculum littus nactus, incolumis euadens, totius vitæ flagitijs sacra confessione expiatis, æternæ incolumitati consuluit. Quidam iam ocies se collo in laqueum inserto, suspendio vitam finire statuerat, sed vxoris (quam nactus est cum primis Religiosam) precibus emollitus, ab incepto destitit. Discursum per vicinos pagos, vbi palantes Indorum greges ab idolatriæ saltibus ad læta Christianæ fidei pascua traducti quam plurimi. Sacerdos noster excelsum

celsum lapidem antiqua Religione nobilem, in quo ad Orientem obuersa gens (dum vanæ Religionis deliramenta sectatur) dæmoni victimas mactare assueuerat, demolitus, Crucis trophæum effusa ad expectationem Indorum multitudine erexit. Inde ad celebre Ingarum Valneum ventum, quod si oculis auderet gens contingere, ingens erat à dæmone dirarum iniecta formido, & sub idem tempus, dum intentis oculis Valnei lapides Indus intuetur, exanimatus corruerat. Id piaculari aqua, solemnique precatione lustratū est, indictaque supplicatione Religioso tripudio propter Valneum Cruces pactæ. Dissipatus iste nostrorum rumor fœminam, quæ in turpi pellicatu quinquaginta annis iacuerat, sic erexit, vt per summā omnium admirationem ad bonam frugem traducta repente redierit. Nostrorum facultatibus magna est accessio facta, qua multa soluta nomina. Vixit in hoc Collegio Pater Ioannes Fernandes, degerat in Societate annis octo, qui ad Peruuianam linguam sic animum appulit, vt non vulgares inde fructus percipiendos putaremus.

COLLEGIVM POTOSINVM.

QVando quadraginta horarum Iubileum celebratum est, lubido erat cernere gloriæ nimiopere deditos milites, pecuniæque mancipia (quorum vix potest iniri summa) non iam in lasciuiam, luxuriamque fluentes, verum ad omnē modestiam flexos, quorum illa erat constans fama, non iam hosce dies Bacchanalia, quin potius quadragesimalium dierum ieiuniū nuncupandos. Mira

operarum

operarum paucitas in causa fuit, vt ad argentarias officinas (vbi metallo operam nauant indigenæ præcipuè) misio relinqueretur affecta, verum tantæ Christianæ rei emolumentum imminutum dolens homo prædiues, ad has, aliasque excursiones obeundas vndecim ac septuaginta ponderum millia eleemosynæ nomine donauit, vt ex decem millibus iustum vectigal in misiones singulis annis impendendum constituatur, & quæ reliqua summa est, Bibliothecæ sacroque instrumento adscribatur. Orurus oppidum est, quadraginta leucas à Potosio distans, huc nouis argenti fodinis allecta gens vniuersa pene comeabat, cui vt auxilio forent è nostris misi duo, qui vitijs auri, argentique cupiditati præcipuè bellum indicerent.

COLLEGIVM CVIQVIABENSE.

GRassabatur inter huius ciuitatis principes viros inueteratum odium, & cum se conuitijs egregie tetigissent, eò perducta res erat, vt contraria factio aduersarium perditum etiam atque etiam vehementer optaret. Verum quamuis adactis ad vitalia telis, odio capitali disiderent, nostri Rectoris industria pristinæ sunt beneuolentiæ restituti.

Quidam prouecta iam ętate, cum sibi ex acutissimo morbo imminere mortem cognosceret, confessarium sibi in conspectum dari iubet, adfuit ille, qui cum morbum increbescere minime sentiret, bono esse animo hominem iubet, abitumque parabat (solemnes quippe agebantur feriæ, quibus adi-

aditum nobis in cœlum vindex Christus patefecit, & mira erat cofeſsionum copia) cum enixe ille orare, vt ſuæ incolumitati conſultum vellet, quando imminere ſib mortem animaduerteret. Nec falſus animi eſt; nam nondum ferè domo Pater pedem extulerat, cum iam de illo conclamatum eſſe inaudiuit. Vita defecit, cum totius vitæ maculas eluiſſet. Nec minus in alio enituit diuina præſenſio. Is ad bonam frugem ex corruptis moribus traductus, cum morbum quo affligabatur, nulla ſolueret medicina, humanis auxilijs diuina præuertens, multo mane noſtrum templum ingreſſus, exploratis per otium conſcientiæ latebris, cum Sacerdoti peccata aperuiſſet, ſacro munitus viatico, vbi primum domum attigit, corpore eſt ſumma omnium admiratione laxatus. Sed non minus fœminarum quàm virorum deprædicanda virtutum præconia. Hoc anno ingens templum exædificari cœptum, breui, vt ſperamus, ad faſtigium perducendum.

COLLEGIVM AREQVIpanum.

Conflictabatur aſsidua valetudine nobilis matrona (in tumore quippe magno annis quatuor fuerat venter) quæ cum ancipiti periculoſoque morbo hoc tempore præcipuè vexaretur, vt ſacro poſſet muniri viatico, cum ſibi mortem inſtare ambigeret minimè, retroactam voluit vitam confeſsione Sacerdoti noſtro detegere. Ille hortari, monere, ſubiret in mentem mira Ignatij ſignorum editio, nec ſibi elabi occaſionem

ſionem vellet, futurum fortaſsè vt Ignatij precibus ad ſanitatem perueniret: illa valetudinis deſiderio nil cunctari, quin potius ſacras Ignatii reliquias extemplò ſibi iubet afferri, cumque in lecto iaceret, obuerſata eſt ei ſecundum quietem humana ſpecie auguſtior fœmina, quæ in eam obuerſa, en adeſt, inquit, filius meus, qui recuperandæ ſanitati valida præbebit auxilia. Vidit ſubinde noſtrorum inſtar hominem, qui dum operam præſtiturum ſe illi pollicetur, monſtrum ingens manu oſtentans, hoc dixit, vbi primũ exalbuerit, è corpore emittes. Liberauit promittentis fidem euentus, nam cum vomitus ſubducendi cauſa, pharmaca neſcio quæ, aſſumpſiſſet, ingentem eiecit bufonem (quod & ipſa prædixerat) omnibus ſtupore defixis. Et cum ter eadem præſtans imago illa apparuiſſet, horrendum denique viſu ſerpentem vomitu ſtomachum ſolicitantem proiecit, & quæ depoſita, ac deſperata ab omnibus habebatur, iam confirmata, Ignatio valetudinem referebat acceptam. Verum neſcio quæ dubitatio ſcribæ, dum miraculum deſcriberet, cœpit ſuboriri, ſed repentè inſolẽti fulgore oculi præſtringuntur clariſsima circunfuſa luce papyro, demirari ac ſtupere primò; dein per otium contemplari illuſtrenè tectum ſoli locum præberet, cumq; rimas nullas (curioſè licet indagaſſet) deprehendiſſet, expertus didicit poſſe Deum ijs, alijſq; longè maioribus ſanctos ſuos illuſtres reddere.

COLLEGIVM CVIQVISACANVM.

Æqua, planaq; vallis Miſqui, nec non etiam finitimi populi peragrati vbi è noſtris quatuor, Hiſ-

Hiſpanis, & Indigenis operã, auxiliumque præſti-
terunt. Ex Cuiquiſacano Collegio Pater Emanuel
Ortega, & Hieronymus Villarnaus, in Chirigua-
nas expeditionem adornarunt. Perpetuo iugo in
accliues ſanctæ Crucis colles, porrecta gens eſt,
natura inhumani, ſtolideque feroces Chiriguanæ
ab Hiſpanis habẽtur. Barbara quidem gens, verum
dum reliquos oẽs deſpicatui ducũt, magnifice, glo-
rioſeq; de ſuis rebus prædicant, in quo nõ alio ſunt
ingenio, atque finitimi omnes, qui ſanctam Cru-
cem incolunt, quorum mores multi iam litteris
mandarunt. Terra valde paluſtris, vliginoſaque,
nam ſubiecta, & montium plana rubro flumine,
nec non etiam Pilcomaio latè ſtagnantibus allu-
untur. Hæc flumina Matagueies tenent, qui ſuam
Chiriguanis non ſolum locant operam, verum in
annum tributum ſimias, Pſittacosque decernunt.
Nulla colunt Deorum ſimulachra, vnum tantum
Tupan nomine Deum arbitrantur. Augurijs ta-
men ad inſaniam dediti ariolos, impoſtoreſque im-
penſe colunt. Deum nuſquam non eſſe, ac ſingula
procurare, nec non etiam mortalium ad vitam
reditus adduci non poſſunt, vt credant; nam iam
olim Pythagoræ animarum transfuſionem alte im-
biberunt, vnde Tygrés (in quos ſeſe indue-
re animas perſuaſum habent) occidere religio eſt.
Pro cenſu vxores habent, filios libentiſsimo animo
tollunt, non item filias, quas vbi primum vitales
carpunt auras, ſi inuenuſtæ ſint, per ſummam im-
manitatem occidunt. Hæc animorum inaudita ſæ-
uitia facit, vt de Chriſtiana ſuſcipienda religione
ſeriò Chiriguanæ cogitent; noſtri verò, cum nihil

proficere animaduerterent, mira cœli, solique inclementia affecti discessum maturarunt.

RESIDENTIA IN IVLIDE.

Viginti prouectaiam ætate, quique filios suscẽperant, luce animis immissa diuinitus, aqua tincti lustrali ad Christi se fidem applicuerũt. Caciquius quidam cum Christiana sacra egregrie percalleret, increpitis suorum moribus suadebat, monebatque identidem, præclarum sibi ducerent ad Iulidensium mores aspirare, sodalitium institue-rent, vbi liberius possent animorum incolumitati consulere. Facit per litteras certiores nostros, summisque precibus efflagitat, vt quando suorum initia tam bellè procederent, curarent ad eos quàm citissime iter arripere. Verum nostri cum in præsens impedirentur, spem sui aduentus fecerunt. Lacus est ad instar pelagi (nam reciprocos habet vndarum æstus) quem in octoginta leucas patere perhibent, longo euripo in vicinam se euomit paludem, hanc traijciunt annis singulis Indi, quorum est longè miserrima conditio, nam ad argentea metalla ducuntur. Hos nostri operiuntur, & à peccatis reuocant. Hoc anno præcipuè, nam ad ducentos per baptismum sunt ad Christianos relati, totidemque Catholico ritu nuptui traditi. Abijt è medio P. Petrus Delgadus, qui quamuis quadragesimum quintum iam vidisset annum, Aymaran linguam copia & varietate Græcæ per similem perdidicit, quam assequutus summa cum laude Societatis præcipua iniuit munia. Paupertatis fuit eximiæ, ac in seipsum durũ, seuerumq; se semper exhibuit.

MIS-

MISSIO SANCTÆ CRVCIS IN Montanis.

Vicina Indorum iniuimus oppida, qui dum Chane, & Gorgotoqui linguis de diuinis rebus loquentes arrectis auribus audiũt, functi sunt virtutum officijs, & pietati mercedem Deus repræsentauit. Vastabant segetes, maiziaque corrumpebant locustæ, adijt Patrem lachrymabundus indigena, segeti orat bene precetur, quod cum exorasset, in villam redijt: vidit dein confertissima locustarum examina cuncta depopulari, nõ autem illa quæ à Patre fuerant sancta benedictione affecta. Hispanos milites in Barbaros impressionem facturos nostrorum vnus à cæde, vastationeque cohibuit, eoque humanitatis venere Barbari, vt amplius centum & quinquaginta Christiana sacra susceperint. Obuios habuit Sacerdos noster infirmissima valetudine, affectaquẽ iam ætate indigenas duos, iacebant illi in gurgustiolo (cuius parietes arundine & luto factitati) iam iam animam exhalaturi, quorum vnus baptismate nondum lustratus, alter iam inde à pueritia per vitia pessumdatus, ea pœnitentiæ Sacramento non eluerat; vterque Christiana initiamenta à nostro edocti, ab hominum vita demigrarunt. Curat Chimborum, Chiquitorumq; Prouinciam vnus cum adiutore fratre Sacerdos, vbi ducenti, & septuaginta minimum, secundum Domini Natalitia, maximo quidem nostrorum labore sacra sunt aquâ tincti.

Adscribam Limano Collegio, quod Sacerdoti nostro è Quitensi Collegio Limam iter facienti accidit.

cidit. Debacchabatur atra quædam lues, quæ indigenarũ quamplurimos neci dabat: id vbi primum audit noster, oppidi Sacerdotẽ adijt, à quo lautè benignissimèque per summam humanitatem conuiuio exceptus, sed cum hominem occupationibus obrui animaduerteret, accepti officij haud immemor, illi operam nauauit strenuè. Atque cum stata Societatis inijt munia, accersitur, vt indigenæ grauissima valetudine laboranti aures daret. Hanc cum iam olim in turpi pellicatu iacuisse cognosceret, solemni Ecclesiæ ritu viro (cui malo populi exemplo assueuerat) tradidit. Maturabat iam profectionem, cum indigenæ duo obuiam illi procedentes, id consilij dabant, vt publicam viam vliginosam grauique cœno tenacem, quàm diligentissimè caueret, potiusque per montium latera, compendiaque iter institueret. Ille nil cunctatus, experientibus fidem adhibuit. Lustratis denique devijs montium cacuminibus, peuehit tandem ad tuguriolum, vbi iam iam animam exhalantem indigenam fœminam offendit; rogant sui itineris duces in genua prouoluti, vt illius confessionem exciperet; fecit statim ille summo animi gaudio delibutus. Aliud dein oppidum ingressus obuios habuit Hispanorum plurimos, quorum vnus exultare, gaudioque desipere, nam se Sacerdoti nostro aperire nimiopere desiderabat. Cui Pater respondit, vt quod sibi colliberet tempus, ex animi sui sententia deligeret. Noster interea ab hospite domum deductus lautissimè habitus est. Verum cum inter se sermones sererent, in Hispanum illum incidunt, ab illoque de hominis vita, deque miro in eum multo-

torum odio edoctus, orat omnes contendat neruos, efficiatque tandem aliquando, vt cum inimicis in gratiam redeat: Acceperat eorum vnus ingens vulnus, quamobrem conceptis verbis iurarat in gladium ſeſe libentius induturum, quàm infenſiſsimo hoſti iniuriā cōdonaret. Sed de ſpe, quā iam noſter animo deuorarat, deijci nunq̃ potuit, quin poti⁹ homiuem ira, odioque æſtuantem piis ad omnem humanitatem compoſitis verbis alloquitur, vt in ſuam illum ſententiam totius populi admiratione deduxerit. Eoq; humanitatis perduxit hominem, vt ſcriptū fecerit, ſe libentiſsimo quidē animo odia, inimicitiaſq; remiſſurū. Agit Pater immortales gratias, oratq; ſubinde, vt ſibi rem diuinā facienti velit intereſſe. Aderat & alius Hiſpanus, qui id quidé in mandatis acceperat. In quo obuerſus noſter cum ſacra perageret, ſacratiſsimum Vindicis Chriſti Corpus oſtentans (dum ſancti Bernardi veſtigijs ingreditur) En, inquit, adeſt humani generis Chriſtus aſſertor, cuius omnes ſanguine in gratiam cum Deo rediuimus. Mirum dictu, ſic animos affecit vtriuſque, vt ſeſe mutuò complexantes, priſtinæ fuerint familiaritati reſtituti. Neque eò ſe tenuit noſtri Sacerdotis induſtria: euicit enim vt Monachus, à quo iam olim Hiſpanus iſte odio diſsidebat capitali, omnes illi condonaret iniurias, eo tamen nomine, ſi deſcripto ſuam de Monacho ſententiam eiuraret; cum tamen his legibus Hiſpanus homo ſubſcribere ægro animo ferret, obtinuit tandem noſter, vt coram teſtibus ſententiam mutaret, at cum ex teſtibus, quos laudarat Hiſpan⁹, Monacho grauiter quidam

esset infestus, vbi id primum inaudiuit, moleste tulit. Ast Pater illum enixe orat, vt etiam cum illo redeat in gratiam; Quod diuino fauente Numine assecutus est.



LIT-

LITTERÆ ANNVÆ SOCIETATIS IESV EX PROVINCIA MEXICANA Anni 1608.



Edeo ad annuas litteras Mexicanæ nostræ Prouinciæ, ex quibus Paternitas vestra optimè intelliget fructum, quem ex adiumẽto proximorum, & propria Patrum omnium ac Fratrum in res spirituales exercitatione retulerunt omnes, maxima cum Dei gloria & toti⁹ nouæ Hispaniæ commendatione, quæ sibi Patres nostros ac Fratres adhibuit ad leuandas conscientias, Sacramenta recipienda, ac solatia in aduersis rebus reportanda; ex quibus maxima in nostros opinio aucta, studium & beneuolentia.

Atque Prouincia hæc Socios octoginta sex supra ducentos numerauit. Sacerdotes centum & triginta tres, Scholasticos quatuor & quadraginta, si tamen viginti tirones addas, Fratres verò Adiutores nonaginta octo: (quorum vndecim, qui hoc tempore nomina dedêre,)in decem & octo domibus commorantes. Dom⁹ Mexicana Professorum aluit hoc anno Sacerdotes quatuordecim, ac totidem Fratres; si vnum excipias. Collegium Mexicanum Patres viginti tres, Scholasticos viginti & octo supra, decem Fratres Adiutores. Seminarium D. Gregorij Patres duos, D. Ildefonsi Patres tres, Scholasticos quatuor, Fratres verò ternos. Tepotzotla-

zotlanum Collegium Sacerdotes ſenos, quinos Fratres, binos ſupra triginta, qui verſantur in Probatione, Collegium Angelopolitanum viginti duos Patres, quorum ſeni tertiarij; Fratres octo: Seminarium D. Hieronymi Patres duos, totidem Fratres. Huaxacenſe Collegium ſenos Patres, Adiutores vndecim: Guadalaxaranum Patres quinque, Fratres ſeptem, totidē Paſquaranum. Vallisoletanum tres Sacerdotes, Fratres ſenos. Zacatecana Domus ternos Patres, totidem Adiutores. Veræ Crucis quinque Patres, Fratres quatuor. Miſsio Lacunæ magnæ, ſiue las Parras, ſenos Patres. Tepeguana quinque Patres. Topiana ſiue S. Andreæ operas decem. Cinaloēnſis tandem Patres decem, Fratres verò tres Adiutores. Obijt hoc eodem tempore Sacerdos, viginti duo ad Societatem acceſsēre, Pater vnus, Scholaſtici tredecim, Fratres nouem.

DOMVS PROFESSA MExicana.

Omnes in Profeſſa Domo Societatis munera obiere maximo non ſolum charitatis ardore, ſed totius etiam vrbis fructu, qui non ſuperiores tantum annos æquauit, ſed etiam longè ſuperauit: nam dies, ac noctes in carcere detentis, Noſodochijs, omnibuſq; aduerſa valetudine laborantibus præſtò fuerunt; eorum miſerrimam inopiam eleemoſynis ſubleuantes; etſi Domus ipſa egeſtate tanta laboret, vt ſeptem ſupra viginti è noſtris maximam ob annonæ penuriam vix alere potuerit, quapropter neceſsitate coacti Patres, duo ele-

eleemosynas precariò emendicarunt, quibus ædes sacra, quæ hodiè perampl a construitur, breuius caperet incrementum, ac dum bini Patres argenti fodinas percurrunt, ipsis etiam fossoribus spiritualibus auxilijs magnum adiumentum præstitere; nam confessionibus, adhortationibus, ac Sacramentorum administratione miserrimorum hominum animos tanto labore leuarunt, vt per epistolas P. Præpositum enixè rogarint; qui stationem Patribus prorogaret, vt & fructus cumulatior, & solatium diuturnius esset, atque alter è nostris domum repetens bis mille argenti pondera sibi collata, in ædis sacræ structuram erogauit, tum alio sibi adiuncto Socio, qui à cōfessionibus Indos exciperet, messem repetijt; vbi omni ope destitutos homines Sacramentis munitos, ad patientiam, & salutis propriæ cupiditatem excitarunt, atque his excursionibus, & hominum illorum saluti prouisum, & nostrum templum inopia aliquantò subleuatum: nam cum indè vberrimus vrbis huius pendeat fructus, sunt omnes in eius perfectionis desiderio. Et sanè hoc anno maximè processum in templi ædificatione, nam tecto ipsi nuper superposito obducti lateres plumbei, interius verò ligneis floribus summa incisis arte, atque auratis adeò illustratur, vt ædi toti summam pulchritudinem impertiatur: opus verò ipsum ita feruet, vt futurum breui speremus egregium ac pulcherrimum templum.

Quadraginta horarum supplicatio instituta annis superioribus in æde nostra, Mexicanam vrbem eò excitauit, vt aduolarint innumeri noua pietate ac inaudita penè frequentia; qui peccatis expur-

gata conſcientia panem ſacrum excepêre , atque maxima hominum omnium copia confeſſarios ita ſuperabat, vt etſi quadraginta adeſſent qui competentibus aures accõmodarent, maior etiam numerus deſideraretur: qui autem ſacram ſumpſere Synayim in æde noſtra triũ dierum ſpatio, duodecim mille capita numerabâtur. Conciones præterea, parietum ornatus, ac Symphoniarum cantus ita cæteros illexerat, vt ijs diebus, quibus hominum effrenata licentia bacchatur, nullus detineretur, quin animo ab Hilaribus ſemoto, ad preces accederet ad domum noſtrã. Maximus etiam cereorum numerus ædem ſacram illuſtrabat; nam Sodalitas Sacratiſsimo Chriſti Corpori dicata põdera tria ſumma liberalitate eſt elargita, quàmplurimi etiam nobiles, ac ipſe Illuſtriſsimus Archiepiſcopus per multos alios dono dedêre. Diebus ſingulis Prorex Aloyſius de Velaſco, Regiuſque Senatus ad templum acceſſêre; quorum pietas ea fuit, quæ cæteros omnes ad maximam religionem excitaret. Nec defuit Archiepiſcopus, qui iam in Hiſpania ſupplicationes has publicas regio quodam cultu vidiſſet ĩſtitutas, nil tamẽ tale vel vidiſſe, aut ſibi perſuadere potuiſſe faſſus eſt. His acceſsêre Illuſtriſsimus Alphonſus de Peralta Inquiſitor, Archiepiſcopus Argentei fluminis, vel vt vulgo referunt, delas Charcas, ac Epiſcopi duo; quorum aduent⁹ omnes permouit ad ſummam pietatem.

Maximus etiam hominum conuentus acceſsit ad ædem noſtram, eo quo die Feſtum Chriſti Domini Circũciſi celebratur, nam Archipiſcopus noſter ſacrum publicè decantauit, cum præter nobi-

ſter

lium omnium frequentiam, ac Religiosorum, Prorex etiam, ipseque Senatus adessent. Archiepiscopus verò vt singularem animi beneuolentiam, qua nostros omnes amplectitur, indicaret, apud nos die illa commoratus est.

Nec defuit nostrorum opera deuotis triremibus, qui permulti sanè fuêre, nam adhortationibus ad pœnitentiæ Sacramentum illos excitarunt, quod maximè profuit omnibus, nam aliquando is erat fletus ex dolore concepto scelerum, vt conscientiam apud Patrem expiare vix possent, ipsi etiam Scholastici coactam pecuniam discessus tempore in eos erogarunt, quo factum, vt ipsi dum exirent ab vrbe, præclara de Societate prædicarent.

MEXICANVM COLLEGIVM.

HOc in Collegio classes duodecim numerantur, in quibus nostri scientias publicè profitentur. Binæ rudimentis, tertia Humanioribus litteris, Rethoricæ quarta dant operam; tres sequẽtes Magistros habent Aristotelem explanantes, duæ quatuor S. Thomæ partes prælegunt, alia explicationi sacræ scripturæ dat operam, vltima tandem in ius conscientiæ incumbit: ex quibus maximum profectum consequuti sunt non tantum Scholastici nostri, sed etiam externi; qui verò theses hoc anno publicè disputarunt, duodecim numerantur. At verò Adolescentes quatuor & triginta Baccalaurei dignitatem in Scholis regijs publicè sunt consequuti, maxima ac noua Magistrorum omnium admiratione; quorum permulti caput Aristotelicum sortiti ab Vniuersitatis Docto-

ribus, viginti quatuor horarum ſpatio tanto ingenij acumine prælectiones habuerunt, vt maxima præceptorum omnium approbatione adoleſcentuli Philoſophum illum explicarent. Atq; hæc noſtrorum fama externos etiam Doctores ita permouit, vt quam plurimi quodlibeticas quæſtiones Societati dicarint. Pari pede literarum Humaniorum Studioſi profecêre, qui publicis etiam diſputationibus labores primos in ſtudijs collatos maxima ciuium omnium commendatione demonſtrarunt; ex his quadraginta ad varias Religioſorum familias hoc anno ſe contulêre, quorum quatuor B. Virginis Sodalitium Societati peperit. In hoc autem Sodalitio maximo omnes ſtudio in res ſpirituales ita incumbunt, vi nihil prætermittatur, quod vel pietatem, vel virtutis dignitatem augere poſsit, quod idem in altero efficitur ætate prouectorum; quò Scholaſtici cæteri, nobileſque permulti confluunt non paruo ipſorum profectu. Cum verò annis ſuperioribus eleemoſyna à nobili muliere deſtinata fuerit, quæ in carcere detentos per noſtros erogatur, qui pecunia illa maximam eorum egeſtatem ſubleuent ſtatis temporibus; noſtri prandia publicè deferunt ad ipſos, quod eò magis vrbem incendit ad pietatem, quòd & ipſi Superiores & Pater Rector, & externi Scholaſtici edulijs, ac cibis onuſti cæteris communi quadam vrbis totius commendatione præeunt.

Alij etiam ex noſtris domi eleemoſynas erogant in pauperes quotidiè, qui pane, & carnibus ad ducentos reficiuntur, quibus etiam rudimenta fidei traduntur, quod etiam fit in plateis, ac vicis omni-

omnib⁹,præcipuè verò quadraginta dialibus; dum Hiſpani, Indi, & Æthiopes, in Chriſtianis præceptionibus inſtituuntur.

Virgines etiam permultæ matrimonio iunctæ, aliæ receptæ in ſacra cœnobia Sacerdotis cuiuſdam opera, qui cum apud omnes in maxima ſit pietatis, & ſanctitatis æſtimatione, tanta viget authoritate apud omnes, vt quiſquam nil aggrediatur, quod Religionis ſpeciem præſeferat, quin eum conſulat & certiorem faciat. Neque mulieres defuêre in caſtitatis diſcrimine poſitæ, quæ ſumma egeſtate coactæ, pecunia non pauca ad ſcelera inuitabantur, vt inopiæ conſulerent, quibus tamen ab eodem Patre optimè conſultum, quò facilius paupertatis incommoda ferre poſsint,& caſtimoniam aſſeruare.

Hoc eodem anno migrauit ad Cœlos Pater Petrus Thomas, qui cum rebus militaribus adhuc Adoleſcens in Inſulis Tertiarijs eſſet intentus, adhortationibus, ac concionibus Patris Antonij Torres excitatus, liberalibus diſciplinis ſeſe tradidit, ac tandem in Societatem admiſſus nouam Hiſpaniam petijt, eo quo tempore Pater Petrus Diaz Procurator generalis eandem repetebat. Hic omnibus virtutib⁹ eo conatu operã dedit, vt omnib⁹ ſummę ſanctitatis ſeipſum præberet exmplar. Cum ergo ad miſsionẽ Topię excurreret, vbi è corruptis vanarum ſuperſtitionum moribus gentiles ad Chriſtianam vitam traducebat, tot labores ac incommoda perpeſſus eſt, vt inſanabili quodam morbo correptus, Mexicanum Collegium repetierit, vbi multis poſt doloribus animam Deo reddidit.

Præ-

Prædia etiam nobis benignè reſponderunt; præcipuè verò aucta ædis ſacræ ſupellex, nam altaria quatuor ſericis veſtibus, auro atque argento contextis ornata, tum etiam Sacerdotum indumenta ſumma arte elaborata, neque tenui pretio comparata; quibus intextæ Sanctorum imagines. Dicatum etiam nouum ſacellum D. Pontiano Martyri, cuius cineres ibidem conteguntur, adiecta etiam icone pulcherrima, & magno ſtudio elaborata, & egregijs picturis ita illuſtrata, vt cæteras omnes nouæ Hiſpaniæ magnificentia ſuperet, & ſplendore, quod ſacellum nobilis cuiuſdam viri liberalitas & munificentia erexit.

Coacta etiam hoc tempore Prouincialis congregacio Calendis Ianuarij, in qua communi omnium calculo Procurator Generalis electus eſt Pater Franciſcus Vaez, quem Paternitas veſtra probè nouit, cum ſuperioribus etiam annis eodem functus munere Romam petierit, negotiaq; Prouinciæ huius maxima cum omnium admiratione, tum commendatione tractauerit.

SEMINARIVM DIVI ILdefonſi.

ALuit Seminarium hoc decem è noſtris, Patres tres, totidem Fratres Adiutores, Scholaſticos verò quatuor, qui omnes maxima Superiorum approbatione, & in pietate & litteris Adoleſcentes inſtruxerunt. Ex Scholaſticis verò externis centum, & quinquaginta quatuor commorati ſunt, quinque & ſexaginta, qui Theologiæ & Philo-

Philosophiæ dant operam, reliqui qui litteras Humaniores & rudimenta ediscunt, qui verò Magisterij dignitatem in Scholis publicis sunt consecuti, vigintiseptem numerantur, quorum ingenium non solum in quotidianis exercitationibus perspectum est, cum quotidiè domi lectiones publicæ & propugnationes haberentur, sed etiam in regia ipsa Academia, vbi eam laudem sunt consecuti apud viros illos sapientissimos, vt eos vti studiosissimos Adolescentes, nomine singulari indies ornarent, & summa beneuolentia amplecterentur. Tres etiam Scholastici Philosophicas theses publicè propugnarunt; eodemque die, quo Anniuersaria Sanctissimi Ildefonsi celebrantur, maxima omnium lætitia Illustrissimi Archiepiscopi aduentus eandem domum illustrauit, qui singulari quodam gaudio ab omnibus exceptus est, ac inter prandendum epigrammata, orationes, ac poëmata recitata, quæ & Adolescentum ostentarunt ingenia, & opinionem de Societate conceptã apud Illustrissimum auxerunt.

COLLEGIVM ANGELOPO-
litanum.

QVadraginta dialibus ea fuit totius vrbis frequentia ad conciones audiendas in templo nostro, vt superiores annos longe superarit; cum enim Iubilei tempore omnes ad ædem nostram accessissent, confessionibus, sacramentis, præcipue vero concionibus Patris cuiusdam permoti, domum nostram ita frequentarunt, vt ædes ipsa sacra tantam hominem multitudinem ferre vix posset, & si perampla satis ac patens; Scholastici externi maxime profecerunt in litteris, in publicisque nobilium conuentibus egregium specimē dedere, quorum Sodalitium indies augetur magis, & pietate & adolescentum copia, ibi sacramenta frequētant assidue, ac adhortationes, præcipuè verò diebus Beatissimæ Virgini dicatis, in quibus post sacrum in templo solemniter celebratum, longa serie cœlesti pane reficiuntur.

COLLEGIVM TEPOTZOT-
lanum.

COllegium hoc Domum Probationis etiam amplectitur, aluitq; socios triginta quinque. Operæ verò quatuor in Indorum Maxicanorum & Othomitarum institutione Christiana egregiè insudarunt, nam nullus prætermissus est labor in horum salute procuranda, quod cum & ipsi optime cognouerint, domū nostram singulari quadam beneuolentia frequentant, ac quoties occasio

casio fert, nostros vti Patres consulunt, quos & Patres ipsi minime sanè fefellerunt; nam cum pestis quædam in illos grassaretur adeo, vt nullus penè vel periculosam saltem euaderet inualetudinem, nostri eorum domos quotidie percurrentes Sacramenta ministrarunt illis, adhortationibus ad patientiam eos excitantes, cibisque hora consueta corpora lethali morbo exhausta reficientes. Vicinis etiam oppidis subuentum est. Tum quia & Parochi enixe id postulabant, tum etiam quia permulti aliquem ex nostris peroptabant, apud quem crimina sua quadam conscientiæ dulcedine lauarent.

Nouitij etiam in Tirocinij exercitationibus ita se præstitere, vt in illis vitæ spiritualis fundamentum maximum acceperit incrementum, nam præterquam quòd officia domus abiectiora, & viliora lubentissimo animo sunt amplexati: in oratione etiam & quotidiana meditatione ita profecerunt, vt nullum tempus dignius putarent insumi, quàm quod in Christi Domini sanctissima vita meditanda impenderent.

ÆDES SANCTI GREGORII.

AGunt in hac domo Sacerdotes tres, & Frater adiutor, quorum munus est concionibus, ac Sacramentorum administratione Indis Mexicanis opem ferre, ac Cinis, qui ex oris occidentalibus huc aduolant, quorum sodalitium maxime frequentatur, vti etiam alterum à nostratibus Indis extructum, qui quotidie ædem sacram petunt nostrorum illecti benignitate, & mansuetudine. Quare fructus quotidie augetur, & religio

ſenſim ipſorum animis altius imprimitur. Præcipuè verò ingens hominum turba quadraginta dialibus ad templum acceſsit, ex quibus vberrimum conſecuti ſunt fructum operæ noſtri, nam denuo expiata ſunt totius vitæ ſuperioris flagitia, ac propterea, etſi permultis paſſuum millibus ab vrbe aberant, itinera lõgiſsima aggreſsi ſunt, vt crimina ſua apud Sacerdotem è noſtris exponerent. Ac dum aliquando Sacerdos quidam ipſorum linguæ peritiſsimus concionem ad populum haberet, nobilis quidam adoleſcens Indus ſeruis ſtipatus templum ingreſſus eſt, qui aures ad Patrem accommodans, nouo repente ſermone perterritus, ac commotus flere cœpit, tum remotiorem locum, quo ad ſacras confeſſiones audiendas vtebantur, ingreſſus, tanto peccatorum dolore excitatus, vt adſtantes omnes maxima teneret admiratio: tum verò accito Patre, qui ei præberet aures, peccata detexit, eo gemitu ex flagitiorum recordatione ſuſcepto, vt verba proferre vix poſſet, peractaq; cõfeſsione nouã vitã exorſus eſt. Qui ſodalitium adeunt, ſtatis temporibus ſacramenta frequentant, egeniſque ac inopibus non conſilio ſolum ac precibus, ſed etiam cibo, veſte, pecunia illorum ſuſtentant tenuitatem. Bis hoc anno plus trecentis ſuę gentis pauperibus epulum dedêre, veſtes, eleemoſynaſque multas magna ſpectantium voluptate, & intimo ſenſu pietatis diuiſere; alias etiam eleemoſynas erogant in pauperes maxima liberalitate, præcipue verò mulieres duæ nobiles, & ſatis opulentæ ſubſtantiam omnem permultis vrbis huius Religioſorum Ordinibus dono elargiuntur. Alia etiam mulier ea nocte, qua Natales

Chriſti

Christi feriæ celebrantur, permultos pauperes domi suæ cibis reficiebat, ac operiebat vestibus; cum verò hoc eodem anno expleto munere, ad secretiora domus se contulisset, vt tanti mysterij contemplationi vacaret, somno tandem euicta, etsi aliquantò etiam euigilans, infantem Christum vidit hilari facie seipsam contemplantem, qui diceret: mulier, quæ pauperes cibis, & vestib⁹ excepisti nomine meo, scias non illorum, sed paupertati meę indumēta te administrasse. Hæc cum accepisset ipsa repente exterrita, in genua procumbens lachrymas cœpit effundere, cuius beneficij recordatione tanta adhuc voluptate afficitur & solatio, vt sanè indicet eam animi iucunditatem Christum Dominum nocte illa mulieri fuisse impertitum. Quapropter hostis humani generis plebeculæ huic insidias moliri non desinit. Nam mulier quædam cum apud se cogitaret de arctiori vita incipienda, repentè doloribus ita afficitur immissis à dæmone, vt putarent omnes ab illo crudeliter diuexari; cum verò multis pòst adhibitis remedijs Patrem è nostris accersissent, cum primò eum mulier intuita est, tanto fuit affecta solatio, & conscientiæ maculis elutis pœnitentiæ Sacramento, admonita à Patre vt se B. Patri Ignatio enixè commendans, orationem Dominicā ac Angelicam Salutationē tribus vicib⁹ recitaret SS. Trinitati, quam ipse summa semper veneratione coluerat, ad pristinum statum redijt. Idem etiam alijs mulierib⁹, quæ dæmonib⁹ afflictæ domi, postquam sordes conscientiæ confessione abstersenunt, nil in posterum passæ sunt.

Pueri etiam, qui ex suburbijs, locisq; Mexico ad-

iacentib⁹ ad ædem hanc Christianę doctrinę & Musicæ discendæ causa à parentibus deducuntur, hoc tempore maximè profecêre, communi omnium Patrum approbatione.

COLLEGIVM GVAXACENSE.

STudium nostrorum qui hoc incoluere Collegiũ, ad res spirituales singulare in omnib⁹ perspectum est; Scholæ etiam in literis, & virtutibus maximũ fecêre progressum. Prima est puerorum qui primis rudimentis incumbunt, ac in Christiana eruditione instituuntur, diebus verò festis agmine facto per totam vrbem fidei mysteria decantantes, publicè procedunt, tum in platea Pater adhortationem habet, celebri totius vrbis frequentia. Tempore autem Qurdragesimæ in publicis concionibus materia de peccatis explicata fuit: in Aduentu verò beatitudines octo declaratæ sunt, ex quibus maximum elicuit fructum tota ciuitas. Aliæ etiam Scholæ magis, ac magis proficiũt indies, nam lectiones publicas habuêre, in quibus & assiduum laborem, & acumen ingenij præ se tulere.

Sodalitium etiam, & nobilitate & virtute augetur; nam permulti ciuitatis primarij admissi sunt in aliorum cœtum, qui Sacramenta sæpissimè frequentant maxima pietate.

Indis etiam nostri subuenêre, quo factum est, vt ipsi studium Patrum animaduertẽtes, quo ipsorum necessitatib⁹ inseruiunt, innumeri penè ad domum nostram aduolarint, nec passũ est, vt quidquid peroptarent ipsi, illicò non assequerentur: imò & ipse Pater Rector illorum linguæ perit⁹, sexto quoque die

die ad illos concionatus eſt, ingenti Indorum multitudine vndequaque confluente. Erectum etiam ab ipſis ſacellum in Archangeli Michaëlis honorem, quem præcipuo quodam cultu omnes venerantur, ac in mẽſe Septẽbri, cum ſemina emortua penè viderentur nimia terrę ſiccitate, ipſi longo ordine facto, volũtario cruciatu flagris ſe conciderunt; atque factum eſt , vt vota piorum hominum Deus audierit, nam eodem die erumpente imbre, communem calamitatem maxima deinde Maizij copia ſubleuauit.

Inſtituta etiam hoc anno quadraginta horarum ſupplicatio, quæ quia ab omnibus vti cæteris in vrbibus, ſumma veneratione & communi vrbis totius approbatione excepta eſt, ſuperſedebo narratione.

COLLEGIA GVADALAXARENSE, Paſquarenſe, & Valliſoletanum.

ETſi ciuitas hæc Guadalaxarenſis non ſatis ampla, in eaque quàm plures Religioſorum Ordines commorentur, ea eſt tamen totius vrbis in noſtros beneuolentia, & amor, vt ad domum noſtram ſemper confluant non paruo animarum ſuarum profectu. Scholaſtici etiam, qui claſſes domi noſtræ frequentant, præter quam, quòd in litteris egregium de ſe ſpecimen dedere, tum verò maxime in Sodalitio Beatiſsimæ Virgini dicato frequentando, nam diebus feſtis ſacratiſsima Synaxi reficiuntur, ea pietate, & religione, vt parentes filiorum veſtigia ſequentes, idem ipſi ſint aggreſsi,

quare cum diebus illis, quibus sanctissimæ Virginis mysteria celebrantur, Scholastici Sacrosancto Christi Corpore pascantur, cum & id iam parentes præstent, tanta est ijs diebus domi nostræ copia, qui ad conscientiæ maculas pœnitentiæ Sacramento eluendas confluunt, vt confessarij aliquando desiderentur: sæpe etiam nosodochia inuisunt, illosque cibis recreant, ac pecunia.

Iubilei festum hoc etiam anno inceptũ in templo nostro, quo omnes religiosorum familiæ confluxere, tanta pietate, vt ad multas horas quotidie sacrosancto Christi Corpori assisterent.

Nobilis etiam mulier in sacello Icone, & alijs ornatibus illustrando, quadraginta argenti pondera impendit. A Sodalibus etiam ipsis Congregationis Beatissimæ Virginis institutum est, vt singulis annis eleemosyna in Virgines, quæ matrimonio iungantur, maxima liberalitate erogetur.

Hispanis etiam, æthiopibus ac Indis opem tulerunt catechisticæ doctrinæ institutione, quo effectum, vt optimè percalleant fidei nostræ mysteria, & nostros maxima beneuolentia prosequantur.

In Pasquarensi Collegio quæ acciderint noua nondum perlata sunt: operæ tamen illic commorantes maritimas illas oras percurrendo, Indis maximo fuere subsidio.

In Vallisoletano degunt Sacerdotes quatuor, Scholasticus vnus, Adiutores quinque, quorum alius pueros legendi rudimenta docet, cæteri in res domesticas incumbunt. Hispanis etiam Patres, ac Indis præstò sunt, nil penitus prætermittentes, quò ipsorum profectum, ac salutem nostri consequi possint,

ſint. Supplicationes etiam publicæ celebratæ communi omnium voluptate, & ſolatio; nam ex oppidis permultis ab hac vrbe non longè diſsitis innumeri aduolarunt ad ædem noſtram, qui peccata confeſsione deponentes, cœleſti pane refecti ſunt, quod etiam præſtant ſingulis menſibus non pauci; alij etiam ſingulis hebdomadibus, maximo cum lucro animarum ſuarum.

SEDES GVATIMALENSIS.

SVperioribus annis de Guatimalenſi Sede Paternitas veſtra certior facta fuit, atque quanto illorum populorum fructu Patres quidam regionem illam petierint: cum verò fructus indies amplior cogeretur, adiuncti illis operæ duo, ac Pater Chriſtophorus Brauus, qui Patris Prouincialis mandato illam inuiſerent, qui poſtea hanc ſcripſit epiſtolam. Ad hanc vrbem tandem acceſsi maxima gratulatione omnium; præcipuè verò Illuſtriſsimi Epiſcopi ac Regij Senatus, qui domum noſtram petentes inuisêre, poſtea verò enixè poſtularunt omnes, vt Societas noſtra ſedem poneret in hac vrbe, ac ſcientias edoceret Adoleſcentes, nil optabilius illis accidere poſſe arbitrantes. Atque quidam Regius Senator, cum de Societate publicè verba faceret, Hiſpaniam ſe nunquam relicturum faſſus eſt, niſi prius cognouiſſet noſtros in hac vrbe commorari. Neque tamen res noſtræ adhuc ita compoſitæ erant & ordinatæ, quin magna paterentur incommoda, præſertim ob ædem ſacram, cuius anguſtia ea erat, vt per pau-

cos vix homines pateretur, quare incommodis prouisum, templumq; est peramplum satis delectum vbi Societatis munera obiri posint in populos; nam cum ad nostros accedant innumeri, vt vel conciones audiant, vel peccata detegant, aut remedium aliud sibi acquirant ad salutem animæ consequendam, amplitudine nouæ ædis sæpe ẽt excitantur ij, qui vel nunquam templum nostrum ingressi sunt, vel Societatem adhuc non cognouerunt, Ipsa die Circumcisionis Domini nostri primum sacrum maxima celebritate decantatum est, cui Præses, Regius Senatus Religiosorumque familiæ astitere, quo tempore is fuit ardor omnium ad aperienda crimina apud nostros, vt maxima teneret ciues omnes admiratio. Duo præterea ex nostris regionem hanc excurrêre, qui cum nostros vel vidissent, ac multis antè annis Sacerdotum indigentia ad Sacramenta parum accessissent, is relatus est fructus, qui ab omnibus potest excogitari. Hæc ipse Pater Christophorus, qui postea magnam de nostris ad reditum animo conceptam opinionem mihi aperuit, cum verò nil adhuc ad manus nostras de missione hac peruenerit, dicta sufficiant.

ÆDES

ÆDES VERÆ CRVCIS.

ETsi eleemosynæ, quibus Domus hæc alitur, ex onerariæ classis aduentu pendeant, adeò vt ipsa ciuitas maxima patiatur incommoda, eo quo anno non appellit ad oras nostras, sicut euenit hoc tempore; ea tamen ciuium omnium beneuolentia & amor fuit in nostros, vt multas in ipsos eleemosynas erogarint, Patribusque animos addiderint solum emendi, vbi Domus nostra extrueretur; cum antiqua nostris pariat inualetudines ob aëris intemperiem: atque cum noua Domus in vrbe media erecta sit, plurimos nobis acquisiuit, qui domum frequentantes conciones audiunt, & Sacramentis sæpè muniuntur, atque permulti Patrum suasionibus totius vitæ flagitia sacra confessione expiarunt, nouamque viuendi normam delegerunt, præcipuè verò quadraginta ieiunij diebus, in quibus tertio quoque in æde nostra sacta diuerberatione voluntaria corpora coërcuerunt, quæ omnes vrbis primores animo optimè meditantes, Societatem nostram & admirati sunt, & maiori beneuolentia prosequuntur.

DOMVS ZACATECANA.

IN hac æde munera omnia Societatis exercentur à Patribus, maximo omnium hominum huc aduentantium profectu, nam cum hic argenti fodinæ reperiantur, hominumque vis ingens huc confluat, fructus semper nobis paratur amplissim⁹, permulti enim retrò actam vitã cõfessionibus

 dete-

detegunt, auersionesque multo tempore internis odiis excitatæ condonantur, atque iam vsu compertum, vt quoties dissidium aliquod erumpat, Patrem adeant, qui pacem componat, quare Societatem singulari quodam amore diligunt omnes, præcipuè verò Religiosorum Ordines, qui Patres nostros inuitant, sæpe vt ad populum in suis ædibus sacris concionentur.

In carcerem coniectos etiam inuisunt, vt illos & penuria leuēt, & confessionibus aures omnibus accommodent. Cuiusdam viri filius ob perpetrata scelera Cruci damnatus fuerat, nostrorum tamen precibus à morte iam imminēte adolescens, parentes verò ab illo dedecore liberati sunt.

Indos etiam omni conatu Patres adiuuant, nam præter quam quòd operæ ad id destinati sunt, qui sint illorum conscientiæ iudices; diebus etiam festis adstant concionibus, & in Christianis præceptionibus instituuntur.

Hoc anno erectum B. Virginis ab Angelo salutatæ Sodalitiū, cui nobiles omnes summa voluptate, & gaudio nomina dedere, quod sane maximam omnibus affert vtilitatem, nam conscientiæ maculas pœnitentiæ Sacramento frequenter eluunt, sacrosanctoque Altaris Sacramento reficiuntur. Sodalitium supellectili ornarūt, præcipue icone quadam, quæ millibus supra quingentis auri ponderibus comparata est, alius lampadem argenteam dono dedit, quidam etiam horum exemplo permoti, eleemosynas non tenues maxima pietate sunt elargiti.

Ipsi etiam Scholastici, qui in litteris progressum maxi-

maximum fecerunt, ſingulari, & noſtrorum & ciuium commendatione ſodalitium ſuum frequentant, ſacramentiſque ſingulis accedunt hebdomadibus, vt omnibus qui norunt illos, modeſtiæ, & virtutis maximum ſpecimen præbeant.

MISSIONES HVIVS PROVINciæ Mexicanæ.

IN his miſsionib⁹ Patres quadraginta duo, fratres verò Adiutores tres verſantur, qui quotidie laborioſam nauant operam in excolendis barbaris hominibus, vt eos partim à gentilicis ſuperſtitionibus ad veram Chriſti Religionem abducant, partim verò in opere inchoato Chriſtianæ fidei firmos reddant ac ſtabiles. Quo fructu hoc præcipue tempore permotus Dominus Aloyſius de Velaſco nouæ huius Hiſpaniæ Prorex, eleemoſynam, quam annis ſingulis in operas illic commorantes erogabat, maxima liberalitate auxit, quæ ex ærario Regio exiguntur. Nouiſsime verò cum indies innumeri penè gentiles Chriſtianam fidem amplecterētur, ac operæ permulti deſiderarentur, qui falcem mitterent in meſſem, tredecim Patrib⁹, qui ſuppetias ferant cæteris, quatuor millia ponderum argenti Prorex gratiſsimo adiecit animo, cuius ſane liberalitas, & optima de noſtris opinio Neophytis illis animos addidit, vt quam nunc fidem amplexi ſunt, maiori ſtudio foueant. Aliam etiam eleemoſynam ſingulis miſsionib⁹ dono dedit, quæ in puerorum Neophytorum ſeminaria ſingulis in ſedibus excitanda conijciantur, quod maximum nouæ huic Chriſtianæ Reipu-

Reipublicæ afferet emolumentum. Cum enim Adolescentes nobiles, & Caciquiorum filij Patrum gubernationibus summittantur, expertum est sæpè numero eos, qui à teneris annis fidem apud Patres nostros imbibere, ad Christianam pietatẽ natu grãdiores semper promouisse: insuper adiecit Prorex Regijs sumptibus sacras ædes refici, si quæ minabantur interitum, aliasque permultas excitari, quæ amplæ sint, & perpulchræ, eademque pecunia sacra suppellectili, iconibus, musicis instrumentis, ac campanis illas ornari, quibus omnibus sanè indicat, nihil magis, quàm gentiliũ horum salutem illi curæ esse, quod & cum nostros alloquitur, sermone confirmat.

MISSIO PARRÆ VEL LACVNÆ magnæ.

QVæ ad hanc misßionem spectant fructumq; maximum, quem ipsa tulit ob auidũ laborem sex Patrum, qui ibi commorantur, Paternitas vestra ex Patris Aloysij de Ahumada litteris percipiet, Superioris eius Domus, qui sic ait. Exordiar capita rerum ab ipso, quod etiam Deus Optimus hoc anni initio exorsus est, nam inualetudo quædam non in Indos solum debacchata est, qui Christianam Religionem amplexi sunt, verum etiam in gentiles ipsos, vt quàm plurimis vitam ademerit, præsertim verò grandioribus natu, ac senibus, nam paruulis vti in noxijs aliquantò ipsa pepercit, cum ex ipsis quinquaginta supra centum tantum desiderati fuerint, qui euolarunt ad Superos,

ros,quod etiam de cæteris omnibus ſperam⁹, cum à noſtris nullus labor fuerit prætermiſſus illos adiuuandi:nam homines hi adeò barbari ſunt,vt nihil præterea vtantur ad ſanitatem recuperandam, quàm igne ac ferro: atque hæc peſtis illos ita perterruit, & præcipuè deditos gentilibus ſuperſtitionibus, vt tantum cogitarent quemadmodum Deorum iram auerterent. Nam ſæpè illos admonebant medici, ſeu potius aruſpices, quos texocanes vocant, vt tanto malo illis impendenti prouiderent, aiebant enim morbum illum multis antè diebus ſe præuidiſſe, qui omnes domorum oſtia cultris,cuſpidibus lapideis,aquilæ vnguibus armabant, nè peſtis, vt ipſi aiebant,cum accederet, pedem inferre auderet; qui verò fidem Chriſtianam colebant, ædes Crucibus ac aqua benedicta, ſe autem precibus muniebant, & orationibus.Sed inter cæteros quidam ex ipſis ſomniatoribus ætate iam penè confectus, gentes cœpit adhortari, vt nouis relictis ſedibus ad montes appellerent, nè Patrum timore detenti vitam miſerrimè perderent omnes: cui Neophytus reſpondens,nullum, inquit, eſſe locum, quo ira Dei non pertingeret, recentiores tamen quidam falſis peſſimi hominis ſuaſionibus excitati, ſcopulos ac cautes iterum petiere. Verum adhuc non aberant ab oppidanis duodecim leucis, cum mortali ægritudine ſunt afflicti. Pater verò cui eorum cura cõmiſſa fuerat, de ipſorum fuga certior factus eos inſequutus eſt, duobusque pòſt diebus in ipſos incidit morbo partim, partim verò fame conſumptos, quod cum mente agitaſſet Pater antequam

domo

domo exiret, cibospararat, quibus miſerrimos re-fecit, qui adhuc viuebant, & cum illos ſolatus eſſet, pœnitentiæ Sacramento excepit, inter quos vetula quædam aderat ſacris fidei myſterijs tantum initiata, quæ vltimum iam ſpiritum agebat, cumque iam nil ſenſibus perciperet, illam Pater proprio nomine ſalutauit, tum illa è mortis repentè faucibus aliquantò erepta locuta eſt, ac baptiſmum petijt, quo abluta poſt horam euolauit ad cœlum.

Mos eſt apud Tepeguanes, vt eo quo tempore peſtis graſſatur, ſi puer edatur in lucem, illam aduerſam valetudinem infantis cauſa ſibi ſuadeant ortam eſſe, cum autem eo tempore Caciquij cuiuſdam vxori puer natus eſſet, barbari omnes ad mulieris domum confluxere, cucurbitiſque, faretris, ſpiculis, oſsium ſerie puerum interimere conati ſunt, vt ipſius morte communis vita omnium ſeruaretur, quod cum mater præſenſiſſet, filium aliò ablegauit, qua de re ira inflammati Indi oppidum repetunt, ubi puer detinebatur, grauique exorta contentione arcubus immani crudelitate inſæuire cœperunt, ac cum nihil proficerent, domum ſenis cuiuſdam, qui patruus infantis cenſebatur, incendentes, ipſam ſenemque combuſſerunt, verum hi omnes aduerſa valetudine correpti breui conſumpti ſunt, innumeri etiam Mappini accolæ diem egerunt vltimum, vt opus eſſet quotidiè effoſſa terra permulta hominum cadauera cadaueribus ingerere.

Hæc tot hominum miſerrima clades,

quæ

quæ eò putatur infelicior, quò permulti non defuêre, qui publice afferent, aquam salutarem, qua baptizati fuerant, tot hominum centurijs mortem intulisse.

In plurimis tamen, de quorum salute pauca, vel nulla nobis spes inerat, maxima eaque certissima prædestinationis argumenta perspecta sunt; nam quidam exacta ætate conuersioni adeò restiterat, vt nullo vnquam tempore salutari Baptismo expiari pati voluisset, aliquando tamen cum Pater illi Beatæ Virginis, ac infantis Domini nostri imaginem contemplandam obtulisset, postquam eam intuitus est, baptismum enixè petijt, qui in Christiana fide satis instructus aqua ablutus est, paucisq; pòst diebus expirauit.

Caciquius quidam cum iam de salute propria desperasset, animi labe, quam in omni vita collegerat expiatus, cæteros accolas graui sermone alloquutus est, vt primùm Patrum dictis semper forent audientes, neque vllo vnquam tempore paterentur, quin Deo Optimo immortales agerent, quòd simulacrorum abiecto cultu, luce diuinitus immissa ad Christianam Religionem redacti fuissent.

Nunc autem permulti ex his qui aufugerant, oppida repetiere, alios etiam gentilibꝰ superstitionibus oppressos secum adducentes, vt sacra fidei institutione imbuerentur. Puer quidam febribus adeò detinebatur, vt nullum iam cibum capere posset, cui cum Pater Euangelium recitasset, viribus cibo protinus refectis, sanitati restitutus est.

Adolescens aliquantò stupidus morbo quodam

dam oppressus mente adeo destitutus est, vt penè parentes occideret, ac cum quidam funibus eum obligassent, sæpius ingeminabat, vt cum primum solueretur, in seipsum manum iniecturum, ac in inferna ruiturum, seque dentibus adeo impetebat, vt astātes omnes deterreret, quem cum ad Patrem detulissent, B. Virgini precibus eum enixe commendauit, Euangelioque recitato ac signato aqua benedicta, ad pristinum statum restitutus est maxima omnium admiratione.

Atque hoc anno, qui salutari lauacro expiati sunt, sexaginta & ducenti numerantur in hac Misśione.

MISSIO TEPEGVANORVM.

MIśsio hæc in capita quatuor superiori anno seiuncta fuit, quibus etiam totidem Patres præsunt, qui non parum elaborant, vt ad sanctum Christi cultum redigantur, Christianique Neophyti rudimentis imbuantur. Nūc certiorem faciam Paternitatem Vestram de perpetua animi contentione, qua Patres nostri insudarunt, vt barbari homines, accerrimique bellatores nostrorum suauitate mollirentur, ac tantopere elaboratum, vt immanitate deposita mores induerint faciliores. Quotidie ergo magis Cathechismo expoliuntur, hilariterque Christianæ fidei dogmata recipiunt, atque quæ semel Christiana initiamenta amplectuntur, nunquam deserunt, quotidie ad templum aduolant, vt preces ediscant, quod eò præstant lubentius, quò nil intelligunt gratius se Patri facturos. Eadem confidentia infantes illi offerunt baptismate

mate inficiendos, qui cum Patrem ad ipſorum capita percipiunt aduentare, agmine facto illi obuiam fiunt ad octo mille paſſus, & quod maiorem incutit admirationem, quòd cum gens hæc ad ſacrum Chriſti cultum nouiſsime redacta fuerit, maxima tamen fiducia, & ſimplicitate apud noſtros commorantur. Feſta etiam Domini noſtri & B. Virginis maxima voluptate celebrant, ad quæ aduolant innumeri, qui poſtea in orbem redacti conſuetis ſaltibus diem hilariorem prędtant. Neophyti omnes hoc Paſchate animos peccatorum ſordibus eluerunt, quorum aliqui panem etiam cœleſtem acceperunt, quod ſanè cæterorum auxit deſiderium ad eandem menſam accedendi.

Duobus in locis ſolemnia maioris hebdomadæ celebrata ſunt, vbi agmina Indorum corpora flagellis crudeliter diuerberarunt.

In hos irrepſit hoc anno morbus quidam acerbiſsimus, qui occidit innumeros, his omnibus Patres ſemper præſtò fuerunt, quibus Sacramenta omnia adminiſtrarunt, ac cibis quotidie refecerunt, inter quos permulti infantes, qui baptiſmo ſuſcepto ad cœlos euolarunt, præcipuè verò quidã fœlicẽ fortunã ſortitus eſt, nã morbo ingraueſcẽte barbarĩ arrepto infante, ante baptiſmũ cuidam idolo ſacrificare decreuerant, ne morbus longius ſerperet, quod cum Pater percepiſſet, puerum à carnificum manibus extractum baptiſmate infecit, qui illico mortem cum cœleſti vita commutauit.

Mulier quædam in aduerſam valetudinem inciderat, cuius ſalutis cupidus maritus, Indam (quæ antequam baptiſmo ablueretur, maleficis artibus

deuincta fuerat, multosque ad pristinam salutem antea redegerat) exorauit, vt vxoris suæ saluti consuleret, cui illa, iam se Patri promissione obligasse antehac, maleficam artem non exercendi, si tamen vellet, infirmam Crucis signo Christique Domini & B. Virginis Mariæ nominibus inuocatis, munituram, quo expleto breui mulier sanitati restituta est.

Pacem superiori tempore initam, quotidie fouent ea fidelitate, vt flagitium aliquod nunquam perpetrauerint, vti antehac, non aduersus Indos solum, verum neque aduersus Hispanos, quod sæpenumero eueniebat, sed omnes fraterna quadam dilectione, & charitate inuicem sibi præstant auxilia cum occasio tulerit. Cum enim Tepeguanes ad terram incolendam, seminaque Maizij iacienda se contulerint, tanto ardore, & cupiditate in hoc incumbunt, vt illos mercatores citius dicas, quàm bellatores, eosque fructus colligunt, vt Hispanis omnibus panem subministrent, nam quod non multis ante annis sex auri ponderibus vendebatur, nũc vno tantum comparatur, atque his quasi nundinis politiores redduntur, nam Hispanico more se induunt, pecuniolamq; student asseruare. Ante acto Vere Indus quidam relicta sede aufugit, atque vt aiebant, animo in Hispanos conspirandi, quod cum ipsius consanguinei percepissent, Hispanos admonuerunt, ne omnino fidem illi adhiberent, viatoribusque itinera tuta reddebant, ne pessimi hominis fallacia in aliquod damnum inciderent.

Patres etiam nostros, qui illorum saluti dant operam, singulari amore prosequuntur, ac nil vn-

quam aggrediuntur absque eorum sententia, & consilio.

Patrem, qui interiora accolarum capita inuisere cupiebat, admonuerant Indi pleriq; de communi imminēti periculo gentib⁹ illis, ob dissidia quædam inter duos Caciquios oborta, nam vni⁹ gnatus, qui matrimonio coniunctus erat cum alterius filia, ob contentionem quandam spiculis crudeliter vxorem interemerat, atq; hoc acciderat in oppido Tapes populorum Tepeguanorum capite, ubi totius Regionis illius bellatores accerrimi, & crudelissimi commorantur, atque eò prætergressa res erat, vt armis offensiones dirimerent. Pater verò, vt horum animos satis incensos conciliaret, oppidum petijt, longoque sermone ipsis suasit, vt dissensionibus omissis, pacem inter se quadam dilectione cōciliarent, quod & opere præstitum est; nam illicò sedatis cōtentionibus, nouo affinitatis vinculo pacem instaurauêre. Et sane mirandum est tam breui tempore hos ita conciliatos esse, nam superioribus annis, vti nationes ad bellum semper paratissimæ, ita ab iracundia nunquam sibi temperabant, quin prius hostes omnes igne, & ferro consūpsissent, quorum armis adeo præterriti fuerant Acaxees populi à Tepeguana Regione non longe dissiti, vt iam ignorarent quid caperent consilij. Nam innumeras quotidie molestias ab illis patiebantur, vsque adeò, vt illos tanquam seruos pretio emptos haberent Tepeguani, nam tributa quotannis exigebant, mulieres eripiebant, expilabant tuguria, vt Acaxees infinitis penè molestijs cōsumpti, fugam quotidie meditarentur; sed nostrorum studio, ac incre-

dibili penè animi contentione data opera, vt omißis offensionibus animos conciliarent, & sibi inuicem semper auxiliarentur, quam tranquillitatem, cum Acaxees experti essent, regionem Tepeguanam petentes, immortales Patribus gratias reddidere, qui etiam à Tepeguanis summa benignitate, & amore fuerunt excepti.

Superioribus etiam mensibus maxima exorta est dissensio inter Tepeguanos alios, ac indigenas quosdam, qui Taraumari dicuntur, atque id erat omnium lethale odium, vt se inuicem perdere crudeliter cuperent, cuiusdam tamen è nostris consilio breui tempore consumptum est. Multi autem ex his Taraumaris in magno baptismi sunt desiderio, ac cum eius Prouinciæ Gubernator, Pater Rector atque alij Patres, de hoc sermonem haberent, cum ipse prius harum gentium vim maximam cognouisset, Patres adhortatus est, qui messem ingrederentur, ac gentiles illos Christiana fide imbuerent, nam aiebat per litteras Proregi significaturum operarum inopiam, vt saltem duos è nostris cœteris adderet, quod & præstitit Excellens Prorex, maximoque fuit Patribus illic commorantibus solatio, nam id ostium est ad innumeras gentes, prætereà etiam absque vllo militum dispendio, nam Indi illi Hispanos dilectione non satis diligunt: cum enim aliquando intellexerint ipsorum socios ab Hispanis diuexari, odio potius quàm amore illos prosequuntur, & vt dicam, quod sentio, cum Indi Tepeguani ante baptismum bellatores se semper præstiterint, adeò vt cæteris omnibus maximum timorem incusserint, cum tamen Euangelium suscepe-

cepere, pacemque cum omnibus alijs accolis inierunt, nil vnquam perpetrarunt, quod Christianè viuendi rationem non oleret. Hi autem qui Catholica doctrina nunc imbuendi sunt, in valle commorantur, qui nomine Diui Pauli nuncupatur.

TOPIÆ ET SANCTI ANDREÆ missio.

INter cæteras missiones, in quibus maximo cum animarum lucro nostri commorantur, præcipuè censetur hæc Sancti Andreæ, vbi Patres Christianorum viginti millibus Sacramenta administrarunt ingenti labore, assiduaque corporis contentione, nam gens hæc barbarissima erat, etsi paucis pòst annis cum ipsius mutatione legis mores ipsos etiam mutauit, cum autem missionis huius capita ad nos adhuc non peruenerint, (nam trecentis leucis ab hoc Mexicano Collegio dissita est) ideo ea tantum exarabo, quæ ex quibusdam eorum Patrum litteris percepimus, vt Paternitas vestra de hac noua Christiana Republica certior fiat.

Atque Pater Alonsus Ruizius sic ait: accepi litteras ac Iubilei indulgentias, tempore Quadragesimæ, quem omnibus, qui tunc mecum aderant explicaui, maxima illorum voluptate. Supplicationes quadraginta horarum celebratæ sunt, ea hebdomada, qua historiæ Christi Domini patientis recitatæ sunt, omnesque peccata confessione deposuerunt, voluntariam etiam de se sumpserunt pœnam octingenti. Reseratum etiam Christi Domini corpus eo ornatu, qui ad maximam pietatem In-

dos excitauit, vigintique cœlesti sunt excepti conuiuio. Post Pascha oppidum Sancti Andreæ petiuimus, vbi confitentibus aures dedimus, omnesque, si tres excipias, repetiere confessionem omnium á pueritia criminum. Patres conciones ad populos habuerunt maximo Indorum profectu, atque agminibus factis, acerbissimam necem Christi Domini maxima cum pietate celebrauimus.

Xiximes populos non longè hinc dissitos ingrediemur cum aduenerit Gubernator, quem quotidiè expectam⁹, vbi fructus vberrimi nobis parãtur.

Pater verò Iosephus Lomas, de populis illis, qui ipsius curæ commissi sunt, sic scribit. De his nil prætereà dicam, quàm omnes adeò barbaros esse, ac incultos, vt nudi semper incedãt, præcipue verò mulieres, magicisque artibus adeò deditæ sunt, vt nil vnquam aggrediantur dæmone inconsulto, qua ratione se inuicem quotidiè miserandum in modum necant. Cum enim hoc anno morbus quidam regionem hãc occupasset, omnes agmine facto domum insignis cuiusdam præstigiatoris ingressi, dæmones inuisis artibus exorare cœperunt, qui ab eis morbum illum auerterent: at illicò specie hominum induti non pauci dæmones illos solati sunt, quod ingruentem inualetudinem è medio illorum tollerent. Cum verò ad multam noctem in his præstigijs immorati essent, & Caciquius quidam Neophytus eos esset intuitus, non parum perterritus Iesum, & Mariam implorare cœpit, protinusque dæmones aufugerũt. Vetula quædam cũ domum reuerteretur, eam expilatã inuenit, furoreq; percita amici ædem ingressa, in furẽ incidit: tum ipsa re te-

re tenui subtracta, vindictam, inquit, de vobis sumam, eodemque die vespertino tempore, fulgure cœlitus erumpente, quinque in ea domo commorantes protinus extincti fuêre, etiam combusta domo.

Verùm, & in vepribus pulcherrimi aliquandò flores occultantur; & inter homines adeò feros & barbaros, non desunt qui Christianam, & piam vitam viuant. Nam præterquam quòd multi infantes morbo consumpti ad cœlos euolarunt, binæ puellæ argumentum non leue de sua prædestinatione nobis demonstrarunt. Altera etsi morbo maximè detinebatur, dies tamen ac noctes in Catechistica Doctrina repetenda insumebat, vsque dum ad cœlos emigrauit: altera etiam aduersa valetudine ingrauescente, cum ad mortem accederet, noua quadam affecta voluptate, en, inquit, cœlos petam, nam nobilis, ac pulchra quædam mulier me præstolatur, atque illicò expirauit.

Patris verò Alfonsi Gometz litteræ sic se habent. Sex Indorum capita nostro studio commendata sunt, quibus quotidiè fidei Christianæ præceptiones explicamus, gentes sunt facilioris ingenij, etsi strenui bellatores, nam cæteri omnes hos maximi faciunt, qui Sobaibæ nuncupantur. His etiam quadraginta dialibus peccatorum sordes expiarunt omnes, quod singulare mihi attulit solatium: nam facili negotio peccata detegũt, eò quod à mẽdacio penitus abhorreant. Hoc etiã tẽpore ipsa

Regio fame adeo diuexata eſt, vt accolæ plurima incommoda paſsi fuerint, nam flumina ob ingruentes aquas ita occupauerant omnia, vt etiam ſemina conſumpſerint, nunc ſacras ædes inſtauramus erigimuſque firmiores, ne ventorum tempeſtate corruant. Ac vt ipſa intelligat Beatū etiam Patrem Ignatium miſeris his ſubſidio aliquando fuiſſe: mulier quædam cum iam ad partum appropinquaret, fœtum nullatenus emittere valebat, verum cum baptiſmum ſuſcepiſſet, illico peperit, doloribus tamen adhuc intenſis agitabatur, nouitque infantem alterum in vtero detineri, cum vero adhibitis mulieri medelis omnibus, adiectis etiam Sanctorum precibus, & Reliquijs nil profeciſſent, impoſito illi quodam oſſe Beati Patris noſtri Ignatij, quod apud me ſeruabam, illico alterum emiſit infantem adeo quaſſatum, vt omnium ſententia mortuus videretur, pauco tamen poſt tempore cum membra aliquantò dimoueret, ſalutari aqua illum ablui, protinuſque ſanitati reſtitutus eſt.

Et ſi oneraria claſsis nouiſsimè diſceſſum maturet, eo quo tempore litteræ ſancti Andreæ Miſsionis delatæ fuere, ea tamen ſcribimus de ſedibus his, quæ & temporis ipſa breuitas patietur, paternitatique veſtræ iucundiora fore ſperabimꝰ. Quare Pater Alonſus Duizius, qui in Regione illa noſtris Patribus præeſt, ſic ait. Hoc anno Sociorum noſtrorum litteræ permultæ à nobis deſideratæ fuere, nam cum non pauci Patres aquis ingruentibus vndique vallati, ad multos dies nullum hominem nacti fuerint, qui deferret Epiſtolas, ex quibus plura perciperemus, quàm quæ in his tantum exa-

exarantur,ideo quæ hoc anno noui contigere,partim subticebũtur. Atque hoc tempore flumina longe adeo, lateque diuagarunt, vt nobis illorum insaniei cõmissis mortẽ sæpius intentarint. Quidã verò è nostris, vel fluminibus circumnenti, vel niuibus penè obruti in montiũ cacuminibus sũma egestate coacti, famem glandibus refecere. Verum,& pestis quædam maxima nobis attulit incommoda, nam permulta hominum millia consumpsit miserandum in modum. Etsi ex ipsa calamitate fructum innumeri vberrimum retulere, nam Patres nostri assidua mentis contentione, incredibilique labore insudarunt in ægrotis subsidio ferendo, tum etiam quod infantes, qui lustrali aqua fuerunt expiati, ad cœlum octingenti migrarunt, qui verò superstites fuere, cæterorum exemplo permoti, vitam emendatiorem sunt exorsi, cum antehac dediti compotationibus, cædes tantum molirentur. Populis his cum pauperrimi sint ac miserrimi homines, facilis pateret ad cœlum aditus, si tantum liberet illis, cui nulla deferant indumenta, omniumque cibus radicibus paretur, sæpenumero fame etiam adeo agitentur, vt anno superiori ciborum inopia millenie vita discesserint, dormiunt humi procumbentes, qui verò nobiliores, strata palea, ac cum discessuri sunt è vita, domo egressi solo se proijciunt animam efflantes beluino more.

Superioribus annis idolorum cultui ac humanæ carnis esui summopere dediti erant, verum & ab illorum mente hæc penitus excidere, atque Deo Duce Indi, qui hanc Sancti An-

dreæ regionem incolunt, ferè omnes ſacro baptiſmate initiati ſunt. Sancti Gregorij ſedes oppida decem amplectitur, etſi ob itinera fracta & periculoſa data opera eſt, vt ad duo tantum reducerentur, in quæ tres è noſtris incumbunt, etſi incredibili labore, paucoque poſt tempore plures etiã deſiderabũtur. Cum enim per hæc duo oppida aditus ad Xiximes populos aperiatur, cum primùm Chriſtiana fide à nobis inſtruentur, plurium operarum ſtudio, & ſolicitudine indigebunt. Duobus ab hinc annis pax inita eſt cum his, quam etſi nobiſcum ſeruarunt, tamen diſsidijs excitati Acaxeis populis maxima attulêre diſcrimina, nunc tamen cum illis etiam firmata pax, cum prius vndique Acaxees ſumma crudelitate inſequentes, eorum carnem in cibum ſibi pararent. Quod nonnullorum culpa accidit, nam poſtquam baptiſmo fuêre initiati, denuo ſceleribus implicati magnum nobis omnibus incommodum attulêre. Præcipue verò quidam Indus Regionem omnem percurrens, eo tempore, quo Eccleſiæ erigendæ erant, omnibus ſuadere palam cœpit, vt ab incepto deſiſterent. Aiebat enim Barbarus homo, in Patrem incidiſſe, & cum illo de animæ immortalitate ſermonem habuiſſe, eo rationum pondere, vt facile perſuaſerit Patri, nil præterea, quàm ipſius figmẽta fuiſſe, quæ prius de immortali vita prædicauerat. Quare peſsimi hominis ſuaſu in Hiſpanos milites permulti conſpirarunt: verum cum iam paucis poſt diebus oppido aduentitarent Hiſpani, Indi omnes timore perculſi Ducem petiere,
apud

apud quem excuſatione ab pœna illis impendente ſe exemere, quorum etiam aduentu peſsimi aufugere, qui verò in fide conſtantiſsimi permanſerant, fortiores etiam facti ſunt, inter quos alius optimis ſane moribus Prouinciam omnem percurrit, vt imbecilles in fide firmaret ſermonibus, tantoque feruore verba facit de Deo, & cœleſti vita apud omnes, vt maximam omnibus incutiat admirationem, cum nullus reperiatur, qui quiſquam illi obijcere valeat.

Hoc etiam anno permulti infantes baptiſmate luſtrati vitam hanc miſeram cum meliori commutarunt, inter quos vnus tantum baptiſmo non fuit ablutus, nam quo tempore mater eum edidit, in colle quodam detinebatur, fluminibus vndique vallata adeo, vt nullum vitæ remedium illi omninò concederetur. Etſi Dei miſericordia paucis poſt diebus cum aquæ minuerentur, incolumis euaſit, infante tamen prius per morbum è medio ſublato.

Pœnitentiæ Sacramentum ſummopere & colunt, & venerantur. Quare cum primum ſcelere aliquo detinētur, mox Patrem adeunt, apud quem peccatum detegunt non pauco dolore concepto: ſumma etiam pietate B. Virginem diligunt, ac quotidie globulos piaculares in eius laudem percurrūt.

Indus quidam Caciquius in Chriſtianam pietatem adeo affectus erat, vt maximam temporis partem inſumeret in Chriſtiana Catecheſi repetendà: Verum ad libidinem adeo propenſ⁹, vt penè de ſe ipſo haſtas abijceret. Nam cum Patris ſuaſu permultas mulieres è domo eieciſſet, nulla tamen

ratione

ratione à quibusdam alijs patiebatur destitui: Verum in grauem, & periculosum morbum incidit adeo, vt omnes de ipsius salute desperarent, sed tamen sanitati paucis post mensibus restitutus est, quare mutato consilio mulieres reliquas longe ablegat, vitamque ducit emendatiorem, singulari omnium admiratione, qui antea nouerant illum.

Alius in precibus fundendis dies ita sumit, ac noctes, vt nullum Tironem in Societate nouerim, qui tot precationes quotidie exerceat.

Pater verò Fernandus Santarenius hæc superioribus addidit. Hoc anno quadringentos baptismo ablui, ac qui iam Christianā fidem amplexi in oppido, quod mihi curæ demandatum, mille ac septingenti numerantur. Etsi hoc anno quamplures opido huic se adiunxere, qui Tubaueruti nuncupantur, qui à Patre alio baptizati fuerant paucis à me annis, cum enim quamplures eorum propinqui hoc in loco commorentur, qui Vrimoani dicuntur, ac flumina intercederent adeo periculosa, vt mortem cuicunque minitarentur, antiquo reiecto oppido nouam hanc sedem petiere, qui omnes vna etiam lingua vtuntur, Ædemque sacram maxima Religione frequentant.

Hoc anno minutatim confracta idola quinquaginta, quæ senis cuiusdam suasu sibi seruabant, qui cum ob aduersam valetudinem, qua detinebatur, lapideum idolum Patri comminuendum obtulisset, quod Deum bellorum appellant, dolore in scelere concepto sanitati breui restitutus est. Plerique etiam illius exēplo alia in flumina proiecere. Erectæ etiam ædes sacræ binæ ab Indis maxima alacritate.

Caci-

Caciquius quidam mulierem apud ſe detinebat maxima cæterorum Chriſtianorum offenſione, quam etſi ab eius eripere manibus ſæpius conatus fuiſſem: nil penitus proficiebam. Sed cum grauiſsimo tandem morbo ipſa detineretur, ac nulla ſalutis recuperandæ ſpes concederetur, illam inuiſi, quæ longo ſermone ad baptiſma recipiendum incitata, illo abluta protinus euolauit ad cœlum; quod idem prorſus nigro cuidam contigit morbo detento.

Quidam animo erat in alterum ita offenſo, vt nil præterea quàm eum è medio tollendi anſam perquireret: verum ſermone excitatus ad pœnitentiam, prauum facinus ab animo reiecit. Quadraginta Ieiunij diebus ea fuit omnium frequentia ad peccata detegenda, vt horas canonicas recitandi locus vix mihi concederetur.

Pater verò Florianus de Ayerbe, qui in Indis oppido Sancti Ioſephi adiacentibus egregiam nauat operam, hæc breuiter dicit: Hoc anno ob communé illam calamitaté peſtis per oés has Regiones crudeliter debacchantis, quadraginta dierum ſpatio, centum & triginta mortem obiere, in hoc ſancti Ioſephi oppido, & ſi omnes peccatis confeſsione depoſitis ſacro oleo intincti fuere. Cum verò nullus reperiretur loc⁹, vbi nō innumeri penè valetudine aduerſa detenti commorarentur, ſancti Ioſephi ſacra ædes in noſodochium verſa eſt, quo allati omnes commode ſatis degebant, quibus omnibus, & ſermonibus, & Sacramentorum adminiſtratione, & cibo præſtò fui, vt non fieri facile poſſet, quos mortalis valetudo omninò non tetigerat,

gerat, fames è medio non tolleret. In hac æde ſacra Sancti Ioſephi, quæ nuper extructa fuit, primum ſacrum decantatum eſt die Sanctorum Philippi, & Iacobi, quo etiam die exacta ætate hominem ſacro baptiſmate ablui, qui paucis pòſt diebus naturæ ſatisfecit. Infantulus quidam, cum ante baptiſmum in morbum incidiſſet ſatis periculoſum, duob' tandem pòſt menſibus ad me delatus eſt, quem cum à matre illius percepiſſem adhuc baptiſmum non ſuſcepiſſe, eadem nocti luſtrali ablui fonte., etſi hilaris illius aſpectus optimam valetudinem indicaret, ſequenti tamen die ante auroram euolauit ad cœlũ. Qua de re immortales gratias Deo reddidi. Alio die quinque homines maxima Chriſtianonorum frequentia baptiſmo initiati ſunt.

His quadragîta dialibus, poſtquam populis meæ curæ commiſsis aures confitentibus aperui, Topiam petij, vbi conciones habui ad Indos illos, maximo omnium & ſolatio, & fructu. Repetitæ etiam confeſsiones quàm plures omnium à pueritia criminum: atque dum aliquãdo de Sanctiſsima Magdalena ſermonem haberem ad populum, mulier quædam ſatis libera è corruptis moribus ad emendatiorem vitam, atque adeò ad bonam frugem traducta eſt, vt eodem die, quo ab improba peccandi conſuetudine ſe reuocauit, abraſis capillis ſaccũ induerit, incredibili omnium tum Hiſpanorum, tum etiam Indorum admiratione, qui tenor adhuc ab ipſa ſeruatur, ſinguliſque hebdomadibus, peccatis confeſsione depoſitis, cœleſti pane reficitur. Faxit Deus, vt pergat quo pede cœpit.

Pater

Pater etiam Hieronymus Sanct⁹ Clemens, hæc ad nos ſcribit, qui in oppido Tamaſulæ degit, ac in exercendis barbaris hominibus inſudat egregiè. Nonnulla quæ litteris annuis cenſentur idonea, ad maius Dei Optimi Maximi obſequium breuiter, & ſtrictim narrabo.

In pagis, qui mihi curæ ſunt quatuor, nongenti fermè homines baptizati cenſentur: horum præcipua hoc anno enituit pietas & opera, in ſacris ædibus erigendis, claris, conſpicuis, ſanctiſq; myſterijs peropportunis. Duo & quadraginta ſacro ſunt luſtrati baptiſmate, quatuor & viginti in matrimonium collocati: mille Chriſti clementia confeſsiones exceptæ ſunt.

Mirabilium Chriſtus Dominus Operator non raro ſuis alumnis hac ſe præbuit tempeſtate. Seruatoris hominum generis profectò die parum abfuit, quin Indus quidam demergeretur in flumine, quoniam neque Miſſæ ſacrificio intereſſe, neque ab opere ſe abſtinere cogitaret, vt ipſemet poſtea, & Indi complures teſtabantur.

Octo porrò diebus, cum non exiguis partus doloribus primaria quædam mulier luctabatur, ita vt ſpiritum reddere cogeretur. At ſumma nocte Societatis noſtræ Sacerdote accerſito, & ſuper ægrotantem Sancto Ieſu Chriſti, de more Euangelio recitato, filiū illicò peperit, & mirificè à morte ſibi imminente Dei beneficio liberata eſt.

Perſimile quiddam alteri mulieri planè contigit, quæ vehementer etiam partus doloribus premebatur: infantem duntaxat in lucem edere nequaquam poterat, ſed ad eam Agno cereo admoto, pro-

dit

dit infans, & mater cum ingenti ſtupore omnium, Chriſti adminiculo, libera extat.

Præclarum vero inprimis eſt, quod Hiſpano cuidam euenit, qui cum Sancti Pauli, vt apellant, lapillum accepiſſet à nobis, de collo pietatis ergò ſuſpēdit: cuius quanta vis ſit contra venenatos beſtiarum morſus, rectè nouit, cum ſemel iter faciens in ſcorpiones plurimos caſu incideret, à quibus magno Sancti Pauli miraculo nullo modo læſus eſt, vt non multò pòſt ipſemet mihi narrauit.

Inueni hoc anno ſenem adhuc gentilitiæ ſuperſtitioni addictum, adhuc falſorum lapidum, & dæmonum cultorem, ad quem redarguendum multus fui, ſed Seruatoris noſtri eſt in illum effuſa beneficentia. Idolum enim quod ſibi admodum carum, mihi cōminuendum donauit, & coram compluribus teſtibus ſpretis Dijs, in poſterum Deum omnium Creatorem ſtatuit implorandum.

Illud denique eſt memorabile quod accidit primario cuidam Indo, qui dæmonis horribili ſanè perterrefactus oſtenſione, & terribili Ieſu nomine inuocato, communem hoſtem fugat, & ab impugnatione omninò euadit incolumis.

Dei Optimi, & Maximi miſericordiam implorεmus, vt præſtò ſemper nobis ſit in præſentis vitæ periculis & futuræ Amen. Tamaſulæ quarto Nonas Nouembris, anno à partu Virginis 1608. Hieronymus Sanctus Clemens.

MIS-

MISSIO CINALOENSIS.

VT Paternitatem veſtram de Cinaloenſis miſſionis ſtatu certiorem faciam, litteras tãtum Patris Martini Peretz reſcribam, cui miſsio illa commiſſa eſt, qui ſic ait: Reuerentiam veſtram admonebo de miſsione hac, in qua degunt hodiè operæ nouem, ac tres Adiutores, qui maxima omnium commendatione, in Indorum horum ſalutem egregiè inſudarunt, qui etſi in oppida diſtributi, ſtatis tamen temporibus domum hanc petentes, tum ſacris exercitationibus, commentationibuſque ſpiritualibus exercentur, tum etiam aliquibus diebus membra longa exercitatione confecta reficiunt.

In Hiſpanos accolas, ac milites, Cinaloas, Mexicanos, ac Taraſcos, qui in hoc oppido Sanctorum Philippi & Iacobi commorantur, Societatis noſtræ munia Patres exercuerũt, ſicuti ſuperiorib⁹ etiam annis ſcrptum eſt, indieſque magis proficiunt omnes. Nam ſæpenumero eo præſertim tempore, quo indulgentiæ declarantur, conſcientiæ maculas pœnitentiæ Sacramento eluunt, cœleſtique pane reficiuntur; Dialibus etiam quadraginta tertio quoq; die corpus voluntaria diuerberatione coërcent.

Paucis ante menſibus Sodalitium erectum Sanctiſsimæ Virgini dicatum, in quod omnes adſcripti ſunt, Beatiſsimæque Matris Feſta celebrant ſumma voluptate, animo præterea ſatis affecto ſunt in Societatem, nam in neceſsitatibus noſtros ſemper adeunt, qui ipſorum incommoda, & ſermonibus, & rebus etiam neceſſarijs ſubleuant.

Illi autem, quibus hoc tempore Catechistica Doctrina, & Christiana præcepta traduntur, in septem oppida distributi sunt, quorum quatuor flumina Sanctorum Philippi & Iacobi incolunt, ac Ocoronicam regionem, reliqua verò in Sancti Ioannis Baptistæ Prouincia commorantur. Ex his etiam tria superiorib⁹ annis Catechesi formata sunt, cætera verò fidei Christianæ præceptionibus nūc imbuuntur.

Neophyti antiquiores in fide, ac pietate, quotidiè proficiunt, ædes sacras frequentant, temporeq; Quadragesimæ verberibus in se animaduertunt, ac peccata confessione deponunt: cum verò hæc Indorum ingens copia sit, non solum tamen Catechisticæ Doctrinæ, sed etiam concionibus intersunt magno solatio, ac aliquando pio in res Christianas affectu adeò mouentur, vt sæpe in magna frequentia luctus astantium Patrem detineant concionantem, præcipuè verò iam sermo de Christi Domini excessu habetur, Sacerdosque è nostris quadraginta ieiunij diebus quingentis ac tribus Indorum millibus peccata confitentibus aures accommodauit, agmine etiam eorum, qui se flagellis cecidere, longa serie ordinata sacella petebant, vt totam ferè noctem in eo cruciatu insumerent.

Verum in his, qui cœlesti pane reficiuntur, maximus vitæ emendatioris fructus conspicitur, ad quem tanta pietate, & religione accedunt, vt permultos superet, qui cæteris sunt exemplo virtutis, sæpeque contigit ad Confessarium pluries accedere, vt leuissimas etiam culpas aperiāt, antequam ad sacram mensam accedant. Pluribus verò, qui idem sum-

mo exoptāt desiderio, interdicitur, vt maioris quod assequuntur æstiment, permultæ etiam mulieres ad peccatum muneribus illectæ, & homines & pecunias contempsêre.

Anno superiori, quàm plurimi Guacabei accolæ ad scopulos ac caucas aufugerant, quos cum militum Dux insequutus esset, vt vel ad pristinam sedem illos adduceret, vel saltem castigatione aliqua in eos animaduerteret, ingruentibus tamen pluuijs ad oppidum re nulla confecta redierat: verum multis pôst mensibus, cum Ducis iram pertimescerent, ad caput omnes redierunt, cæterorum tamen exemplo, qui fugam & meditati fuerant, & facem omnibus prætulerant, Cruci suspensi sunt, præcipuè verò, quòd Neophytos quosdam ad cæterorum omnium communicationem repetendam illos adhortantes crudeliter interemissent.

In his nationibus Adolescens quidam degebat, qui maxima permultorum offensione vitam pessimam cum soluta muliere ducebat, hic cum aliquando agrum petijsset, vbi tunc illa versabatur, ac cum muliere ad aliquot horas commorat⁹ esset, cum domum iam repeteret fulgure percussus repentè interijt. Caciquij verò Ecclesiasticæ sepulturæ illum mandare nolebant, vsque dum Pater redijt, qui ad populum concione de iustitia Dei in scelestos ac peccatores habita, illum adeò permouit, vt non pauci anteactam vitam confessione expurgarint. Atque hæc de antiquioribus Neophytis.

Nouissimorum verò oppida quatuor sunt, qui abhinc mensibus quatuordecim Christianis rudi-

mentis imbui cœperunt, quorum pueri , & natu grandiores quotidiè ad ædem ſacram accedunt Catecheſim addiſcêdi gratia, vt citius aqua luſtrali expientur, ac breuiſsimo temporis ſpatio duo, & octoginta ſalutari lauacro abluti fuerunt. Verum in ſene quodam Dei benignitas, & miſericordia perſpecta eſt, nam cum illum Chriſtianæ fidei dogmatibus formarem, etſi praua valetudine detentum, vt tamen facilius, quæ forent opus memoriæ mandaret, puerum, qui auxilium præberet in ediſcendo, apud illum reliqui, cui ſenex cras, inquit, redibis, nam poſtquam omnia percalleam, euolabo ad Superos, quod cum à puero percepiſſem , ægroti domum iterum repeto, ac Chriſtianis rudimentis imbutum, cum aqua luſtrali initiatus eſſet, pauco pòſt tempore naturæ ſatisfecit.

Iecorates populi quotidiè de Chriſtiana religione opionionem augent , noſtroque ritu fidelium cadauera condi in ædibus ſacris adeò gaudent , vt hoc tantum in hac vita illis expetendum eſſe videatur. Cum verò aliquos hortarer, vt baptiſmum ſuſciperent, an fortè, inquiunt, corpora noſtra poſt mortem in æde ſacra ſepulturæ non mâdanda ſunt; Quod tamen Oguerę Prouinciam incolentibus minimè arridebat, qui cum mecum aliquando ſermonem haberent, de fide noſtra amplectenda, eos à fide tantum retardare dixerunt morem noſtrum cadauer humandi , cum ipſi in eadem de mora domo corpus terræ reddant. Verum ſermonibus adeò permoui eos ad morem noſtrum comprobandum, vt id vnum nunc expectent, quod cum è vita diſceſſerint, in æde ſacra humo iniecta contegan-

gantur.

Cauamesi accolæ in fide Christiana non adeò profecerunt, cum enim ad cæterorum Societatem nouissimè redacti fuerint, ac antea in caucis montiumque cacuminibus, vitam degerent agrestem, solitudinis desiderio sæpè affecti ad antiqua redeunt, permulti tamen hoc anno baptismum suscepere.

Ex alio oppido fructum vberrimum nostri retulere, nam Ducis militum aduentu, is fuit omnium timor, vt qui quotidiè ad ædem accedunt, vt initia Christianæ legis percalleát, permultique sacro baptismo initiati sunt. In hoc etiam oppido vetula quædam morabatur, quam cum Pater hortatus esset vt Christiana edisceret rudimenta, ac salutari aqua ablueretur, id vnum se aiebat expetere, priusquam efflaret animam, paucisque pòst diebus, cum de graui valetudine in quam inciderat, certior factus domum eius peteret, illam morbo adeò quassatam reperit, vt planè mortem ostéderet aduétare, quam Pater baptismate initiauit, oleoque sacro inunxit, & mox ipsa vitam naturæ reddidit. Senex etiá cum iam sacro fonte ablutus esset illicò diem obijt, qui cum permultis affinitate coniunctus esset, celebritate maxima, oppidique totius agmine facto, in æde sacra tumulo mandatus est.

Aliquando etiam in Idola Patres incidere, quibus barbari cibum ministrabant, vt eorum indignationem auerterent, aiebant enim iracundia ita efferuescere Deos illos, vt neminem ferre possent, quæ minutatim confracta in flumē proiecta fuēre. Detecti etiam medici non pauci, seu potius præstigi-

ſtigiatores, qui ægris ſuadebant, ex corporibus oſſa, lapides ferrumque ſurgere, quæ gignebant morbos, quorum fallacia publicè ipſorum etiam experimento comprobata.

Qui Oqueram incolunt, in fide magis quotidiè proficiunt, quàm plurimi enim baptiſmum ſuſcepere, totidem matrimonio iuncti. Mulier quædam ætate confecta, adeò pertinaciter in Idolorum ſuperſtitione perſiſtebat, vt nullo modo ſermonem pateretur de fide Chriſti Domini amplectenda; verum munusculis adeò eſt illecta, vt ſacrum lauacrum ſumma exoptet cupiditate.

Aliud oppidum in fide inſtituit Pater Andreas Perez, inquo hoc anno ædes ſacra erecta, quæ maxima Indorum frequentia, & celebritate dicata fuit; præterea etiam, cibo refecti omnes, qui ad Feſtum aduolarunt, natu grandiores baptiſmum iam diu expetitum ſuſcipiũt, compotationes publicæ ab hominum memoria excidere, politioresq; quotidiè efficiuntur, nam nil magis exoptant quàm indui, terramque incolunt maximo ſtudio.

Cum etiam intelligeret Pater, Comoporios Indos, qui ad oram maris degunt, cum benignè excepturos, nam adhuc gentilicis ſuperſtitionibus dediti ſunt, gentes innumeræ, ac agreſtes; etſi non adeò bellatores) illos petijt, cui aduentum cum ipſi præſenſiſſent, ædem breui extruxere, ibi coacti omnes eum expectabant, quam cum ingreſſus eſſet, precibus accolas Deo commendauit, concionemque de Deo rerum omnium Conditore, ac de æterna vita habuit, quibus rebus voluptate maxima

xima præbuere aures, ſperoque breui ad vnius Chriſti Domini cultum ſe conſecraturos. Hi etiam Inſulas non longè diſsitas Patri indicarunt, in quibus innumeræ gentes commorantur, quibus nonnulla elargitus eſt, vt eos ad humanitatem magis alliceret. Faxit Deus Optimus, vt Eccleſię iugo ceruices ſubijciant.

Reliqua Indorum oppida, quæ nobis commiſſa ſunt, miteſcunt indies, feritatemque deponentes, ſe ipſos inuicem maximè diligunt; ac quoties, vel ſalutis, vel Maizij diſcrimen immineat, ad Deum precibus confugiunt, vt ſanè mirum ſit nouos in fide homines tam breui ſpatio Chriſtianam inſtitutionem imbibiſſe. Mulierem etiam aduentante partu in vitæ periculo cōſtitutam baptiſmi ablutio ſanitati reſtituit.

Tegueci populi baptiſmate etiam inficiuntur, qui antea belli adeò amantes erant, vt nullo vnquam tempore à cæde deſiſterent, compotationibus dediti, ac maximè mulieribus, quorum ſcelera Patres ſatis deterruerunt, quibus eos ad Chriſti fidem hortandi cura commiſſa fuerat, vt de eorum ſalute haſtas penè abijcerent, ſed experientia eorum fefellit animos, nam cœleſti ope ſacroſancto Chriſtianorum ritu ablui cœperunt, etſi ex ijs non defuêre, qui Patres ſtuduerint è medio tollere.

Verum optima nonnullorum viuendi ratio cæteros hortatur ad idem præſtandum. Neophyti quatuor cum mulieribus gentilibus vitā peſsimam ducebant, ſed quorumdam exemplo permoti ad bonam frugem ſe redegerunt: mulieres verò pri-

ſtinos mores deteſtantes ſacro baptiſmate ablutæ fuêre. Caciquius quidam tenebris gentilitatis oppreſſas mulieres quinque domi retinebat, ad libidinem exaturandam, ſed noſtrorum hortatu cæteris eiectis cum alia illarum matrimonio iunctꝰ eſt. Alius nobilis, cum ſororibus duabus degebat maxima per multorum offenſione: verum & is Patrum ſuaſionibus ceſsit. In permultos etiam gentiles noſtri incidêre graui valetudine detétos, qui in Chriſtiana fide inſtructi, baptiſmoque abluti euolarunt ad Superos. Indi tres qui turpi ſcelere filios ac ſorores matrimonio ſibi iunxerant, à flagitio noſtrorum precibus abhorrentes baptizati ſunt.

Hoc anno oppidis alijs addita eſt natio eorum, qui Tzoes appellantur, innumerique putantur; hi quotidiè in Chriſti fide inſtituũtur. Nunc verò Prouincia nobis paratur apertiſsima gentium illarum, quæ flumen Maiam incolunt; ab his autem non longè diſsitæ ſunt permultæ nationes aliæ, quæ breui tempore Catecheſi imbuentur, nam quotidiè à Patre Prouinciali nobis adduntur operæ.

Qui hac in miſsione hoc eodẽ anno ſacroſancto æternæ ſalutis fonte initiati ſunt, ducenti triginta, & octo ſupra ter millia hominũ; matrimonio iuncti bis milleni numerantur.

In qua etiam miſsione viginti millia hominum fidei Chriſtianæ præceptionibus à noſtris inſtituuntur.

AN-

ANNVÆ LITTERÆ PROVINCIÆ PHILIPPINARVM, SOCIETATIS IESV Anni M.DC.VIII.



Vmerauit hoc anno hæc Prouincia Socios octo supra octoginta; è quibus quadraginta sunt Sacerdotes, reliqui fratres. Theologi quatuordecim: Philosophi quatuor, qui superât, Adiutores sunt. Habet Prouincia Collegia duo, tria Seminaria, è quibus vnum Hispanos alit Adolescentes; alij verò duo Indos iuuenes instruunt. Sex sunt sedes, vnaque Mißio. Nouitiorum verò Domus prima nunc iacit fundamenta. In Collegio Manilano tredecim morantur Sacerdos, ac præter Scholasticos Philosophos, ac Theologos, quatuordecim rebus domesticis occupantur. In Cebuano Collegio tres sunt Sacerdotes, totidemque fratres. In Sede Boholana Patres quatuor, duoque fratres. In Dulachiensi totidem. In Carigarana tres Sacerdotes, Adiutores duo. In Tinagonensi sex Patres, cum tribus fratribus. In Antipolana tres Patres, additis fratribus duob⁹. In Silanési Sacerdos cū Fratre, ad quos interdum mißi sunt alij Socij. In Octonensi Mißione Sacerdos etiam cum fratre, sed datus est ei ad tempus Sacerdos alius. Vnus hoc anno vita functus est, duoque in Societatem admißi.

COLLEGIVM MANILANVM.

A Nostrorum exordiar patientia hoc anno. Collegium hoc, licet non multò ante viginti annos ædificatum sit è lateribus (quod tunc pro maximo habebatur: nulla namq; visebatur Manilæ domus, nisi lignea, aut arundinea) tamen ea est harum Insularum conditio, ea solis vis, ventorum rabies, imbriũ magnitudo; vt omnia facili negotio dissipent, disijciant, perdant, atq; quodãmodo in cineres vertant. Adde bestiolas quaſdã hic reperiri corpore tantum, & habitatione à formicis dissimiles: has Anaes vocãt, quę ea diligẽtia sibi ad editã quamcunq; domũ, eiusq; contignationẽ comparant viam, vt admirationem certè pariant: Lutosam namq; ex infimis terræ partibus conficiunt materiam, eamq; noctu (non enim per diem laborare solent) ita parieti agglutinant, vt fornicatum efficiant iter luto illo retectum: inde subeunt domos, tigna, ac ligna vorant tanto silentio, vt trabem prius putridam experiaris, quam vorãtes agnoscas, quod si canale illud, cænosumque iter deijcias, disperdasque, ante diem alteram aliud longe melius fabricatum reperies: tantæ si quidem sunt multitudinis, vt credi vix possit. His ergo bestiolis cœlique intemperie minabatur iam ruinam ipsa Collegij contignatio; quin & trabes aliquot crepuerunt, ita vt sustentaculis opus fuerit, ne tota Domus corrueret. Sed quod auxit malum, nec imminuit nostrorum patientiam, fuit imbrium ea vis, ac ventorum, vt domus tegulis tecta, ac tabulis, absque tecto esse videretur: In cubiculis nec locus cubili

bili erat, nec librorum mensæ, nec alijs ad nostrorum vsum necessarijs: domus tota lacui similis, nec ambulare poterant nostri per domum absque soccis. Domi ergo manebamus veluti in platea, omni inclemẽtiæ, omnibusque imbribus subiecti, nõ sine salutis periculo, quam tamen tutatus est Deus, licet eam probauerit in multis è nostris. Nunc verò etsi ære alieno premamur, curatum est ne domus superiora ruant, sicque iterum resarcitur potius, quam ædificatur.

Hoc ergo damnum siue incommodum nihil obstitit, quominus nostri sua maximè exequerentur. Igitur quę communia sunt studiorum, concionum, Sacramentorum aliorumque nostrorum operum incitamenta, nullatenus frustrata sunt. Sodalitates tres auctę numero, ac consuetis Sodalium exercitationibus, hospitalem domum inuisere, infirmis adesse, illis deseruire, non sine munusculis. A nostris aditæ triremes singulis Dominicis diebus: inuisi in carcere detenti: Æthiopibus traditus Catechismus, pluribusque aliis nationibus subuentum, puta Tagalibus, Malucensibus, Burneis, Cinensibus, Iaponensibus, Bisaijs, Camarinensibus, Illocensibusque. Sed quod à nobis pro maximo habitum est, quodque summè laudauit ciuitas vniuersa, illud fuit, sedatas per nostros discordias multorum, eorumque grauissimorum Virorum, quæ ni sopitæ fuissent, magnum sibi malum, Reipublicæ incommodum, Indisque omnibus scandalum genuissent. Itaque si quid graue agendum est, si quis conscientiæ casus enodandus, nostros adeunt cum ciues, ac Principes viri, tum

etiam

etiam religiosi ipsi, alijque, qui hic ante cæteros scientia præstant. Noctu ad infirmos euocamur frequenter, cupiuntque ciues, nostros sibi in extremo vitæ discrimine adesse. Generales confessiones, tum ab ijs, tum ab alijs vsurpantur magno numero, ac prouentu, nullusque fere dies vacuus est à sacra communione, à confessione verò nullus omninò. Quidam nostris haud assuetus, in ipso domus ingressu tantum visus est sibi spectasse rerum ordinem, tantamque modestiam, vt Sacerdotem à ianitore petierit, apud quem totius vitæ crimina expiaret, mutatus in alium hominem ex solo domus nostræ aspectu.

Quidam è nostris dum aliò adnauigaret, orta tempestate, coactus est portum, quem paulò ante reliquerat, repetere. Dumque summo mane in ipsa nauis puppi oraret, audiuit in ipso maris medio humanam vocem auxilium petentem, qua motus frater, licet ventus vrgeret maximè, eiecta statim è naui cymba, mittit, qui cernat quid illud esset: porrò missus Indus quatuor alios reperit, in ipso pelago vndis penè submersos (naufragium.n.passi fuerãt) hos statim extractos ad littus adduxit, morituros quidẽ miserè, ni eis fauisset frater. Idem casus etiam in alia Cymba commorans, nouem homines ex Maluco huc aduectos, in mare à vento demersos, liberauit, inqu e Cymba impositos adduxit in portum. Dum frater adiutor apud Pampãgenses Indos moraretur, accurrere Indi in Patrem Priorem Augustinianæ familiæ, cum quo tunc frater sermonem habebat; afferunt remedium se postulare aliquod, vt

opem

opem afferrent cuidam, qui seipsum laniabat, eijciebat spumas, hac, illacque se proijciebat, tantoque impetu volutabatur, vt plures alij illum vix possent detinere. Rogat tum Pater Prior fratrem nostrum, vt illuc se conferat, simulque videat quid illud sit: paret frater, videtque hominem sese volutantem, dæmoniacoque persimilem, eiusque dolens vicem, Agnum Dei, quem secum gestabat, profert, inque dolentis manum mittit, qui statim à volutatione cessans, oculos aperit, miratur se in solo iacere: miratur tot circumstare spectantes, miraturque simul corpus à se dilaniatum. Cessat statim Dei benignitate morbus: surgit Indus, domum petit, gratias, vbi melius se habeat, daturus Deo in templo.

Auctus templi nostri ornatus mille argenti ponderibus nonnullorum ciuium liberalitate, è Sodalibus vnus ducenta obtulit ad Virginis imaginem conficiendam, pondera plura daturus. Sed illud in ijs Insulis nouum, atque mirum in Bacchanalibus, vbi per Iubileum recens à sũmo Pontifice Paulo V. concessum, vniuersa partheniana Sodalitas ciuitatem hanc eo studio à prauis occupationibus retraxit, vt prætermissis ludis, illo ante sacros cineres triduo à nostro templo non discesserit, quod quidem mirificè exornarũt. Lubet hic nonnulla de eius ornatu referre, quod multorum millium aureorum summam excessit. Templi cœlum sericis peristromatibus exornarunt, ijsque discoloribus aspectu iucundis: hæc distinguebant pictæ quædam, aurataeque Iaponenses tabulæ, pluribus figuris, historijsque decoratæ. Parietes hinc indè conuestiebant

bant culcitræ, vario ſerico acuque pictæ, auroque fulgentes magni pretij; ex ij. aliæ diſcolores ornabant arcus, fornicesque multiplice velo illaqueatæ; è quo curiosè picta emblemata pendebant: medios autem arcus, qui plures ſunt, plures etiam argenteæ lampades condecorabant. Porrò tota hæc ſerica ſuppellex Aquilis, Pauonibus, Anſeribus, Cuniculis, Leporibus, alijſque tum auium, tum quadrupedum generibus acu mirè elaboratis ſcatebat, ita vt viretum diceres templum, quod etiam plures, variæque plantæ hinc indè in ſuis vaſis diſpoſitæ ſpectabilius reddebant ac formoſius: capita columnarum tegebat gauſapinum ſericum, varijs bombicinis nodis contextum, eodem ſerico ornabatur ſuperior templi pars, addito damaſceno, auroq; intexto ſerico. Ex vtraq; tẽpli parte pendebãt Sanctorum imagines non exigui pretij, ac ornatus. Sed hæc omnia ſuperabat ara maxima, vbi præter pretioſiſsimas ſericas veſtes, auratæ ſurgebant columnæ, miro artificio diſpoſitæ, quæ cum medios haberent arcus, vbi Tutelarium Diuorum claudebantur Icones, viſu iucundum opus reddebant, tres erãt columnarum ordines, in quorum ſummo Chriſti Domini imago patebat, quam mediam habebant Beatus Parens noſter Ignatius, & Xauerius, Seruatoris autem imago vexillum porrigebat Ignatio, tanquam Societatis anteſignano. At in media ara ſurgebat etiam ex aurato opere curiosè fabricatum opus, varijs Sanctorum, Angelorumque effigiebus exornatum, in cuius ſummo ſacra Pyxis auro, argento, lapidibuſque pretioſis conueſtita cunctis patebat, cunctorumque oculos ad ſeſe mirè

mirè alliciebat. Solum ſtratum tapetibus, floribus, palmarum ramis, qui etiam ſummos, infimoſque parietes contegebant. Sed vt celebrior eſſet hæc Dominici Corporis feſtiuitas, curatum eſt per Sodalitatis Præfectum, vt vniuerſus Eccleſiaſticus Senatus, vnâ cum reliquis Religioſis familijs inita proceſsione, è tēplo maximo huc ſupplicationem inſtituerent; cum pro ipſo Maluco, quem Olandenſes infeſtabant; tum etiam vt tutaretur Deus Pietas Inſulas, nè à Mindanaenſi Pirata infeſtarentur, quod quidem rem auxit ac pietatem. Miſſa ſolemniter decantata eſt à Primoribus Canonicis: habitæ his tribus diebus hortationes, cantus interpoſitus, variorum inſtrumentorum concentus ferè perpetuus, hominum, ac mulierum frequentia maxima: plurimi ſacra communione refecti, vniuerſi non minori lætitia, quàm admiratione repleti; nec defuit cum Præſide Regius Senatus ijs diebus, in quibus verè maxima peccandi licentia ſopita eſt: dumque hæc fierent, perlatum eſt ad ſummum Inſularum Præſidem, Nobiles quoſdam Adoleſcentes, Baccho potius deditos, quàm Deo, velle per vrbem perſonatos incedere, quibus ſtatim imperatum eſt, vt ab incepto deſiſterent, iniuncta ſimul graui pœna, ſi pedem domo efferrent ad rem aliam, quàm ad templum, dies hos ſacratos eſſe iam Chriſto Domino, non Baccho. Peracto feſto, ciues grates dedêre noſtris ob tale inuentum, tamque iucundum laqueum, quo etiam nolens voluntas nectebatur, vt prætermiſsis Bacchanalibus, tota ſe Domino colligaret.

Diui Ioſephi Seminarium ſtudijs creſcit, ac virtutibus

tutibus, nonnulli ad varias Religioſorum familias ſe contulêre è noſtris diſcipulis; ſed præcipui ex hoc Seminario numerantur. Ieiunia etiam longè ante ætatem, orationis mentalis vſus, voluntariæ verberationis vſurpatio, etiam ad ſanguinem, librorum ſpiritualium lectio, colloquia de recta vitæ ininſtitutione, communia iam ſunt ferè omnib⁹, nullo duce. Inſtitêre hoc anno apud Rectorem, vt ſingulis ſextis ferijs ad illos hortationem haberet; curaruntque maximè, vt ſibi liceret publicis vti pœnitentijs, pedes ſcilicet aliorum exoſculari, ſua fateri communia crimina, eadem ab alijs inſtanter exigere, aliaque huiuſmodi virtutis incitamenta; nec mirum hoc (quod alias mirum eſſet in hoc vltimo orbe, quod bonorum exemplis caret:) nam ex Sacramentorum frequenti vſu, tanquam è fonte, bona hæc emanarunt. Sub Dominicæ Natiuitatis noctem eſt datum ab illis ad ſolatium domeſticum, drama, verum, ciuitate ſubodorante, coacti ſunt illud iterum dare, non ſine ſpectantium lachrymis ac prouentu, Seminarijque laude, quod tales irrigat plantas, ſuaues aliquando fructus daturas.

In oppido Sancti Michaëlis, quod noſtrorum curæ demandatum eſt, diminutus eſt, Regio iuſſu, Indorum numerus, non tamen diminuta virtus, ſed nec ſoli noſtram adeunt Eccleſiam ad conciones audiendas, Sacramentaque ritè vſurpanda; verum quicunque in ſubvrbanis commorantur, noſtrorum poſtulant auxilium ad ſuæ ſalutis bonum; quin & ipſi Parochi ſæpè noſtros euocant, vt ſibi adiumento ſint in ſuis oppidis, tum in concionibus habendis, tum etiam in confeſsionibus

nibus audiendis, quibus pro viribus satisfactum est.

Mulier quædam oculorum lumen penè amisit; in causa fuit scripsisse illam, ac simul legisse plures amatorias epistolas; criminis ergò pertæsa aliquando votum emittit coram Diua Lucia, epistolas huiusmodi se nunquam aut scripturam, aut lecturam in posterum: fauit illi statim Pia Virgo, visum recipit mulier, quo satis bene vsa est per octo menses, quibus transactis inuitata ab alio scripsit iterum huiusmodi epistolam, aliamque subscripsit illa sibi; sed adfuit illi statim diuinum flagellum: visum iterum insequenti die amittit, quo vltra mensem omninò caruit, in se tamen tandem reuersa, votum renouat, simulque oculos sacra Antipolanæ Crucis terra linit; paulòque pòst videre iterum, sed non perfectè ei concessum est: attamen Dei beneficio factum est, vt hac pœna animæ luce potiatur clarius, quæ corporis lumine malè prius vsa fuerat. Obijt ante annos quindecim Dux quidam Hispanus, qui testamento multa millia argenti pondera legauit in bonum oppidi, cuius commendatarius fuit, sed res vsque in hunc annum procrastinata est, quo P. Rectoris diligentia, iussuque Præsidis nonnulla ex Regio ærario, vbi asseruabantur, extracta sunt, quæ ab ipso P. Rectore delata ad oppidũ: egit cum Augustinianensibus Patribus, vt in publicum hospitale conuerterentur, vbi & corporis & animi remedium dare queat Indis facilius.

Finem imponam huic Collegio (dolens quidem casu) difficili duorum exitu, ex his, qui in hac Pro-

uincia è nostra Societate fuêre dimissi(prætermittam tertium, quem Ecclesiasticus Iudex in exilium misit ob eius facinora)sed è duobus prior, qui fuerat Adiutor, quique nauticam callebat artem, post multos perpessos labores, quibus conflictatus est, vltra annum ab egressu è Societate, dum aliò adnauigat, orta tempestate, fractoque nauigio, in mare demersus, nullo adiuuante, miserè suffocatus est, & vtinam fauerit illi Deus. Al t ererat Sacerdos, qui dum in Insula Malicdichensi, iussu Manilensis Vicarij, Hispanis, ac Indis dat operam, sibi miser abfuit: die namque quadam, dum in ipsa maris ora, sub noctem obambularet, vidit remigantem Indum, qui orizam deferebat: euocat illum, empturum se asserit orizam illam; negat Indus, aitque sibi illam coëmisse, non alteri ; terret illum Sacerdos, quem blandis verbis in suam sententiam adducere non poterat. Indus, qui adhuc in cymba erat, remigando fugam arripit secunda hora; illum tunc Sacerdos in schifo, quod ibi fortè erat, Indis associatus insequitur, ac cernens ille plures esse, qui eum insequebantur, eam oræ partem, quæ arboribus consita erat, petit, arreptoq; cursu, arborum densitatem, quò inueniri non posit, quærit: nox erat iam, cælumque subobscurum. Indi ergò cum Sacerdote vbi primùm syluam intrant, hominem quæritantes (erat ibi fortè gentilis vnus, qui ob mortem alteri illatam sese in eo nemore abscon-derat) in hunc casu incidit vnus è Patris socijs, à tergo tamen illum cernens, orizæ Dominum esse existimauit : deferebat gentilis lanceolam, hanc dum vitat arreptor, clamat: én hominem accedite.

cedite. Sacerdos, ſeu ira, ſeu curſu celerior alijs, prior accedit, obſcuritate tamen non ita probè perſpiciens hominem, ipſe ſe eius lancea transfodit, mox in terram cadens, effuſiſque viſceribus paulò pòſt obijt, nullo iuuante, aut commonente Hiſpano. Et quidem doluere noſtri horum caſum: faxit Deus, vt eorum miſertus, eorumdem animis veniam dederit, quorum corporibus pœnam attribuit. Indus ille, qui per errorem captus fuerat, cuiuſque erat lancea, qua ſe traſfixerat Sacerdos, Manilam adductus, innocens huius criminis; haud tamen innocens aliorum; dum in carcere Iudicis ſententiam expectat, in morbo baptiſmo ablutus eſt, pauloque pòſt vitam cum morte commutauit.

ANTIPOLANA SEDES.

SAcram ſynaxim frequentāt ciues magis, quàm antea: pijs inſtruuntur meditationib⁹: Illatas iniurias remittunt facilius: alienatos proximorum animos conciliant libenter: Voluntariæ verberationi dant operam, non ſolùm ter in hebdomada, maximè ieiunij tempore, verùm & ſingulis ſextis ferijs totius anni eidem ſtudiosè inſudant: quibus in rebus, qui è Partheniano ſunt cœtu, priorem locum tenent; quin & mulieres ipſæ diu inſtiterunt apud Patrem, vt dum in templo viri ſe verberant, ſibi etiam certus deſignaretur locus ad idem peragendum, factaque tandem facultas fuit, vt in ipſo pauperum Noſocomio (vbi virorum nullus tunc temporis adeſt) ſalutari ſeſe flagello macerarent. Sed neque hoc ſolum bono gaudent Indæ mulie-

res ad carnes cilicium adhibent, funiculosve pungentes: frequentius Ecclesiam adeunt: diutius in precibus persistunt , quamque innatam habent castimoniæ gloriam, tutantur diligentissime. Inda quædam ex Iris oriunda, recensque sacro baptismi lauacro tincta, verbis, ac pecunia non semel à procaci quodam Indo tentata est ad stuprum: illa tamen & verba, & pecuniam parui pendens, hominem à se silentio reiecit. Alia impuro solicitante respondit: en Dominum meum nuper recepi; Licebit ergo talem tanto Deo inurere iniuriam? Absit hoc, præstat mori millies, quàm tantum audere scelus. At tertia fortior, audaciorque: Hæc cum procum hominem, turpemque acribus à se verbis repellere non potuisset, sumpto audacter fuste, illum à se facile abegit.

Ausus quidam (inuidia potius ductus, quàm pia æmulatione) ad sacrosanctã Eucharistiam accedere criminibus aliquot maculatus, recepit namque in ore augustum illud Domini Corpus, paulòq; pòst ausus sui sensit pœnam: Haudquaquam enim valuit hostiam è faucibus in stomachum traducere: instat, vrget, potat aquã, sed per tres horas nihil proficit, quin potius in ipso gutture pũgenti quadã spina, nõ exigui doloris causa, sentit se vehementer angi. In memoriã ergo miser reuocat crimina; audaciam examinat, scrutatur causam tanti mali, adducitque sibi in mẽtem quidquid in simili casu anno superiori acciderat cuidam Indæ mulieri in Tubacano oppido idem audenti: dolet miser, tristatur, petit veniam tanti criminis: eius tamen misertus Dominus, statim immisit ad pectus sacræ hostiæ particulam

ticulam alteram; altera tamen adhuc per triduum subpungente, post hæc verè pœnitens Indus generali se confessione expiat, meliorque postmodum futurus, statim conualuit, sacro Angelorum cibo feliciter ad stomachum traducto.

Comederat quidam sexta feria carnem, quæ verò supererat, in olla ab ipso diligenter seruata est domi: insequenti tamen die carnem iterum pransurus, ollam iterum aperit, nec mora, vix operculum substulerat, cum anguem pro carne reperit. En, dices, mors in olla, sed mitius se habuit Dominus mortis, illum tantum hoc modo terrens, docensque nunquam deinceps huiusmodi scelus patrandum.

Ex istis quidam hunc in simili comestione imitatus, vt primum carnem comedit, aduersa valetudine oppressus est, mox conualescens destitit, sed non longè pòst oblitus moniti, comestionem iterat, iterumque à morbo percutitur, sed ad seipsum reuersus, licet recens Christianus, breui nouit haudquaquam frangenda esse Dei Optimi, Ecclesiæque Catholicæ præcepta, quæ seruaturus deinceps, à carne vetitis diebus abstinuit omninò.

Non longè ab Antipolo erexerant de more Crucem Indi proceram illam, atq; in edito colle cōspicuam: Hanc à ventis dirutam, illac transeuntes Indi ad communis itineris latus; in ipso gramine reuerenter collocant: post aliquot verò menses, dum igni traduntur campi, nulla locatæ Crucis memoria subeunte, gramen ipsum editum quidem, ac supra equitantem hominem elatum citissimè voratur ab igne: at Crux quamuis

ob vetustatem igni aptissima videretur, vicit ignem, à quo ob signum tincta potius, quàm tacta remansit, quod vbi primùm nouerunt Antipolani, monito Patre, illuc adeunt vniuersi, initaque solemni processione, eam ad Ecclesiam nostram deferunt: sed in ipsa processione ostendit Deus pergratum illi esse hoc pium opus: nam primarius quidam Indus diuturna febri laborans, vbi primùm Crucem in humeros sublatam portare cœpit, ipsa febris abscessit. Alius dysenteria, ventrisque dolore oppressus, eodem modo statim conualuit. Instant plurimum Indi, vt ex ijs Crucibus, quæ multæ iam sunt, frustula sibi tradantur, ii præcipuè, qui oblongum sunt iter aggressuri, vel diuturnam nauigationem inituri: aiunt etenim huiusmodi particulas, sacrumuè earum puluerem aptissima esse, ad omnem pellendam infirmitatem remedia.

Sed referam nunc antiquioris Crucis, quæ apud oppidulum Caiancangan superioribus annis reperta est, recentia aliquot miracula, alijs multis prætermissis ob breuitatem. Inda quædam alterius oppidi septem annis oculorum visu caruerat omninò: hæc sacræ Crucis miracula audiens, visus recuperandi cupida, tantillum pulueris, qui ex ipso Crucis pede manauerat, instanter petijt ab alio, acceptumque in aquam immisit, lutum fecit, liniuitque oculos, nec frustra: eodem momento visum recepit, oppidanis omnibus, nostrisque Indis mirantibus, quippe qui probè nouerant eandem mulierem cæcorum more emendicato viuere solitam. Illa grata tanto beneficio huc ascendit grates Deo datu-

datura. Domum, in qua cæca hæc mulier ſuſtenta-batur, poſsidebat nobilis Indus, qui non multò poſt mulieris ſanitatem, periculoſo morbo detineri cœpit: mortemque timens, argenteam ex voto pollicetur Crucem Antipolanæ Eccleſiæ, dummodò per eam ſtet eius ſalus, ille, breui morbo ſuperato, argenteam Crucem arundineæ Cruci reuerenter offert, dupliciter lætus, & quòd ſalutem receperit, & quòd orbam mulierem perfecto oculorum vſu vtentem, in ſua domo hoſpitem haberet, quæ ei cauſa fuit recuperandæ ſalutis. Plurimis morbis vexabatur puer decem annorum, ad cuius ſanitatem adducuntur à parentibus idonei duo Indi, qui curent infirmum. Curare tentant, adhibentque, quæ norunt, medicamenta, ſed tantum illud aſſequuntur, ſe operam in puero perdere, moriturum omninò, quippe qui quatuordecim ferè diebus, præ nauſea ac dolore ieiunus perſtiterat: oculos inſuper habebat obcæcatos putri quadam materia, quæ miſeriam, morbumque augebat: parentes remedio deſtituti, ad diuinum confugiunt auxilium; pollicentur ſe ſacram Crucem inuiſuros, oblaturoſque munus, ſi ſalus periclitanti puero præſtetur, mox, ſumpto ſacro puluere aquæ immixto, morientis corpus totum lauant: nondum ablutum fuerat, cum conualeſcere cœpit puer, biduoque pòſt corporis ſalute, oculorumque viſu vſus eſt. Duo Indi conſtricti matrimonio, repètino morbo, ſeu potius morbis, febri nempè acuta, capitis dolore, ac pectoris decumbebant adeò, vt pulſu arteriarum carerent, frigore graui cooperti, nulla vel ſyllabæ prolatione oſtenſa; nullus intro-

missus in fauces cibus, nullus potus adhibitus, quid plura? eadem die mulier vita functa est. Sed mulier alia miserata fratris adhuc superstitis casum, nihil non experiri cœpit, vt germano prodesset; sed illud potissimum ei adfuit remedium, exiguus sacræ Crucis puluis, quem per vim eius ore aperto immixtū aquę gutturi instillat, extemplò loqui cœpit infirmus, cibum postulat, breuique amissas recuperauit vires, vniuerso oppido obstupescente.

TAYTAYENSE OPPIDVM.

SEd & à Cruce hic etiam initium sumam⁹. Ante annos ferè viginti mutatum est hoc oppidum à cœnoso loco, seu lacu (vbi quotannis plures ex ciuium filijs Crocodilorum esca esse solebant) ad lapideum quēdam collem, haud asperum ascensu, liberum tamen à cœno: delata etiam simul fuit ad nouum oppidum prægandis quædam ligneaque Crux, quam ibi erexerunt, erecta ergò in nouo oppido non multò pòst, ventorum vi vrgente, effractis brachijs, Crux pro stipite restit. Obliuione ergò iucrebescente, eius pars Ecclesiæ, quæ tum ex arundinibus facta est, pro sustentaculo data est: alteram accipit Indus quidam, eamque per duos ferè annos sub dio iacere permisit, hinc alius Indus cupiens postem vetustum suæ innouare culinæ, partem illam Crucis emit à conciui. Haud multò pòst emptor infirmitate consumptus interijt, vxore eius in morbo etiam iacenti: quæ pluries vrgente conscientia, arguebatur, Crucem haudquaquam pro poste culinæ debere inseruire. Morti ergò

ergò proxima, quasi è graui quodam somno aut veterno experrecta, filium vocat, eique narrat multos se in somnis vidisse conciues, atque inter eos quendam toti oppido notum, qui partem illam Crucis ex eius culina aliò deportabat: quare, si quid in te pietatis est, fili, (inquit illa) quàm primum sacrum illud lignum reuelle: nec mora, eadem die lignum abstulit filius, eademque die sudore correpta mulier morti vicina, nullo medente conualuit. Hoc peracto, nobilis alius Indus ex eo sacro poste Crucem efformare integram, illo prius in partes diuiso, voluit; dumque dolaretur ab opifice, accedebant multi, certatimque quæ cadebant frustula, sibi carpebant: alij vt illa igni traderent, nihil de Cruce cogitantes; alij vt eadem pro sacris haberent: actumque est vt priores diuinum sentirẽt flagellum, inter quos puella quædam vbi primum frustula illa in ignem cõiecit, graui extemplò morbo est oppressa. Alijs verò qui illis bene vsi sunt, remedium fuêre ad morbos pellendos. Dum hæc fiebant, Indus ille, qui primo Crucem vendiderat, ex Taytaiensi oppido se ad Pasense transtulerat, ibique quasi ciuis morabatur: sed graui paulò pòst morbo correptꝰ, existimans se à morte non abesse, secum agit de animi sui per confessionem expiatione, cumque peccatorum suorum examen iniret, in ipso, in quo iacebat, strato audit vocem (ignorat ille vtrum dormiens, an experrectus) sibi dicentem: Vt quid de confessione agis, qui grande quoddam crimen prætermittis? ecquod nam (inquit ille) crimen posthabeo? nonnè maximum scelus est (infit vox) Crucem sacram postem esse culinæ? ille

tunc timore correptus, tabellarium cum pecunia venditæ Crucis ad Taytaium mittit: petit ab emptore, vt sibi Crux restituatur; nequaquam bonum esse tale lignum in tam vili loco manere: negat emptor, qui iam pro sacro habebat lignum illud; venditor tamẽ ad Ecclesiam mittit pecuniam, nè apud se tam malæ venditionis lucrum reseruet. Porrò non longè pòst ipse etiam saluti pristinæ restitutus est: Crux verò in nostro templo ad memoriam tantæ rei reuerenter asseruatur.

Inter eas Cruces, quas supra dixim⁹ ab Indis erigi publicis vijs ad iter agentium solatium; vni affixerunt Taytaienses vexillum quoddam exiguum, in cuius medio consuerant Crucem rubram, bombycinamque, locus, in quo sita erat Crux, montem imitabatur, ventique in ijs Insulis haud inertes, vexillum assiduo flatu inde ablatum, extra commune iter asportant; quæsitum verò diligenter, nullatenus inuenri potuit. Toto ergò pluuiali tempore cœli inclementiam tulit, adueniente tempore, quo igni de more traduntur campi, seruatur ab igne hoc modo, vt omnia circumcirca concremata, vexillum quasi in mensa quadam subsideret, & ita illa gramina sub se incombusta, intactaque haberet. Post dies aliquot, Indi quidam è nostris venationi operam dantes, illàc casu transibant, cum ecce prægrandis illa herba, inter tot cineres non combusta, illis vexillum illud ostendit, nec imbribus putridum, nec ignibus tactum, quod reuerenter acceptum, Taytaiensibus restitutum, in Ecclesia collocatum est. Indus quidam Crucem paruulam arundineam, supposita alia arundine, in suis satis erexe-

rat,

rat, quasi fatorum custodiam: in hac tamen camporum vastatione pes ille ab igne voratus est, Crux verò, quæ benè vetusta erat, nec à fumo tacta, integra cecidit inter cineres, quæ ab Indo cum timore accepta, domum deportatur. Post duos verò dies graui dolore perçussa Indi huius vxor, Crucem adorat, recitatque Dominicam orationem, dein manu tacta Cruce, eadem locum doloris tangit, dolorque abscessit: quo viso, maritus, qui ante duos annos asthmate laborauerat, ac tussi, quæ somnum impediebat, vxorem imitatus pectori applicuit manum, qua Crucem tetigerat, statimque abscedẽte dolore, ac tussi, sanus repertus est, sanusque hodiè perseuerat. Idem factum est de alia Cruce sex palmorum, quam non tetigit ignis, qui prope illam prægrandia ligna in cineres redegit. Placet siquidem Deo Indos hos recens conuersos tali suæ Crucis pignore ad sese propius aduocare, quò in fide per hæc signa firmiores effecti, alijs sint documento & exemplo.

Piscabatur Indus quidam in proximo lacu, & ecce Crocodilus magnæ proceritatis senem voraturus accedit. Indus nihil timens, Agnum Dei quem collo suspensum gestabat, profert, Crocodiloque ostendens, ait: Accede bestia, videbo nunc vtrum quid contra me posśis talibus armis munitum, tum bellua quasi intellectu munita, fustibusq; appetita esset, veloci cursu aufugit. Haud ita quidem contigit Adolescenti cuidam, qui alterius erat oppidi. Hic nocte quadam, quæ Dominicam diem præcedit, piscatum adijt, sed nullo ferè negotio à Crocodilo voratus est, vt

vt ſcirent alij, quanto in honore habendi ſunt feſti dies.

Hoc Aprili menſe viſæ ſunt locuſtæ ea multitudine, vt nubes illas diceres, non locuſtas. Adeunt Indi Patrem, remediumque poſtulant: offertur illis aqua benedicta: attamen permotus Sacerdos ab alijs è noſtris, exorciſmum adhibet; vixque dimidium perlegerat, cum ingruente vento tota illa moles, quaſi ſata omnia vaſtatura, acceſsit: ſed in ipſis quidem ſacris (mirum) quaſi proceſsionem inirent locuſtæ, medios campos linquentes, hàc, atque illàc volitantes, intactas fruges reliquêre, maxima omnium admiratione. Die alia euocantur ad ſacrum Indi vniuerſi: & ecce maxima locuſtarum phalanx, ſator um terminos adit. Indi in tanto periculo hæſitantes, ſacrum linquere tentabant, ſed mox Deo ipſi ſiſi Eccleſiam adeũt, Miſſam, concionemque audiunt, qua peracta, vident locuſtas, quæ in ſatis ferè morabantur, Deo impellente, lacum verſus volitaſſe, vbi maxima eorum pars ſuffocata eſt.

Hac Quadrageſima Salue quotidiè decantata eſt in Eccleſia magno Indorum concurſu. Voluntaria verberatio ter in hebdomada vſurpata, tanta adeuntium frequentia, vt plures extra valuas templi, quod magnum quidem eſt, ſeſe verberarent. Sexta quoque feria ſolemnis proceſsio habita, poſtquam præuia ſpirituali lectione lingua Tagæa, cuncti de ſe ſalutares ſumebant pœnas. Yſdem diebus ob memoriam Dominicæ Paſsionis prægrandes lapides ad Domus conſtructionem humeris detulerunt. Primarij, atque Sodales, libertate donarunt

In-

Indos aliquot pro mancipijs habitos, generali ſe confeſsione expiarunt quàm plurimi, ob antiquæ Idololatriæ deteſtationem. Senes duo penè centenarij ſumpta extrema vnctione conualuerũt, firmiorique ſalute vtuntur nunc, quàm antea. Bis ab igne liberatum eſt oppidum; primò flante ſubſolano vento, qui ignem iam deportarat ad ſata, ſed clamantibus in cœlum Indis, extemplò alius conſurgens ventus, ignem alio aſportauit. Secundò audiente toto oppido ſacrum, ignis accenſus eſt in domo quadam noſtro templo proxima, quod fuit in cauſa, vt ab Indis viſus ignis nullo negotio ſopiretur, domo etiam illa ſuperſtite. Et quidem ni extinctus fuiſſet, multa aureorum millia, ſeu potius Indi ipſi deperijſſent, ad ſummã inopiam redigendi. Mulier quædam prædiues è ſuis ſatis regrediens duas alias Indas habebat in itinere ſocias: dumque ambularent, ecce turbo, poſt turbinem tonitrua, dein fulmen, mulierem illam tanto impetu petit, vt vorata magna auri parte, quod geſtabat, ſiniſtraq; abſciſſa auricula, cor adierit, deindè pedem, crematiſque veſtibus Indam mediam in ipſo campo penè ſepelierit, viſumque eſt deindè eandem mulierem nec ſacram corollam geſtare ſecum, nec Agnum Dei, auro tamen tantum onuſtam: Duas verò ſocias, quæ haud quinque paſſus ab illa abfuerant, ſacrum tunc Virginis Roſarium recitare, ſicque incolumes ſeruatæ ſunt, licet fulminis ipſius vi ad terram fuerint proſtratæ.

DOMVS IACOBITANA.

OPpidum hoc Indis ſcatet Itis, ſiquidem editos montes incolunt, oppidiq; ſitus mons eſt, quia tamen de his barbaris multoties ſcriptum eſt, operæ pretium duxi breuibus de eorum moribus hic agere, qui, vt nonnulli ex ipſis, poſtquam conuerſi, referunt, ſequentes ſunt. Itæ vel Aitæ gēs quædam eſt barbara, quæ nulli aſſueta humanitati, belluarum more ſyluas, montes, nemoraque diſperſim habitat, colore eſt triticeo, quippeque arboribus tecta ſolem vix ſuſtinet, nuda incedit, corticibus tantum exiguis inferiores corporis partes tegit, pro armis arcum & ſagittam habet, vnâ cum exiguo pugione. Domos habet nullas: vbi primum ingruerit nox, ſumptis arborum folijs pro tecto, pro columnis ligno aliquo, ſeu arundine exigua, quam arbori admotam hinc, atq; hinc alijs adhibitis, ſuſtinet: tugurium conſtruit, ea tamen exiguitate, vt nec erectus ibi ſtare homo, nec diſtentus iacere queat: domus namque vnius noctis eſt. Sata non habet, nec campos colit: venationi tantum aprorum, ac ceruorum vacat. Vbi primum venatione ceperit ceruū, aut aprum, ibi figit tentoria; ibique tamdiu moratur, quamdiu capta venatio durat, quam igni toſtam comedit, ac pro pane radices quaſdam effodit, quas terra profert inſeminatas. Bini, terni, quaterniuè incedunt ad venationem, ingruente nocte magnum accendunt ignem, quem facilè in cineres reducunt; dein cineres in duas quiſque diſpertitur partes; mediam, qua ſolum calefactum eſt, pro lecto habent, hinc, atque

hinc

hinc cineribus, sæpeque accidit, vt dum dormientes hac, illacque se mouent, ab ipsis, quæ sub cinere latent prunis, concrementur. Si quis ex socijs, aut vxor aut filius infirmatur grauiter, facto illi patrio strigulo, aliquid ibi cibi relinquunt, dein inde recedunt aliò, quod si aliquantò melius habuerit infirmus, vbi primùm in eos incidit, non lætitiam præseferunt, sed metu repleti omnes, Bibit arrepta fuga, conclamant: (Bibit enim animam dicunt esse defuncti) nec credere audent illum esse Patrem, aut vxorem, aut alium, ex notis, quem infirmum reliquerant, sed eius larem. Nulla vtuntur sepultura; mortuum in solo frigido linquunt, nec illac per quatuor, quinqueuè annos iter faciunt vllum; sicque cadauer volucribus esca remanet; nec lamentationis aliquid habent pro mortuis ; quin potius nullus adhuc subtristis visus est, lætissimi incedũt, nihil præter arcum habentes. Nubendi modus apud illos est: vt si in itinere Adolescens parentibus associatus, Adolescentulam spectet sibi ad connubium placentem, illam statim manu prehendat, simulque assideant, asidentibus etiam cognatis, nisi fortè ex eis aliquis venationi interim vacet , ibi Adolescens per duos dies suadet puellæ, vt illum loco mariti habeat: si annuit, peractũ est matrimonium, si verò nolens indè aufugiat, discissum est. Pro dote sagittam, aut arcum dant puellæ Patri; sumptoque cibo venantur, mirumque mulieres quasdam hic reperiri, quæ viros in immittẽda sagitta æquent facilimè. Nullos habent hostes, nisi proximorum nemorum, aut syluarum Itas: sed nullatenus prælian-tur indicto bello; hostem imparatum præstolantur

tur ſeſe ſub alto gramine condentes , quem illac tranſeuntem ſagittis confodiunt;præciſumque caput ad ſuos montes deferunt: qui verò ex defuncti parentibus malum hoc paſſus eſt, nihil aliud pro vindicta habet, quàm vt alium interimat Itam: quiſquis ille fuerit, itaque innocens pro nocente mortem ſæpè ſubit. At quamuis nudi incedant, paruoq; cibo vtantur, magnis tamen pollent viribus. Noui quendam, qui curſus celeritate, apros, ceruoſque venabatur, & quod maius eſt, notum eſt in toto oppido, cultro tantum armatum Bubalos aliquot vna manu prehenſos, altera enecaſſe. Ex his cultiores capillos aptant melius, barbaſque colunt, verum pro forficibus permagnos adhibent cultros, quos Itac vocant. Alij, qui ratione aliquantulum vtuntur, mel conficiunt hoc modo, ſuſpendunt apes, quæ conficiunt aluearia in alicuius arboris firmioris ramo, melleque confecto nutriunt, accedunt Itæ paulatim, ſubmiſſoque magno ſtramine, fumo apes omnes indè fugant, ſumptoque alueario, quod permagnam crumenam imitatur, ad ſuos properant, melque à cera ſeparant, ac diuidunt. Alij picem ex arborum corticibus abſtrahũt, alij fibras quaſdam in modum Iunci, ſed craſsiores, ac firmiores ad oppidum deferunt, vt his Indi pro funibus vtantur, plura habent nomina, ſed commune Tantochium dicitur. Alij noſtris Indis inſeruiunt in colendis ſatis.

Hi ergo quaſi vrbaniores vbi primùm ad oppida noſtra accedunt, benè habentur tum à noſtris, tum ab ipſis Indis, quorum diligentia, primò eorum infantes baptizantur, traduntur que Chriſtia-

nis Indis, vt colantur, Patres verò filiorum amore allecti ſæpius huc adeunt, paulatimq; inuitatiediſcunt, catechizantur, ac ad ſacrum baptiſmum ſuſcipiuntur.

Ex ijs ergo fuêre hi, per quos concrematum eſt ante duos annos templum cum noſtris domib⁹, noſterque Sacerdos, tum ipſo igne ſupra eius cellam iacto, tum ſagittis appetitus, quæſit⁹ eſt ad necem. Verùm dæmone inſtigante, doluêre natos à noſtris Patribus, ipſis conſentientibus fuiſſe baptizatos, iamque grandiores natu inter noſtros Indos viuere. Hi, vti ſcriptum eſt, capti, atque à Regio Senatu ad mortem adiudicati ſunt, vnus qui aufugit, per noſtros liberatus eſt, alter ingraueſcente morbo ad Noſocomium delatus, ibi ritè baptizatus, Chriſtianus obijt. Tertius, qui præcipuus habebatur, Daui nomine, capite damnatus, hoc anno moriens baptizatus eſt, eius caput per Regios miniſtros huc delatum, publicè in haſta defixum eſt ad reſipiſcentiam, metumq; aliorum. Nec obfuit quidem; nam ſi qui ſunt auerſo animo in noſtros, nihil iam audēt; qui verò inter amicos numerantur, huc adeūt: nec deſunt, qui Chriſtianam Religionē pro captu appetant. Vnus vbi primum huc peruenit, duos obtulit filios paruulos, inſtitit multoties, vt baptizarentur, ſatis tandem illi factum eſt, vnuſque ex eis paulò pòſt obijt, perdendus quidem, ſi tanto Sacramento priuatus fuiſſet, alius ſua ſponte ad noſtros deſcendit, vt vnus eſſet ex eis, aſſerens ſe à Deo ad id permotum, verum vrgente fame compulſus eſt iterum montes adire: dumque ibi quæritat cibos, graui infirmitate opprimitur; timens verò mor-

tem, Deum supplex orabat, vt illi tantum vitæ tribueret, quantum satis esset ad sacrum baptismum suscipiendum, factus est voti compos: nam ab alijs ad oppidum asportat⁹, nihil antiqui⁹ habuit, quàm vt baptismum peteret. Institit ergo plurimum, vt baptizaretur, negat Pater se hôc facturũ, norat siquidem Itarum inconstantiam, facilèque montibus assuetos, facilè etiam illos repetere, quidquid sit de alijs, inquit ille, quid mea? nullus me huc adduxit inuitum, ipse mea sponte huc me contuli: quin & quæ supersunt in montibus ad exiguam hanc vitam tuendam, missa facio, illuc nunquam reuersurus, licet perdam vniuersa: admiratus Sacerdos Itæ animum, Catechismo imbuit, ac baptismo, eiusq; misertus misit ad montes, qui huc quæcunque sua erant, deferrent. Plures alij partim Christiani, partim infideles, se ad montes ex oppido quasi inita fuga contulerunt. Ex illis Inda Christiana vbi primũ illuc peruenit, morbo afflictata decubuit. Vouit illa statim, quasi pernoscens cœlestem iram, se nunquam amplius è Christianorum oppido recessuram, si per Deum illi liceat melius se habere, nec mora, abscedit morbus, illaque ex barbaris recedés ad nostros se contulit, gratior Deo futura. Sed & alium senem, qui multoties fugam arripuerat, De⁹ inuitum ad se adduxit, hic quasi aliorum perturbator (senior enim erat, ac quasi caput aliorum) ad Manilenses Triremes, per metum adductus, deinde cum alio tempore à nostris recessisset, captus, detentus est in carcere: ex eius enim quiete cæterorum pax pendebat. Tandem inita multoties fuga, à Deo in ipsis montibus insanabili morbo percuti-

cutitur; ſicque à filijs, alijsque conſanguineis ad oppidum delatus, breuique edoctus, paulò poſt baptiſmum mortuus eſt, Deo vti ſperamus, fruiturus, qui ab ipſo multoties aufugerat. Sed quod ſubdam haudquaquam contemnendum erit exemplum. Ingreſſus eſt aper ſummo manè hortulum cuiuſdam Itæ Chriſtiani, qui perſentiens furis aduentum, celer curſu aprum pede arripit, ſuſpenſumque allidere tentat ad terram, ſeu ſtipitem: verum aper ita ſuſpenſus conuerſo roſtro extremum ſiniſtræ manus digitum medium amputat homini: hinc ſanguis emanare incipit, remediaque ſine remedio adhiberi. Profluxit ſanguis guttatim per duos dies cum dimidio, ita vt duæ ollæ ſanguine ipſo replerentur: erat enim Indus grandiori corpore, robuſtus, magnarumque virium: Attamen hæ deficiebant iam, nec erat vis ad aliquid agendum: mors potius ſpectabatur, quàm ſalus. At verò quia ſola vexatio intellectum dat, ſecum, vt poteſt, euoluit, ecquid eſſet, quòd ex paruulo digito tantus promanaret ſanguis, breuique reperit morbi veram cauſam: non enim à ſuſcepto ante tres annos baptiſmate fuerat confeſſus, extemplò ſublatis ad cœlum oculis, dolẽs pertinaciam petit à Deo tanti facinoris veniam, pollicetur que ſe, ſi ſanguis ſubſiſtat, Eccleſiam ſtatim aditurum, criminaque faſſurum vniuerſa. Mirum, ſubitò ſtetit ſanguis, ille lætus beneficio, eadem ferè hora ab ipſis Sodalibus, qui eum viſerant, ad templum aſportatur, vbi magno ſuo, Patriſque gaudio, accepto pœnitentiæ remedio, poſtridiè ſanus repertus eſt. Sed finem huic ſedi imponam alia Cruce; ingruẽte no-

& propè Antipolanum oppidum aſpidis morſu tactus Indus, mortem iamiam ſpectabat, eius index erat tum dolor magnus, tum ſanguis è pede tacto manans, adit, vt poteſt, noſtram domum, quæ non longè aberat, vt animo ſaltem remedium poſtulet: verùm Pater tunc aberat. Ille gemens quid conſilij capiat, ignorat. Erat ibi ante ianuam noſtram erecta olim Crux lignea, ac procera: flectit ibi genua, bone Deus, inquit, en morior nondum expiatus criminibus: per Crucem quæſo tuam, adſis mihi, nè abſque animi remedio moriar. Confidit ille, ſurgit, adit domum, nullumque ex vulnere ſentit dolorem, nullum ſanguinem effluentem, interim parat ſeſe, atque vbi primum illuc peruenit Sacerdos, diuino illi beneficio enarrato, ſacra ſe confeſsione muniuit.

SILANENSIS RESIDENTIA.

DE hac Sede nihil noui hoc anno, licet noua ſunt omnia, oppidum, templum, Domus, ſitus, ſata, Indorum animus, ac mores; nam cum ante duos annos illa maxima, & Indis inuiſa, ventorum atque imbrium inter ſe præliantium diſcordia, non ſolum Silanicum oppidum vaſtaſſet, verum & alia circum oppida ſolo æquaſſet, non ſine frugum maximo detrimento; vnde multorum diuturni morbi, longè plurium mors oborta eſt: ſatis viſum eſt, illos iterum aggregare, aggregatoſq; in modum oppidi diſponere. Quod factum eſt omnium, qui hæc norunt, admiratione: quippe cum vnus atque idem Indus (exempli gratia) ſuis adeſſet

ſetinfirmis, domum ſimul ſibi pararet, templo conſtituẽdo adeſſet, campumque ad ſeminandum diſponeret. Vnde qui hàc iter facit, non videtur ſibi videre nouum oppidum, ſed multis abhinc annis extructum.

Verum nihil prætermiſſum eſt ex ijs, quæ ad nonoſtros ſpectãt. Sermones aſsidui, Catechiſmi vſus, Sacramentorum vſurpatio, voluntariæ caſtigationis mos, Sodalium feruor, eleemoſynæ pia cupiditas, quæ omnia ſuperiori Quadrageſima floruere magis, præcipuè ſanctioris hebdomadæ diebus, non enim obſtitit labor, quin ad ſanguinem vſque ſe verberarent, quod feria quinta, ac ſexta peractum eſt vltra mediam noctem; in qua mulieres in Eccleſia ante Sacram Pyxidem, Dominicæ Paſsionis libros lingua Tagala perlegebant, alijs audientibus mulieribus, quæ illis libris carebant, non ſine ſenſu ac lacrymis.

DE PICTIS INSVLIS.

ANtequam de Pictorum noſtrorum Sedibus aliquid dicamus, illud proponendum cenſeo, multa me ſcripſiſſe de illis hoc anno, etiãſi noui de illis nihil ſcribam. Aſsiduæ namque Mindanaënſium Mahometanorum vel excurſiones, vel excurſionum metus, Biſayas noſtros ſatis adhuc expertos adeò perturbant, vt nec in oppidis omninò perſiſtant, nec ſata perfectè colant, nec noſtras ædes frequentent, vt antea, nec in officio vllo à noſtris quodammodo contineantur: memoria ſiquidem retinent magno animi ſenſu, ac dolore ca-

ptos superioribus annis ab hoste fratres, captiuas abductàs vxores: Parentes senio confectos, trucidatos: dirutas domos: templa igni tradita: oppida non semel solo æquata: seque tantum superstites mansisse, vt vel amissa deplorent, vel vt huiusmodi casus aliquando miserè præstolentur. Adde his Olandenses hæreticos hoc præcipuè anno magna nauium multitudine fultos Bacianēsem Insulam Caryophylls celebrē, Terrenatēsi nostræ proximam, (decem namque leucis altera ab altera distat) non modò obsedisse, sed & captam omninò, nostris penè inscijs, duobus hæreticorum præsidijs vallasse, ita vt quicquid hinc à Prorege nostris, qui Maluci sunt in arce, vel ad victum, vel ad præsidium mittitur, illud omne vnâ cum vectoribus certo exponi periculo, non sine dolore, videamus. Hinc factum est, vt qui ad Mindanaenses expugnandos missi fuerant milites; coacti sint Malucum versus tela dare nostris opitulaturi, non sine vitæ discrimine, ob Olandensium nauium hàc, illàcque excurrentium multitudinem: hinc etiam pro certo nouim⁹, ab ijsdem Olandensibus missas fuisse epistolas Mindanaensium Principi, in quibus illum monēt, nè ab antiquis excursionib⁹ desistat; breui ab illis expugnandum Malucum, nostros vel fugandos, vel delendos, dein ad futuros illos, Insulasque has proximas, Manilamque depopulandam. Quod vt facilius exequantur, Pictas censent Insulas infestandas adhuc, nè Hispani, dum illis opem ferre procurant, Malucum adeant, reliquis Hispanis auxilium daturi. Hæc ergò omnia assiduos Indis incutiunt metus. Verum, quæ Dei benignitas est, nostris addūt
ani-

animos, tum nè desint Indis, tum nè aliquid pro Christo ferendi occasionem subterfugiant; illud semper in corde, illud in ore habentes. Hostes Indis terrorem incussuros, sibi verò Gloriosam Martyrij palmam comparaturos: sicque Pictorum tristitia, nostrorum lætitia est, &c, vt vno verbo multa complectar; is est nostrorum animus in tanto discrimine, vt hostem quotidiè præstolentur, vel vt perpetuam ineant seruitutem, vel vt Gloriosum subeant Martyrium. Et hæc generatim de nostris, qui in illis Insulis peregrinantur potius, quàm morantur, dixisse sit satis.

COLLEGIVM ZEBVANVM.

ADfui hoc anno Aduentus sacri tempore Zebuano Collegio (Pictas namque Insulas de more inuisi) ibique inter cætera illud laude dignum animaduerti, dum Sacerdos Sabbathis diebus in Ecclesia nostra cõgregationis Alumnis (nondum enim proprium habent Sacellum) piam faceret hortationem, vrbem ferè totam illuc ad eandem audiendam confluxisse. Vnde factum est, vt breuis exhortatio in publicam concionem verteretur, quæ, quia domesticis nonnullis ad efformandos mores dicebantur, versa sit breui in totius vrbis prouentum, quod non verbis tantum probarunt nonnulli, verum & exemplis firmarunt non pauci, è quibus hæc colligam.

Mulieres duæ diu à Lenonibus ad turpitudinem incitatæ, adeò fortes perstitere, vt nec minis, nec muneribus adduci potuerint, vt tantum facinus

perpetrarent, illud insinuantes, se à nostris edoctas vitam potius profusuras, quàm vel in re minima, quoad possent, Deum læderent. Alius à dæmonis seruitute ad Domini famulatum per nostros inter concionandum euocatus, adeò profecit, vt partim diuino allectus amore, partim præteritorum criminum dolore compulsus, adeò corpus afflixerit ieiunijs, cilicijs, disciplinis, vt in morbum incidens nullatenus ab incepto destiterit, sic namque per pœnitentiam Deo placere studebat, qui antea ei per peccata displicuit. Vixque factum est, vt à nostro Sacerdote psuaderi posset, vt aliquid in infirmitate remitteret; tanto Diuini amoris olim offensi dolore, etiam morbo agitatus, teneri se fatebatur. Inda quædam non solum diu obstitit quibusdam eam persequentibus; verum ab ipso etiam dæmone agitata minis, percussa flagris, ipso etiam horribili aspectu territa, euicit tandem Sacerdotis nostri ductu, proprijsque ad Deum fusis precibus fulcita.

Serua quædam tot fuit à proprio Domino modis solicitata, vt nullum visus sit prætermisisse, quòminus eius inuictum animum euinceret, vel saltem emolliret; sed nihil perficiens, furore actus, constanti ancillæ homo barbarus laqueo suspensæ, maledictisque cumulatæ, mortem minatur, nisi assensum præbeat: illa verò Christianam se esse respondens, minas parui pendet, flagella irridet, mortem potius exoptat, quàm vel minimum contra Deum peccare. Paulò pòst à Sacerdote nostro confirmata in incepto perseuerat fœlix. Idem ferè accidit eiusdem generis fœminæ, quæ eandem, vel
non

non dissimilem assecuta est victoriam. Alia paupercula quidem, oblatum aureum torquem respuit, nè virginitati faceret iniuriam. Dum è nostris vnus Sabbatho quodam die(vti diximus)conciunculam haberet, in qua de procuranda propria salute,deq; diuinis, ijsque internis impulsibus obtemperando agebat; dum exemplo quodam rem confirmare contendit, illud sæpius repetit.Caue tibi:hoc fortè postremum erit monitum, nec frustra res accidit: insequenti namque nocte præcipuus quidam vir, cui Reipublicæ cura commissa est,dormiens sensit, se auricula tactum excitari, auditque vocem: Caue tibi, hoc fortè postremum erit monitum. Haud surdo dictum: nam in seipsum reuersus, reliquum noctis traducit in superiori vita discutienda, dein nostros adit, à quibus illud accepit consilium, quò sibi caueret in posterum, voci Domini obtemperaturus. Hæc ferè omnia ex assiduis nostrorum concionibus ortum habuere, quibus ad meliorem frugem traducta ciuitas, sanctis Ecclesiæ Sacramẽtis sponte sępius,quàm antea,refecta, firmior etiam perseuerat. Quò factum est, vt Hispanorum exemplum imitati Indi, idem sibi procurent, haudquaquam frustrati Dominicis concionibus, quæ patria eorum lingua habentur à nostris: vnde factum est, vt non sibi tantum vacent, verum & plures inuentæ sint piæ Indæ, quæ alias secum ducerent ad templum,ibique satis instructas Patribus sisterent, ad priores animi morbos per pœnitentiam depellendos.

Euocatus Sacerdos, vt infirmæ Indæ adesset, vbi primùm domum est ingressus,infirmam iamiam

 mori-

morituram, voceque destitutam reperit. Recitat Sacerdos anxius Euangelium, factumque est, vt statim vox amissa rediret, peccataque confiteretur, quæ res circunstantes in admirationem haud exiguam adduxit, siquidem experti sunt quanti sint ponderis res sacræ, quantũque boni contulerit eis Deus, vt inter Christianos censeri posśint. Sed en alterius fides. Tentatione fœda premebatur quidam absque remedio. Ecclesiam adit nostram, ibiq; se ante Deiparæ Virginis imaginem sistit, nec pri⁹ recedit inde, quàm ipsa cacodæmonis tentatio ab eius animo, corporeque funditus recesserit.

Alia adeò assueuerat sacræ confeśsioni, vt quoties à Dominis ad aliquod exequendum mandatum mitteretur, nostram prius adiret Ecclesiam, vbi sæpius crimina expiabat, hinc ad iussa implenda pergebat: verùm cum non adeò citò rediret domum, verbis, ac etiam verberibus malè habebatur. Illa tamen haud segnior facta, vero potius Domino cupiens placere, quàm hominibus, posthabitis minis, in cœpto perseuerat; verum vbi etiã potest pomeridianam concionem Dominicis diebus Bisaya lingua audit fœlix, verbera pro muneribus ducens.

Non semel hoc anno inuitatus est populus, vt publicè fierent preces ad Dominum, quibus non communes tantum neceśsitates, verum & præcipuè Pictarum Insularum commendarentur. Puta vt in fide suscepta persisterent recens Christo adiuncti Bisayæ, vt Mindanaenses hostes vel fugarentur, vel saltem ab antiquis irruptionibus desisterent, vt nostræ clasśi, quæ contra hostes à Præside

fue-

fuerat missa, bene cũcta succederent. Itaque quod ad nostros attinet, publicè ab illis sacra Pyxis bis exposita est, nullo ferè præuio rumore; sed is est totius vrbis in nostros animus, vt facili negotio ad Ecclesiam nostram tota confluxerit, factumque Deo bene iuuante est, vt nec hostis irruperit, nec irrumpere amplius tentet, quin inito fœdere cum nostris pacem exposcat, de hac nũc agitur, vtinam optatis respondeat euentus.

Sub finem anni mortuus est huius vrbis Episcopus plenus dierum, ac bonorum operum. Verum exercuit illum Deus etiam morientem, varijs conscientiæ scrupulis, timoribusque, in quibus dum versaretur, euocati sunt multoties nostri ad leuamen: & quidem eorum se dictis, monitisque statutum fassus est, non sine præcipuorum virorum lætitia, nostrique Ordinis existimatione, ob maximas rerum, quæ in eius morbo occurrerunt, circumstãtias; eo tamen mortuo, haud defuêre nostri consuetis Societatis suffragijs, tanquam vni è nostris, quippe qui viuẽs (vti iã scripsim' Paternitati vestrę) eodem prorsus modo, quoties è nostris quis de vita discederet, quasi vnus de Societate, ter pro illo sacra libentissimè faciebat. Verus Societatis amicus, pauperum Pater, sui gregis pastor, deque omnibus bene meritus, vir qui nobili genere natus, ante annos sexaginta (erat enim ferè octogenarius) cunctis relictis rebus, se apud Augustinianam familiam Domino fœlix dicauerat.

Sed breui me ab hoc Collegio expediam, vbi primùm quædam de B.N.P. Francisco Xauerio fide dignissima hic adiunxerim. Adsunt nostri paupe-

ribus,

peribus, verum nec minus adsunt ijs, qui ab Olandési hoste patria, vel melius dicam, antiquo Presidio pulsi, præcipuè Lusitani, qui ibi morabantur, hucq; rerum omnium egeni appulerunt. Inter hos fuit vnus grandæuus iam, qui superioribus annis ex Amboino Insula eiect⁹, in hac vrbe quasi iam vnus è ciuibus morabatur, inter glandium libratores, tormentorumque bellicorum Præfectos: hic Fraustus (vel potius Faustus) Rodericus vocatur, qui inter familiares nostrorum sermones, non semel dixit, nouisse se in eadem Insula B. P. Xauerium, pluraque se scire de illo. Adferam hic præcipua, quæ ipse ante Episcopi Vicarium iuramento obstrictus fassus est. Nauigabat hic Faustus aliquandò cum B. P. Francisco, ab vna Insula ad aliam appulsurus, sed irruente vento, tempestatem iamiam expectabant: nauigium namque, quo vehebantur, exiguum erat, tantoque vento longè inferius. InterimB. Pater, quam collo suspensam Christi Domini Cruci affixi effigiem gestabat, dum in aquam quodammodo immittere curat, filo, quo tenebatur, de manibus elabente, effigies in mare demersa est, non sine Patris dolore: postridie eius diei eodem ferè vento acti, ad Baranulam Insulam nauigarunt, ad quam appellere tentauerant pridie illius diei. Verum dum Faustus vnà cum B. Patre iter faceret ad illius maris oram, oppidum Tamalonem petiturus, post mille ferè passus vident vterque ex ipsis vndis Cancrum seu Pagurũ ascendentem, sacramque effigiem manibus, oreque deferentem: tum Pater eo viso flectit se in genua, pisciculumque præstolans, Crucifixum (quid vnius digiti longitudi-

tudi-

tudinem haudquaquam superabat) manibus reuerenter accepit, eumque exosculatus, ibi per semihoram brachijs in Crucem efformatis, manuque effigiem retinés, perstitit orans, Fausto in admirationem cõuerso. Interim Cãcer mare petit iterum. Distabat porrò locus hic ab ipso mari, in quo effigies sacra ceciderat, vnius diei, noctisque iter, seu potius nauigationem. Pater verò suum iter prosecutus cum Fausto, nec tunc, nec postea de re mirabili verbum vllum immiscuit, post hebdomadam iterum ex Tamalono adnauigarunt vterque ad Insulam Rosalaum, vbi post dies aliquot ab Beati Patris Euangelica prædicatione vnus tantum sacrum baptismum suscepit, huic P. nomen Francisci imposuit, addiditque: hoc tibi nomen erit, sed tu moriens dulcissimum Iesu nomen inclamabis: nec frustra prædictum: anno namque ferè sexto à sacro baptismate suscepto, glande percussum Franciscum, morientemque vidit idem Faustus sæpius Iesum compellare. Vidit etiam testis hic, Patrem ex oppido eodem recedentem, antequam nauiculam conscenderet, puluerem è calceis excussisse. Quare ab eo alijsque socijs interrogatus Pater, cur illud faceret? Nolo, inquit, mecum vel puluerem quidem tam prauæ gentis deferre. Narrauit etiam idem Lusitanus, peracta à Patre nauigatione Quadragesimam transegisse apud Cobam (oppidum est in Insula Amboino (vbi cum primùm eò eũ perlatum est, tres Lusitanos homines licentiosè vitam terere, nullumque ex eis, ante quinque, vel sex annos expiasse crimina; nullo negotio relictis alijs ad eos se contulisse, seque in socium illis dedisse, toto

illo

illo ſacro tempore eadem cum illis menſa, domoq; vtendo: nihil tamen inſinuando inter colloquendum, quo eorum licentiam procacitatemque patefaceret. Adueniente ipſa ſexta maximæ hebdomadæ feria, illis ſuaſit, vt crimina per confeſsionem patefacerēt; ipſi verò euicti iam illud tantum reſpondêre: Velle ſe apud Patrē tantum confiteri, non verò apud alium quenquam. Annuit Pater, excipit eorum crimina, dein ſacro Chriſti pabulo reficit, mox, venia petita, ad ſuos ſe conuertit B. P. Fauſtus verò illos deindè vidit vitia prorſus exuiſſe, priſtinoſque mutaſſe mores, non ſine omnium oppidanorum admiratione, qui tantæ fuerant mutationis teſtes. Nec mirum: ſupra menſem namque ad mortem vſque ægrotaſſe aſſerit Fauſtus B. Xauerium, nulla alia de cauſa, quàm ob ſuſceptas ſponte pœnas, pœnitentiaſque pro Luſitanis, qui in illis Inſulis degebant, quò tandem mutatis moribus ad Deum, vti Chriſtianos decet, cōuerterentur, eiq; vti par eſt deſeruirent. Et hæc de B. P. Xauerio, deque Zebuano Collegio ſint ſatis.

BOHOLANA SEDES.

QVantum Beatæ Virgini noſtri præcipuè debeant in hac Domo, vel ex hoc colligi poteſt, præter alia, de quibus anno ſuperiore nonnihil ſcripſimus. Montes adhuc incolebant noſtri ineunte Quadrageſima, metu hoſtium præterito adhuc territi, ſed ibi B. Mariæ patrocinio fulti, decreuerunt tandem deſcendere ad oppidum. Sed nihil cogitantes mali, breui intellexerunt eodem ſe

tempore à Deipara Virgine defendi, quò minus periculi suspicabantur. Descendebant illi ad Lobocense Oppidum eodem prorsus tempore, quo Mindanaenses hostes illuc vela dabant: sed factum est (per Virginem vt creditur) vt appropinquantes ventus adeò validus vrgeret, vt supra ducentos in ipso mari demersos, qui remanserint, citius quàm venerant, ad suos redire sint compulsi. Verum nauigia, quæ super fuerunt è naufragio, in ipsa maris ora ab ipsis relicta, Dapitanenses Indi nostrorum amici suffurati sunt ad vnum. Nostri verò à tanto periculo inscij erepti, Deo, vti debebant, egêre gratias.

Infantes tres nullo ferè mortis signo ostenso, vbi primùm baptizati sunt, obierunt. Nec minus fœlix adultus alter, qui se pluribus latrocinijs exercuerat, mortem quatuor vt minimum alijs Indis attulerat: hic feròx animo, aspectuque terribilis, tandem à Regijs satellitibus captus, mortique adiudicatus, adeò cessit nostrorum sermonibus, vt breui in his, quæ ad Catechismum spectant, antiquiores superans, baptismate dignus iudicatus sit, quo ex corde suscepto, mortem se iam decretam à Iudice crudeliorem promereri affirmabat, nec paruo supplicio afficiendum, qui eius anteactam vitam nouerat. Sed illam auxit eius excisum post mortem caput: præseferebat eius defuncta facies pulchritudinem quandam, quæ aspicientes omnes, qui eius nouerant fœditatem, quodammodo delectabat, quippe qui præter hæc, socios eius duos extremo supplicio affectos ibi in eodem patibulo, facies fœdas, liuidas, vibicibusque refertas habere perspiciebant.

Sed

gulum quæritans complicabat sese, Indicoque more faciem inter crura reponens, dormienti se præbebat similém, interrogataque interdum quid rei tunc ageretur, quisvè Christianorum Deus esset? haudquaquam ad rem respondebat. Illud risum mouebat simul, ac dolorem, nunquid vellet(aiebant)baptizari? respondebat bellè, velle se, si Pater vellet. Commendatur interim res Deo, Vitoonque (hoc mulieri nomen erat)ad eam de qua dixi, fœminam remittitur, curet, si possit, eius salutem, si verò nequeat, sciat neminem à Deo compelli. Verum eò adducta res est, vt propè ostenderit Deus, quantum animorum saluti inhiet. Lethali morbo opprimitur Vitoon, quæ morbum incusserat plurimorū animis: Interrogatur primò ab Indis, vtrum sibi tandem cauere velit, placeatnè se Christi gregi aggregare? placet tandem, inquit: dein à Patre Rectore interrogata iterum, vellet nè se Deo adiungere? iam illum inquit, diligere cœpi: hinc iám percipio quantum boni contineant Christianorum instituta, nec Dei verba, quæ pluries audiui, fuêre apud me exigui ponderis, emolliuere siquidem animum Deo iamiam reddendum. Guttæ siquidem excauant lapides. Valeant nunc, aiebat illa, Idolorum sacrificia, valeat ipse dæmon, si tamen valere potest, qui nihil valet: attamen paucis pôst diebus ingrauescente adhuc morbo, ad Ecclesiam delata; interrogatur non semel ab alio Patre; Velitnè baptizari, nec nè? exclamat, vt potest mulier, velle se Christianam esse, à nemine compelli se affirmat, dolere se maximè ostendit, illaqueatos à se fuisse plurimos, veniam petere, detestari superiorem

vitam

vitam, nouam retexere, optare æternam, instat, vrget, solicitat Patrem, non parum rei admiratione captum: siquidem priorem duritiem nouerat. Instruit denuò toties instructam, sacroque baptismate lauat Mariam (illud ei nomen pro Vitoon, quod stellam significat, imponens) quæ paulò pòst in eadem ipsa Ecclesia obdormiuit in Domino: faciem, quam fœdissimam habuerat, præseferens hilarem, suæ testem felicitatis: nouit namque Deus mutare sententiam, si quis nouerit emendare delictum, cuius rei testis sit nunc vetula hæc, quæ de vase contumeliæ in vas translata est gloriæ.

Morabatur Loboci alius dæmonum Sacerdos, qui sæpius Indos fefellerat, quique, vti superioribus annis scripsimus, vniuersum ferè oppidum ad maris oram inuitauerat, vt ibi summo manè defunctorum quisque parentum animas præstolaretur, aureo illuc nauigio adnauigaturas: sed dum illæ moram faciunt, ipse Babaylanus (Sacerdotum nomen est) moræ impatiens in mare se mittit, illas alacriori voce compellat. Verùm paulò pòst adeò processit miser, vt, nisi extraheretur ab aliis, ipsis iamiam vndis suffocaretur. Asseruerat etiam hic, Ecclesiam vnà cum Patribus in lapidem conuertendam breui. Tamen sæpius veritate ipsa compulsus, adductus ad nostros, palinodiam non semel cecinit. Verùm cum morbo morteque appropinquante territus, quam toties negauerat veritatem, propius agnosceret, adeò illum superioris vitæ pœnituit, vt sacris Ecclesiæ Sacramentis breui tempore imbutus, spem reliquerit moriens æternam à se beatitudinem (quæ Dei pietas est) fuisse comparatam. Et quidem

quidem mirum eſt, quòd quotidiè fraudibus recentes hos Chriſtianos circumueniant ij dæmonis diſcipuli. Ex dictis hoc colligi poteſt, ſed ex dicendis etiã. Siquiorem (oppidũ eſt) qui incolunt, Chriſtiani ferè omnes; è quibus vnum recens vita functum in Eccleſia noſtra ſepelierant: hinc temeraria, audaxque Sacerdotiſſa cunctos monet, breui morituros vniuerſos, nî cadauer illud indè extractum in ipſo campo recondant; illi metu perterriti obtemperant mulieri. Sed monitus deindè ab aliquibus Pater, defunctum iubet iterum ſepeliri in Eccleſia, quo facto oſtendit illis, quantum fallaciis ſcateant Babaylanæ, quippe quę fallaciarum Patrem ſequuntur dæmonem, quantumque vero Deo ſit credendum, qui neminem in ſe ſperantem falli permittit, quo exemplo firmiores redditi, difficilius, Deo iuuante, à ſuſceptis inſtitutis diuellentur; ſiquidem alius nobilis, licet infidelis, noſtris in proprio vitæ diſcrimine obtemperauit magis, quàm Babaylanis: hic nãque cum ægrotaret, iuſſus eſt ab huiuſmodi fœminis, nè Eccleſiam adiret; futurum namque, vt dum ibi obambularet, in alicuius defuncti ſepulturam incideret, quam ſi pedibus tangeret, morbum omnium efficiendum maiorem. Itaque Patre Duce Eccleſiam ingreſſus, reliquos oẽs habuit teſtes, morbum haudquaquam creſcere, etiam ſi ſepulchra pedibus quis premat. Plura poſſem addere, quibus hoc ipſum probarem: illud ſit ſatis; moris eſſe apud noſtros non modò pauperibus Indis, qui noſtram Domum adeunt, eleemoſynam pro poſſe, conferre, ſed etiam aliis, qui vel in hoſpitali, vel in propriis domibus commorantur

infirmi, per pueros noſtros mittere; dumque hoc quotidiè fit; auditum eſt aliquandò, pauperes illos ſecum colloquentes dixiſſe, haudquaquam huiuſmodi exempla ſequuntur Baylanæ noſtræ, quæ non modò non exhibent quidquam vel miſeris, vel egenis, verùmetiam quoties poſſunt, petunt, ſubripiunt, furantur quæ poſſunt, quod ſi procraſtinet quis in his, quæ illæ exoptant, en metus incutitur, citò morituros, vel ſaltem morbum diù duraturum. Faciet Deus aliquandò, vt quantum boni Chriſtiana lex contineat, apertis oculis videant, ex cuius ingenti lumine ſuorum Idolorum Sacerdotumque tenebras dignoſcent.

Sed vt finem faciamus Baylanis, lubet hic recenſere, quænam fuerit Dei prouidentia in illis profligandis, noſtriſque tuendis. Tanta erat horum multitudo, tantaque facinoroſum Indorum his adhærentium (gentilium quidem) copia, vt cum nequirēt noſtri tot mala comprimere, compulſi ſint Zebuanum Epiſcopum adire, vrbiſque prætorem, quò quiſque pro ſuo munere tanto periculo prouideret. Mittit Lobocum Epiſcopus Vicarium, Prætor Proprætorem vnâ cum ſcriba, ſatellitumq; Duce. Euocat Vicarius Baylanas (morabantur hi in montium ſpeluncis vnâ cum facinoroſis aliis Indis: quibus mos erat proditione vti, dormienteſq; lanceis confodere: è quibus reperti ſunt, qui triginta, pluresvé occiderant) ſed dum de præcepto implēdo agitur, qui ibi aderant peccatis pleni, Ducem eligunt Indum, haud ſibi abſimilem, ſed reliquis ditiorem fortioremque. Agunt ij inter ſe, vt primò Hiſpanos, dein Pattes interimant. Quinquaginte

ginta ex ijs ſeliguntur; armis ſe breui onerant; Proprætorem adeunt, qui rei inſcius iubet eorum Ducem detrudi in carcerem alia de cauſa: ſed vbi ſatelles tot armatos homines carcerem cum ſuo Principe cōſcendere videt, monet Proprætorem, haud bonum ſibi videri tot armatos ibi perſiſtere, euocantur illi Proprætoris iuſſu, cuius ſolùm aſpectu territi, malum iam conceptum nequaquam in lucem dare auſi sūt, monet Proprætor, vt arma deponant, Hiſpanorum more, quoties ante Iudicem ſiſtūtur. Deponūt libenter, iterumque ad carcerem redeunt. Interim Loboceníes nobiles illius oppidi ciues, adeunt de more carcerem, cibos patrio ritu deferunt: quinquaginta illos inuitant ad cænā vnâ cum Duce: ſed dum vniuerſa ſilent, nihilque ſuſpicionis auditur, aut ſeditionis: En vnus ex quinquaginta, actus dæmone, pugionem, quem ſeruus fortè deferebat, arripit, eòque, vno oculi ictu, ſex è primoribus Lobocenſibus grauiſsimè vulnerat, è quibus paulò pòſt quatuor vita functi ſunt, inter quos Fiſcalis noſter numeratur, qui cum eſſet congregationis alumnus, illuc ſe contulerat ad aliquod charitatis opus exequendum, ſuoque muneri faciendum ſatis: ſed placuit Deo anima illius, qui pro beneficio mortem accipiēs, eodem die, Sacramentis omnibus ritè munitus, vitam cum morte commutauit. Rumore ergò percrebreſcente, eorum Dux compedibus aſtrictus eſt, quos nondum geſtarat, captique nonnulli è ſocijs. Indus verò qui ſtragem illam orſus fuerat, Proprætore iubente, quem acuta, toſtaque arundine impetierat (dum manus dare negat) à quodam telo confoſſus, pœnas
 ſuorum

ſuorum facinorum daturus abſceſsit è vita. Attamen breui duo ex præcipuis reſte primùm ſuſpéſi, dein in partes varias diſſecti, expoſiti terrori fuerũt reliquis & exemplo.

Captæ etiam poſthæc ſunt Babaylanæ quadraginta, quæ publicis verberibus oneratæ ſunt, vndè colligi poteſt, quot fuerint perpetrata mala à tantis mulierculis vnico penè in oppido; ſiquidem ſatis eſt vna tantùm ad Inſulam integram perdendam. Ergò vnico negotio ſeruati ſunt noſtri, qui deindè hoſtibus ipſis morientibus adfuêre. Seruati ſunt Hiſpani, fugati, ac omninò euicti facinoroſi homines: pluresque alij tum Chriſtiani, tum gentiles noſtros petiere, quò vel errata corrigerent, vel Idolis nuntium remitterent, vel ſe Deo dicarent. Hinc vnus, qui vxorem duxerat Babaylanæ filiam, adduci nunquàm potuit, vt Idolis ſacrificaret. Hinc infirmus alius nullo vnquam modo voluit ſibi ad remedium adhiberi, quæ huiuſmodi Sacerdotiſſæ pluribus adhibent. Hinc alius congregationis cliens haudquaquam permiſit pro conſanguinea dæmonis ſacra offerri, cui Sacerdotiſſa quædam maximum malum ominata fuerat, nî ſe ſupplicem dæmoni daret. Sed fauit huic bono Indo Deus breui. Solebat ille fluuium, quem è regione habebat, adire ferè quotidiè, quò piſciculos aliquot caperet certo loco (arundinibus in modum complicatæ ſepis Indico more ad piſcium carcerem repleto) concluſos. Monet ergò illum die quadam Matertera, tempus iam adeſſe, quo Cymbula flumen intret; piſces haudquaquam in ſepto illo carcere defuturos, renuit Adoleſcens, aduerſam obiiciens valetudi-

tudinem; qua tunc domi detinebatur, attamen Matertera ipsa, sumpto paruo schipho (concauam intellige arborem) adit sepem piscatura: Verum pro piscibus prægandem Crocodilum reperit, à quo momento temporis deuorata (occulto Dei iudicio) nepotem tanto periculo liberauit, qui, si illuc, de more, perrexisset, haudquaquam tàm feri, ac fortis hostis manus impias euasisset: Euasit tamen dum Idolis cultum denegat, dumque mauult pericula quæcunque subire, quàm dæmoni vel modicum quid morem gerere.

Verum & falluntur nonnulli, sed breui resipiscunt. Dum infirmo corpori quidam pristina adhibet remedia, peius se habuit: at paulò pòst genua flectens, dolensque, veniam à Deo tanti criminis supplex postulat, nunquam se dæmoniacis remediis vsurum, extemplò pristinis virib⁹ donatus est. Similem euentum sortitus est alius, qui dolore quodam graui conflictatus, defuncti Aui animam vocauit non semel ad salutem. Sed arrepta rosarii Cruce, quam collo suspensam gestabat: erraui, inquit, locoque apposita, vbi dolor vrgebat; aufugiente statim morbo sanatus est. Aduersa valetudine premebatur nobilis Indi filius, natu maior, quem vnicè diligebat. Ille vt infirmo opem citius ferat, diabolo, gentilicò more, sacrificium offert, cuius sacrificii fructus statim subsecutus est, mors siquidem Adolescentis. Porrò non multò pòst in se reuersus parens agnouit culpam propriam, nec dignouit nati pœnam in æternum apud inferos ignes cruciandi, dolore perculsus maximo, à Deo postulat remedium, ac veniam; Patres deinde adit,

 toti-

totiusque vitæ crimina expiat, vnâ cum vxore: vitam in melius mutat: conciuib⁹ fit exemplo adeò, vt interrogati à Patre Indi, vtrùm benè procedat in iis, quæ à nostris edocentur, respondeant; nos Michaëlis discipuli sumus(hoc illi nomen)ille nos docet, nec audemus eius dictis non obtemperare: quippe qui verus est Domini cultor, vndè factum est, vt homines ipse instruat; vxorque mulieres, tanta illis Christianorum virtutum accessio facta est: Proque verò Christiano habetur, quicunque cum ipso Michaële familiaritatem exercet.

Probatam plurimum fœminarum casti moniam hic possim adiungere, nisi iam supra egissem. Verum quod nostrorum lætitiam, admirati onemque auget maximé, illud est, Indis antiquitus fuisse inauditam. Alumni, qui in nostro Semina rio degunt, nulla iam ratione adduci queunt, vt vxo res temere ducant: alii ætatem infirmulant: alii no ndum didicisse se aiunt, quæ ad alumnum spectant: alii omninò negant se matrimonium celebraturos, nec defuit, qui oblatam auri haud modicam qu antitatem ad nuptias celebrandas, respuit facilimè, nec mouentur parentum lachrymis, nec rationibus suadentur, nec terrentur minis, nec patrio exemplo adducuntur: tantum apud illos valet castimoniæ seruandæ cupiditas. Patrum exemplo moti, Sanctorumque, quorum præclara gesta audiunt, imitandi desiderio incitati. Sed nec castimoniæ tantum student; verùm re iquis virtutibus inhiant pro posse. Puer stoream, in qua dormiebat, Ecclesiæ obtulit ad altaris pauimẽtum. Alius culcitram vnâ cum puluinari Patribus dedit. Si reprehen duntur, haud

haud indignantur; si inuitantur ad comedēdas carnes diebus vetitis, totis recusant viribus; si mittuntur ad suos, plorant; si nauigaturi aliò sunt, prius se confessionis Sacramento saltem communiunt. Virtutes itaque quoquo modo pernoscunt, qui paulò antè, præter Idola nihil prorsus nouerant; Deoque adhærere student, quorum parentes adhuc dæmoni vt plurimum flectunt genua. Attamē hæc, quæ in Europa puerilia sunt, singularia aliquo modo hic censentur. Aliquandò interrogati à Patre pueri, quid de nostra fide senserint; respondere plures diuersis modis. Vnº asseruit, quàm consona sunt rationi Christiana præcepta, non occides, verbi gratia &c. tàm dissoni sunt nostrorum ritº furari, occidere, &c.

Mirabatur alius, Patres, propriis relictis sedibus, diuitiis, parentibus, rebusque omnibus; tot Regna ac Prouincias, à suis maximè dissitas, tranare: tot turbulenta maria calcare, tot subire pericula, vt Indos docerent æternæ fœlicitatis viam. Alius nostrorum modestiam in sacris peragendis, aliisque Ecclesiasticis Cerimoniis exercendis cum suorum Babaylanorum saltibus, tripudiis, ebrietate clamoribusq; conferebat. Stupebat alius Patres nostros, licet pauperes, pauperibus tamen aliis subuenire, propriisque cibis sustentare pro viribus: è contra verò Sacerdotes suos omnia omnium vorare, nihil absque pecunia agere, auro domos suas per vim explere, nullius misereri, contra omnesque dominatum exercere. Alius lætabatur nostra omnia publicé fieri, concionari, pœnitentibus aures præbere, aliaque Sacrementa obire: Idolorum tamen cultores

res montium receſſus quærere, adire ſpeluncas, noctem exoptare, ac tenebras, quò melius fallant miſeros, quouè facili⁹ eorum animis venena inſtillent.

Hinc orta eſt in pueris iis vera proximos iuuandi cupiditas. Hinc data occaſione in priſtinos inuehuntur ritus, hinc diuino Zelo ardentes Idola vel perdunt, vel Idololatras corrigunt, parenteſque ſuos, quoad poſſunt, à Patriis ſuperſtitionibus reuocare, atque ad veram fidem aduocare contendunt. Illud præcipuè mouit nobilem quẽdam gentilem oppidi cuiuſdam Dominum, qui cum videret noſtros Chriſtianos volũtaria verberatione ſuſcepta, calles circuire feria quinta ſanctioris hebdomadæ, ſuos ſtatim adiit, cunctoſque, qui ibi erant Chriſtianos ad idem agendum perſuaſit hilaris: qui non multò pòſt, Deo benè diſponente, ob eius in Chriſtianos animum, Chriſtianis ſe vexillis adiunxit, magna Taborenſis oppidi admiratione, quare factum eſt, vt rei nouitate permoti eius conciues, (nihil namque ſibi magis nouum viſum fuiſſe aſſerebant, quàm Principem ſuum baptizari, quem paulò antè ſciebant noſtris Patribus ad ſuum oppidum pergentibus, iter ſtrauiſſe non ſemel aculeis, cuſpidibuſque, eoſdemque per fraudem ad mortem petijſſe) baptiſmo ſe velle luſtrari omnes aſſeruerint: Et quidem pauci erant in hoc oppido Chriſtiani, quos per tres ferè annos haudquaquam valuere noſtri, ob Mindanaënſium excurſiones inuiſere. Verùm mirum fuit quantum abſque Sacerdote in fide perſtiterint: quod ſiqui à Babaylanis illuſi à recto aberrant, facilè deindè petita venia, illos pœni-

pœnitet, futuros deinceps in fide constantiores. Tres tamen ex illis nostrorum auxere lætitiam, qui, cum prius dæmones sibi familiares habuissent, ad responsa miseris ferenda, adeò se Patrum institutis adiunxere, vt toto illo triennio nè semel quidem permiserint cum dæmonibus, qui illos sæpè adiere, colloquia, sed nè verbum quidem miscuerint: quin vbi primùm se illis sistebant dæmones spectandos horrido vultu, fœdaque facie: Indi statim Crucis signo illos à se nullo negotio quasi irrisos effugabant.

Annua ferè ingruentium ventorum procella (Baguium hic vocant, vẽtorum imbriumq; quandam pugnam, qua maior censeri nequit, siquidem cuncta vastare solet, nihilque in proprio loco relinquere, ventis ferè omnibus simul fortissimè pugnantibus) multas prostrauit variis in oppidis Ecclesias: Sed æquali constantia incolæ alias, non minus fortiores, vnâ cum nostris ædibus, erexêre. Illud màgis mirum: apud Malabagum ità creuit alluuione fluuius, vt præter ripas effluens, non campos tantum, sed & ipsum ferè oppidum confecerit. Tanta erat aquæ multitudo, vt Cymbam haud exiguam nostra caperet domus in alueum conuersa. Sed adfuit tunc, qui ibi morabatur, Pater, vectosque paulatim Indos aliò transtulit: cumq; plures corruerint domus, plurima animalia interierint, vnius Sacerdotis diligentia, Deo Duce, totum oppidum adeò tutatum est, vt ex Indis nullus nec obierit, nec fuerit periclitatus: quod quidem nemo ambigit futurum fuisse Patre absente, qui natandi arte peritus, sacras deinde imagines enatãtes, cum reli-

reliquis supellectilibus, aliis adiutis Indis, facilè extraxit. Et hæc de hac Domo satis, nisi numeres etiam vnius tantum loci trecentos baptismate sacro tinctos, iunctis paruulis; quod haud parum fuit negotii in tanto hostium periculo, assiduaque ferè excursione.

DVLACHIANA SEDES.

LAuabatur quidam in flumine: Sed ecce Crocodilus illum vnguibus arreptum suffocare tentabat. Tum Indus Iesum inuocat, ac Mariam, quibus quasi duabus sagittis confossa bellua, relictis tantum cicatricibus, citissimè aufugit. Idem alteri accidit, qui in eo fœlicior, quod nec tactus fuit à Crocodilo.

Euocant Patrem in Ecclesiam pluribus occupationibus distentum, puta confitentiũ, nubentium, baptizandorum: asseruntque dimidia Inde Leuca ad mortem ægrotare Indum quendam, audit illos Pater, simulque, relictis omnibus, ardente sole, se itineri accingit, expertos habens Duces, qui probè nouerant iter, sed Deo volente factum est, vt licet experti essent, errarent tamen à via. Quare hàc illàcque vagantes, deueniunt tandem ad domunculam quandam in medio campo sitam, vbi sol⁹ gentilis senex iacebat infirmus. Tum Pater tristis errore viæ, lætus tamen occasione senis, vis, inquit, baptizari? volo addidit senex; relictoque ibi seminarii alumno, qui eum institueret, cœptũ pergit iter: sed vbi primum peruenit ad oppidũ, videt infirmum, pro quo fuerat euocatus, melius habentem, nulla re in-

re indigere: ſolatur tamen illum Pater, hortaturque ad bonum, breuique ad ſenem ingreditur, qui Catechiſmo dum bene valeret imbutus, facili negotio fecit Patri ſatis. Itaque baptizatur ſtatim, inſtruiturque in iis, quæ ad morientes ſpectant, ſequentique die felix obiit, ſicut Patri narratum eſt ab iis qui illum inuiſerant.

Me præſente iubenteque, miſsi ſunt duo è noſtris, vt oppidi commendatarium Hiſpanum (hic eſt, cui Indi tributa perſoluunt) aduerſa valetudine laborantem inuiſerent: ſed in ipſo itinere euocantur, quò ſalute conſulant infantis recens nati, periclitantiſque, accurrunt ſtatim, baptizant puerum animam iam agentem: at dum è domo deſcendere feſtinant, ſubmurmurant quidam, alium cum eo infante natum fratrem, ſed mortuum iam eſſe: audiunt hæc Patres, oſtendite, inquiunt, eius cadauer, vtrùm verè mortuus ſit, nec nè: exhibent illi ſtatim, quod putabant mortuũ; Verùm ſpirantem adhuc, viuentemque puerum contuentur, mirantur omnes rei nouitate, noſtri verò illum baptiſmate tingunt, quem paulò pòſt vera ſuſcepit in cœleſti ſede fœlicitas. Plura huiuſmodi diuinæ prædeſtinationis ſigna hic poſſent adnecti, ſed, nè longior ſim, hæc duo ſint ſatis.

Addam nunc rem miram. Morabatur in oppido Abuiogenſi fœmina quædam gentilis, nobilis tamen: hæc vidua iam laborabat hydropiſi, qua penè confecta, euocatus eſt ab eius cognatis Sacerdos, qui diù quidem laborauit, vt eam inſtitueret in ijs, quæ ad recens baptizandos pertinent: Illa tamen talis erat ingenii, vt vix ſigno Crucis valeret ſe ſignare

gnarè: Pater verò curauit pro tēporis angustiis eā dē necessariis pro captu erudire, eruditamque baptizauit, & abiit ad aliud, ad quod vocabatur oppidum. Porrò mulier secunda à baptismate die, crescēte morbo obijt, aut obijsse putata fuit, hora noctis ferè secunda, hinc consanguinei eam de more tota nocte deplorant variis cantibus, vociferantes potius quàm cantantes, cadauer funebri linteo consuunt. Summo tamen manè, octo post mortem horis suscitatur à mortuis, quæ pro defuncta habita est, non sine adstantium admiratione: Hinc illa: Visa sum montem conscendere, dein planiciem quandam calcaui, ad cuius extremum æreæ scalæ hærebant, quibus conscensis, aspexi auream domum, cui nihil comparari valet, licet pulcherrimum. Sed vetita sum illuc ingredi. Sed ibi paulò pòst visa mihi est Beatissima Virgo, cuius pretiosissimum filium Iesum, qui in interiori parte domus erat, haudquaquam videre dignata sum. Tum mihi Virgo, ad-* stante ibi quodam Angelo, Adolescentis pulcherrimi aspectum referente, esnè Christiana, nec nè? quod si Christianam te iactas, cur recitare nescis, quæ Christianos decent? Virgo tamen Sanctissima, se in genua flectens, mecum recita, inquit, breuiq; eam docuit orationē Dominicā, Salutationem Angelicam, cum Symbolo Apostolorum, quibus peractis, reuertere, inquit, filia, nondum extrema tibi adfuit hora: mulier, quæ ab eo Angelo deducta primùm, mox ab eo relicto in biuio; perge, ait, ad dexteram, paulòque pòst sibi restituta, hæc suis retulit; deindè signans se signo Crucis, altiorique voce recitauit ea omnia, quæ didicit communia suis, qui

ibi

ibi aderant, Indis, qui magna quidem admiratione capti sunt, quippe qui sciebant mulierem illam pridie eius diei vix se signo Crucis communire valuisse, dum institueretur à Patre. Post hæc hydropisis iterum eius corpus afflixit, qua se caruisse omninò in insigni Domo asseuerebat. Illud summæ consolationis protulit dictum, magnique futuri prouentus Indis his, recens Christi Domini Gregi aggregatis; Verissimum, inquit illa, est, Christianos tanto nomine dignos, non alios, sempiterna in cœlis gloria perfrui, illis tantum à Christo Domino comparata. Haud multò pòst vocem amisit, sequẽtique die verè mortua est. Hoc sex illos primò habuit testes oculatos, deindè plurimos etiam Hispanos habuit auritos, qui ea nocte, qua è vita discesserat, cognatorum fletum, vocesque tristes audierãt. Porrò eius familia Christiana est, eiusque caput nobilis Indus Hispanis est maximè familiaris. Nec mirum à Deo eruditos hos præcipuè, quorum mos erat ante paucos annos montes habitare, rapto viuere, occidere, fallere, cunctaque peruertere.

Seminarii alumni ita se gerunt in omnibus, vt Probationis Domum spectes, quoties ad eos te conferas, orationi, pœnitentiæ, Ieiuniis, humilitati, mortificationique student supra captum. In iis tamen, quæ ad Christiana instituta, fideique elementa spectãt, mirum quantum calleant, sicque nobis in missionibus magno sunt adiumento, in rudioribus instituendis, colloquiisque cum suis miscendis, quò facilius eorum pectora emolliunt, emollitaq; paulatim ad vera Domini pascua adducunt, in vinculis (vt ita dicam) Adam: siquidem filius patrem, fra-

frater fratrem, amicus amicum, variis de nostra fide sermonibus pro occasione habitis, euincunt, euinciuntque, ita vt qui nostris duriores erant monitis, breui fiant Alumnorum consuetudine adeò blandi, vt facilè in illis quiduis imprimere valeas.

Sed nunc ad nostros oculos conuertas velim: ex eorum namque laboribus, periculisque, qui sint fructus, facilius potest agnosci. Nauigabant aliquādò duo è nostris Dulachium versus. Cumque nullo negotio ad fluminis oram (ex hoc namque soluerant) perrexissent, mare viderunt tumidum, varioque vento agitatum, littora verò continuis fluctibus ad ipsa deuolutis, in arenaq; fractis, spumantia, sicque maius minatura periculum. Hinc quid agendum sit decernunt: Verum vtrumque timent, tum maris, tum littorum periculum; illud tamen eligere, si quid eligendum esset, contendunt, vt mare eo modo tranent, quo numeratis vndis, vltimam, quæ infirmior esse solet, euincant. Verùm dum hæc agitant, in eadem ipsa ora adeò vehemens vnda nauiculam impetiit, vt, temone haudquaquam resistere valente, illam cum omnibus extemplò inuerterit: Hinc omnes tùm nostri, tùm Indi, in ipso mari inuersa nauicula comprimuntur màgis, quàm subteguntur; breui suffocandi: Frater, qui vnus è duobus erat, plenus animi ac roboris, breui indè euasit, Indi subsequuntur, Patrem quærunt soliciti, qui sub nauicula commorans hàc, illàcque mouebat brachia, nihil agés, quin potius breui maris profundum attigit, vbi non parùm aquæ bibit, sed Deo iuuante, ferè sine sensu ipso mari agitatus super aquas enatauit, haud tectus nauicula, quam amoue-

rant

rant ſocii, qui eo viſo, accurrêre, arreptumque ad oram deferunt, ſicque euasêre læti, rebus omnibus, quas deferebant, amiſsis. At hæc ſunt ferè quotidiana noſtris. Siquidem adnauigandum omninò eſt ad varias Inſulas, locaque noſtræ curæ commiſſa, qualia ſunt in Dulachiana hac ſede Bitum, Abuium, Bincaium, Malaguicaion, necnon & ipſum etiam Dulachium cum Palo, quorum oſtia talia ſunt, vt per octo ferè anni menſes, quicunque tranaturi ſunt mare, mortem etiam vel non effugiāt, vel certè periculum aliquod magnum haud ſubterfugiant.

Octobri menſe dùm Pater Matthæus Sanchez, huius Sedis ſuperior, apud Burauenum cum Hiſpano commendatario ageret de iis, quæ ad noſtros Indos ſpectant, ortum eſt vaguium, (ventorum, prælium eſt maximum, imbribuſq; commixtum) quod etiam expertos terret, miſit ad illum ſub noctem Hiſpanus, qui diceret, haud firmam eſſe noſtram Domum, firmiorem eſſe ſuam, quam paulò ante perfici curauerat, ſicque Pater illuc pergeret tutior futurus: negat ille, petitaque prius venia, firmam eſſe Domum noſtrā aſſerit: in animo namque erat Patri, ſi vrgerent magis venti, Eccleſiam, quæ bene conſtructa erat, adire: ſed tamen paulò pòſt, miſſo alio nuncio, coactus eſt commendatario morem gerere. En, ingruente nocte (dæmones diceres mundum peruertere velle, non præliari ventos) noſtra breui corruit Domus, Eccleſiæ tectum euolauit, Hiſpanique Domus recens ſuſtentaculis fulta, vix ſtetit: hinc Patrē angebat cura ſociorum, qui hàc, illàcq; diſperſi per varia loca, experti etiam

ſunt hos ventorum turbines, non ſine periculo. At nec multò pòſt iterum noſtros Deus inuiſit. Sub veſperum Feſti D. Catharinæ Virginis & Martyris eiuſdem anni, en alia ventorum procella noſtros reperit diſperſos, tamen (vti mos eſt) pedeſtri itinere breui Dulachium perrexêre ferè omnes, hinc turbo, ventique cogunt quemq; libros, aliaq; quæ iu ſuperiore parte Domus ſeruabantur, aliò tranſferre. Vrgent magis venti, ſuperioris ædis parietes, Eccleſiæque, eos præcipuè, qui Sanctiſsimum Euchariſtiæ Sacramentum cuſtodiebant, deturbant, ſacrariumque ipſum, vbi Chriſti Domini Corpus cuſtodiebatur, ſuper altare deiiciunt, vndè non ſine periculo, magnaque obſcuritate, vix à noſtris abſtractum eſt, nec alius datus eſt locus illud ſumendi, præter penum. Libros verò, aliaque, quæ remanſerant extra capſam, ventus hàc, illàcque abegit, diſrupitque. Hæc nocte illa: verum, orto iam die (ſol enim haud apparet) ea fuit ventorum vis, impetuſque, vt breui oppidi domos, Eccleſiam, Seminariumque ad ſolum vſque deiecerint, noſtram verò Domum quæ fortiſsimis innixa erat [patrio more] ligneis columnis, facilè inclinarit. Tum noſtri nullo tegebantur loco, ventus vrebat, aquæ cadentis gutta quæcunque feriebat potius, quàm madefaciebat, labebantur paſsim Patres, qui noctem traduxerant inſomnem: nec ſub earum domorum tectis, quæ remanſerant, ſecuri morabantur. Fauit tamen Deus mulieribus, ac pueris, quos ea hoſpitalis Domus receperat, quam recens ædificari iuſſerat idem noſtrorum ſuperior, ceſſauit tandem hæc ventorum furia, Indique breui ex iis quæ ſupere-

pererant, lignis exiguum nostris tugurium parant: tùm alluuie fluuii crescente, domum vsq; nostram, quæ in editiori oppidi parte sita est, penetrauit penum vsque, nostrosque in nostro tugurio haud solata est: illud tamen solamen attulit maximum, neminem hic aut obiisse, aut aquarum multitudine suffocatum esse, quod in aliis oppidis accidisse scimus. Quidam etiam è nostris, qui tùm in flumine erant, pericula omnia euasêre. Illud fortè mirum, pisces plurimos in montibus repertos fuisse ab Indis, in causa enim fuit ipsa fluminis alluuies, quæ fluminis aquas retrorsum quodam modo egit, quæ adeò creuêre, vt editiora etiam loca superauerint, sed deindè, cessante tempestate, aquisque alueum fluminis petentibus, plurimi pisces ibi remansêre, quò perrexerant.

Sed dum nostrì pace iam se potiri arbitrabãtur: Ecce octauo pòst die adeò validus terræ motus oppidum cum Insula quatere cœpit, vt domus quæcunque cunas imitari videretur, ipsa terræ agitatione, nostrorumque Domus prius inclinata, magis adhuc inclinauerit sese. Hæc nostrorum felicitas in iis Insulis, hæc viuendi ratio, ventis vrgeri, agitari imbribus, tempestatibus peti, quati terræ motibus, improbis affligi, ad mortem etiam quæri, rebus omnibus carere, hostium assiduis incursionib' terreri: perpetuò tamen lætantur, quippe quibus viuere Christus est, & mori lucrum.

MISSIO AD IBABAVM, ET GVIguam.

TRibus abhinc annis se missioni impendit Societas, haud dissimilis iis, qui feras venantur, seu syluas habitationi aptas reddere curant: siquidem iter primùm complanandum est, dein saxa, spinæ, vepresque vellendi, pòst arborum multitudo, vel cremenda, vel cædenda, quò ædificandæ Domui locus detur. Hæc omnia optatum sortita fuisse exitum, quæ sequuntur exempla docebunt.

Indus quidam gentilis Christianam mulierem secum adduxerat ad montes ante duos annos, sed, mutata per Deum voluntate, pœnitentiaq; ductus, ipse sponte mulierem ad Patrem adduxit, simulque veniam petiit, muliere sponte relicta, quam vti alienam ouem è proprio ipsius grege, veluti vorax lupus, abstulerat.

Duo etiam alii aliam nuptam iam, Christianamque eodem modo abduxerant, quorum vnus missis prius, qui intercedrēt; sociis, deindè ipse idem, Patre sacrum faciente, Ecclesiam ingressus, locum, in quo sacrum faciebat Pater, interritus adit, genuaque flectens Patrem rei ignarum præstolatur ibi, vsque dum ad populum conuersus, Dominus vobiscum, de more proferat: tum demisso vultu, complicatisque manibus, Pater, inquit Indus, peccaui, peto humilis veniam. Pater inceptum prosequens sacrum, iubet ministro, vt Indum adhuc gentilem, extra Ecclesiam mittat. Dein euocatus, faciensq; eius mulieris marito satis, reprehensusque à Patre dimissus est.

Christi-

Christianus alius infidelem sororem, nuptam iam, eodem modo abductam, pro vxore habebat, magno Indorum scandalo, qui rem talem nunquam audierant, hic, Patrum benignitate audita, facilè aliena vxore dimissa, pœnitentiam egit, Christianusque Christianorum vitam est imitatus.

Inda quædam ab Hispano ad malum inuitata modis pluribus, semper restitit inuicta. Sed ab eodem, quasi criminis alicuius rea, sex argenteis ponderibus mulctata, libenter inter cognatos, & affines conquisitam pecuniam obtulit, magis quàm castimoniæ gloriam vel modicum quid commacularet. Hæc eadem alterius Hispani vim prudens effugit: cumque ad Tribunal euocatus esset eius maritus negotii cuiusdam causa, ipseque tunc tẽporis abesset, noluit illa pro marito Tribunal adire, quin potius vt futurum vitaret periculum, abscondit sese, eiusque rei causa cum diù conquisita non appareret, eius patruus satis multis verberibus à Iudice cumulatus est, eò quòd malum suspicans, nunquam vbi illa moraretur, palàm facere voluit.

Exactor quidam Hispanus etiam Indo cuidam impetrauit, vt sibi è duabus natis alteram adduceret; negat ille se hoc facturum, timeo, inquit, Deum; tùm Hispanus ira percitus fustibus illum bene oneratum dimisit. Mox oppidi Ducem Indum vnâ cum satellite euocari iubet, vt virginem illam arripiant, sibique breui sistant; renuit Dux, renuit & satelles, sed Hispanus haud melior factus è domo præcipitat Ducem, satellitemque multis verberibus malè accipit: qui ad Hispanum hæc: Vt quid

talia machinaris,cum sis Hispanus?canis,inquit ille, nunquid aliquandò pœnitentiam non agam? Verùm neque hac dignatus est, quin breui repentina ferè morte nulla præuia confessione interiit miser.

Hæc sunt nonnulla,quæ ex hac sylua,feris paulò ante repleta,intacta reperta sunt hoc anno;nec mirum, inculti ferè omnes ritus difficile relinquunt: Ex iis tamē selegit De⁹ electos; nec desunt,qui quæ ad salutem faciunt,auidissimè discant,nec,qui iam edocti,eadem alios doceāt. Sed in iis festinatur lente; & tamen in tota hac sede octingenti adulti Indi baptizati sunt hoc anno, præter mille pueros.

RESIDENTIA CARIgarensis.

Haud longum texam sermonem in hac Carigarensi sede: siquidem ea essent ferè repetenda, quæ supra retuli in aliis sedibus. Sed hæc præcipua. Oppidum hoc esse illud idem, quod superiori anno cæde,captis,incendio,rapinaque penè confectum reliquit Mindanaus communis Pictorum hostis. Et tamen haudquaquam despondeiunt animo Oppidani:ibidem iterum fixere sedem, instituerunt oppidum, ædificarunt Ecclesiam,Domumque nostris, quas deindè nequaquam fatigati furiosis illis ventorum turbinibus, de quibus paulò ante egimus, feré deiectas, iterum stabilierunt, firmaruntque, qua in re nobiliores Indi haud inferiores fuêre reliquis tùm in hoc, tùm in solandis Patribus, quos sciebant ipsorum causa tot

ſubiiſſe pericula, totque incommoda pertuliſſe.

Ex ſuperiori ergo periculo facti cautiores ſibi nunc proſpiciunt magis Indi Carigarenſes, calamitatumque huiuſmodi cauſas agnoſcentes, ea omnia abiicere incipiunt, quæ ſibi prius chariſsima exiſtimabant, qualia erant furta, contentiones, Idolorum cultus, vindictæ, iræ, rixæ, ſed ſuper omnia luxuria, vſuraque, quas à pueris cum ipſo lacte ſugere conſueuerant. Sicque emendati mores, ſua Dominis reſtituta ſunt, ac pro illis Sacramentorum frequentia admiſſa eſt, Eccleſiæ adeundæ ſolicitudo, audiendi ſacri cupiditas, Deoque placendi deſiderium: vt tantum iam placeat emendatos cernere, quantum prius diſplicuerat illos erroribus implicatos videre.

Quidam morti iam proximus decumbebat, dumque ſubuigilaret dormitans, viſus ſibi eſt videre mulierem ad cubilis caput, vnâ cum viro quodam inſigni, qui eius lateri aſsiſtebat; ij duo infirmum monuere, vt repeteret ſæpius illud. Laudetur Dominus noſter Ieſus Chriſtus, futurum ſibi ſolamini, ac remedio; inſuper addidere, nè timeas, breui conualeſces, haud morieris nunc. Hæc ergò illo repetente, monent noſtri, monent & cognati, vt paulum deſiſteret ab hac laude, futurum nempè ob frequentem repetitionem, inualido eius corpori non modici detrimenti. Tùm ille: quin potius ſaluti ſunt mihi verba hæc; animumque maximè exhilarant, quoties illa repeto: nec mora, paulò pòſt conualuit, firmiſque nunc vtitur viribus, non immemor dulciſsimorum illorum verborum, quæ

ſæpiſsimè cun lætitia iterare ſolet.

Puer duodecim ferè annorum, graui morbo detinebatur domi, ita vt nec Sacerdotem noſtrum videre, nec per alium poſſet illum euocare. Deſiderabat tamen inter Chriſtianos cenſeri: ſed vel negata facultate, vel occaſione ablata, patiens erat in tanto morbo, impatiens moræ. Tandem aliquandò euocatus eſt per alium Pater, qui illuc libenter adiit, catechizat puerum, baptizat illum, ſacroque perungit oleo, qui lætus non minus ob Patris aduentum, quàm ob obtentum diù à ſe concupitum baptiſma, paulò pòſt vitam cum morte fœlix commutauit. Simile ferè accidit duab⁹ puellis eiuſdem ferè ætatis, ſed Chriſtianis iam, quæ percepto ſacro oleo, à Deo euocatæ ſunt, ad æternas nuptias. Illud magis mirum, Sacerdos iter faciens, euocatur, vt adſit mulieri cuidam, quæ ob emiſſum in partu fœtum doloribus maximis angebatur: aſcendit Pater domum, audit, ſolaturque infirmam: ſed dum de fœtu poſtulat, oſtendunt illi ſuper tabulam iacentem recens natum, quem dum mortuum exiſtimarent, domeſtici prætermiſerant, vt matri tantum adeſſent: At verò cum adhuc viueret, baptizatus eſt à Patre, paulòque pòſt aperto ore, quaſi gratias pro munere ageret, ſpirans euolauit ad Superos.

Inter ea, quæ anno ſuperiore hinc rapuerant Mindanaenſes, effigies fuit quædam eburnea Chriſti Domini in Cruce pendentis: quæ colebatur in Eccleſia: hanc cum videret Hiſpanus quidam miles, inter captiuuos comprehenſus, manu gentilis geſtari; Chriſtiano Zelo eam arripuit nihil timens: haud-

haudquaquam, inquit captus, Domini mei effigies tuis, tuorumque est manibus malè habenda: simulque effigiem complectens exosculatur, illud addens: confido Domine, citò nos liberandos, nec frustra: cum enim ad Mindanaum Insulam vnâ cum reliquis peruenisset, incidit fortè in hominem, qui nostris inseruiebat Patribus, qui Maluci morabantur, à quo enixè petiit, vt redimeretur, futurus eius socius vsque ad Malucum, vbi ille solueret quidquid pro eo exhiberet ibi, accidit res è voto, breuique apud Terrenatem Insulam adiutus ab Hispanis, non semel ad Pictas Insulas nauigans, euasit naufragium, plurimis ex eius sociis suffocatis, accessit tandem ad Octonium, Patrique superiori inquit, videsné hanc Christi Domini effigiem? nostin illam? hanc tibi restituto maximam Domus Carigarensis supellectilem, illam quæso, serua, à qua non semel terra, marique seruatus sum. Lætus re Pater effigiem reuerenter accipiens, ad Carigaram misit, vbi maiori colenda veneratione, quàm antea in honesto loco collocata fuit.

MISSIO AD OGMVcum.

OGmucum à Mindanaensibus, vti scripsimus, cum Carigarensi Sede vastatum, diù caruit Sacerdote, diù etiam oppidanos non habuit, sed vbi primùm illuc reuersus est Sacerdos noster, statim quasi oues ad Pastorem, quantum illum exoptauerint, ostenderunt non oblatis tantum munusculis, non exhibitis solũ lætitiæ signis,

ſed Sacramentorum deſiderio, ſed eorundem frequentia, ſed Miſſarum concionumque auditione, aliiſque vel grati animi indiciis, vel ſuiipſius profectus ſignis oblatis.

Nobilis quidam grauiter laborans Patrem optabat ſummoperé, quò ſibi in infirmitate conſuleret; ſed tūc temporis longiſsimè aberat Sacerdos. Tum ille ſuis, inquit; cadauer, quæſo, meum, vbi primùm obiero, in Eccleſia condite: non enim per me ſtat, quominus per ſacram confeſsionem expier. Erat hic magni apud omnes exempli, magnæque vir æſtimationis. Verùm creſcente morbo, à ſenſibus emotus eſt: & tamen fauente illi Deo, licet ſemimortuus cenſeretur, haudquaquam exceſsit è vita, antequam illuc ſe Sacerdos conferret, qui, ſacra vnctione delata, cenſuerat hominem tunc extra ſenſus factum nullatenus poſſe confiteri. Attamen adſtante ibi Patre paululum in ſe reuerſus, crimina ritè per confeſsionem abegit, ſacroque perunctus oleo, ſenſus iterum amiſit, ſecundaque die fœlix vt ſperamus, interiit.

TINAGONENSIS RESIdentia.

SI à baptismo primùm exordiendum eſt, trecenti ac viginti octo ſupra duo millia hoc anno ſacro ſunt tincti lauacro. E quibus nongentos numerat Capulenſis Domus, quæ hoc primum anno exculta, quantam datura ſit meſſem, è futuris Annuis litteris Deo fauente, colligemus. Qui verò ſacras nuptias ritè celebrarunt, ij ſupra quingentos cenſe-

censétur. In fide iam firmi, Deoque placere studentes in omnibus adiuuantur. Mancipium quædam mulier habebat infirmum, vnâ cum filio, petiit illa à Domino vtriusque salutem, statimque exaudita est. Alter qui in infirmitate baptizatus fuerat, conualuit; hic dum solus in concaua arbore remigaret, in fluuii ostiis ad mare quatriduo, vrgente vento perstitit, fame penè enectus, auxilium tamen à Deo postulans, facilè indè recessit. Nonnulli, alterius fluminis impellente alluuie, ad mare vsque vnâ cum cymba vecti sunt, euasêre aliqui non sine periculo: qui verò remanserant, vndis impellentibus, ac vento inuerso nauigio, in mare proiecti sunt, vbi per diem ferè integrum sursum, deorsumque acti, vnâ cum trium mensium infantulo plurima subiêre pericula, vndis ipsis, cum ipsis quodam modo præliantibus. Verùm sub vesperum à Deo exauditi intercessione B. Virginis immisso contrario vento, incolumes ad ripam peruenere, rebus tamen omnibus, quas deferebant, amissis.

Deficiente pluuia periclitabantur sata; moniti tamen à Patre Tinagonenses, vt illam à Domino postularent, exaudiendi: ita factum est: illam etenim præuia oratione abundanter consecuti sunt. Cuiusdam sata perdebant minutæ quædam bestiolæ, sed monente Patre, vt Crucem ibi figeret, morem gerens, vnâ cum vxore, ac mancipiis, erecta Cruce, Dominum supplices exorarunt, vt eorum misereretur. Vix peracta oratione cessauêre bestiolæ. Piscabatur quis in flumine, per totam tamen noctem nihil cepit. Verùm Cruce statim confecta, erectaque à Deo auxilium petiit, nec mora,

quàm

quàm plurimos expiſcatus eſt piſces. Alius in monte fame enectus periBat, ſed in genua procumbens cibum à Domino poſtulat, ibique nullo negotio exauditus eſt. Aduerſo flumine remigabãt duo, ſed inſequens illos Crocodilus proceræ magnitudinis, non ſolùm illos aſpectu terruit, verùmetiam & Cymbam aqua repleuit, penèq; iam demergebat; eorum tamen alter, vt potuit, ſaltu è Cymba ad ripam inito, aufugit, alter verò in extremo penè periculo laborans, en bone Deus, inquit, præda nè fiam Crocodili, IESVS adſit, MARIAq; ſimul, ſumptoque animo ipſo, quem geſtabat, remo Crocodilum percutit, qui aufugiens libertatis locum dedit Indo. Gentiles duo Nobiles dum in Domini Natalitiis quædam audiunt, quæ rithmicæ Bitaya lingua canebantur de Chriſti Domini Infantis laboribus, obortis præ pietate lachrymis, tanto puero compaſsi ſunt: qui eorum miſertus, adeò ad ſe eorundem corda conuertit, vt breui ambo cum vxoribus ſint initiati baptiſmate.

Moriebatur quis infirmitate diſtentus: Verùm nullo modo Sacerdote potiri potuit, fidit ipſe Deo moriens, dolenſque, ac ſimul teſtamento legat, vt vbi primùm illuc peruenerit Sacerdos, exhibeant illi hæredes aureũ torquem magni ponderis, quem in Eccleſiæ bonum conuertat. Sed huius exemplum ſecutus alter, mancipium Eccleſiæ dono dedit. Nobilis quidam, vbi nouit duos è ſuis luxurioſè viuere, Zelo commot⁹ verè recto, iuſsit ambos per publicos oppidi calles verberari, quò aliis eſſent exemplo, poterat ille quidem hoc imperare, ſiquidem oppidi Caput erat, ac Gubernator.

Quantum

Quantum hic prodesse possint nostri proximorum saluti, iuxta nostræ Societatis morem, illud inprimis ostendit, nostrorum in hac villa commorationem excursionem esse quandam assiduam: Hincque vocati sunt nostri non semel ab Augustiniani Ordinis Patribus, à Clericis aliorum oppidorum Parochis, vt sibi in tanta Indorum messe opitularentur, cuius rei possem litterarum exempla transcribere. Illud tamen non præteribo, nunc Sacerdotem vnum nostrum haud modicum inseruisse Deo in alia quadam excursione, non exigui ponderis.

Plurimos miserat Philippinarum Præses cum suis Ducibus milites, quò Mindanaenses Indos igne, ferroque consumerent: sed dùm illàc versus nauigationem instituunt, mittitur qui nuntiet, nostros, qui Maluci sunt, fame laborare, carere commilitonibus, armis, aliisq; ad bellum necessariis indigere, quibus possint Olandensium hæreticorum impetum frangere, vel sibi saltem cauere. Hic, mutato consilio, mittitur qui classem reuocet, Octoniumque mittat, ituram breui ad Malucum. Parent imperio omnes, exceptis militibus, qui se deceptos aiebant: haudquaquam nauigaturos, si prius nosset se ad Malucum mittendos: hinc plurium luctus, hinc aliorum furor, hinc vniuersorũ tristitia, graue aliquid (seditionem puta) minitari videbatur, alios namque angebat vxorum absentia, nonnullorum morbus, vlcerumq; dolor, haud paucos hostium, marisque pericula; alios rerum suarum quasi perditio affligebat. Siquidem longius ituri, quàm decreuerant, depertitam quodam modo pecuniam,

quam

quam amicis crediderant, existimabant. Quare iis, aliisque huiusmodi rationibus permoti, vel fugam meditabantur plurimi, vel aliud quid simile, licet cum vitæ discrimine. Adde iis mœroris signis iuramenta, maledicta, blasphemias, nolle se pacem habere, nolle confiteri (& quidem illuc ad hoc perrexerāt Clerici duo) nolle aliquid agere Christiano dignum; per vim se ád tam longinqnam Insulam mitti, deceptos se fuisse à Regiis ministris: quid plura? nihil non moliebantur, quò ab hac secunda nauigatione cessarent. Porrò cum Octonienses Hispani, Indique, duplici Iubileo ante paucos dies potiti, viderentur tunc nostra opera non indigere: in animum sibi induxit Sacerdos vnus è nostris portum adire, cum ipsa villa continentem, ibique præstò esse illis, quos audierat tanto in discrimine versari: reque prius Deo commendata, nihil (itineri se accingens) secum detulit, quippe qui cogitabat emendicato viuere. Haud obstante eius aduersa valetudine, illuc breui properat, maximam conscendit nauem, in qua à totius clasis Duce lætus recipitur: nec mora, velle se, ait, nauigaturis inseruire, siquid fortè in se esset, quò posset munus hoc exequi. Accedunt paulatim milites, accedunt nautæ. suas quisque difficultates obiicit. Pater omnibus omnia fit, solatur omnes, paulatimq; eorum corda emulcet: Attamen animum, inquit, prius curandum, siquidem non minora futura erant maris pericula, quàm hæreticorum hostium insidiæ. Haud posse illos Malucum non adire, quid multa? eò breui adducta res est, vt supra trecentos audierit, quosdam totius vitæ, alios octo, decemvè anno-

rum

rum peccata confitentes: quod vt melius exequerentur, hortatiunculas aliquot præmisit loco, tempore, personisque congruentes, interim qui in aliis nauibus erant milites, inuidia quadam Christiana commoti, Patrem aliquoties ex ipso nauis carchesio euocarunt: Vt quid (aiebant) vnicam nauem frequentas, Pater? huc etiam perge tristes solatum. Ergo toties euocatus, dat operam, vt omnes naues inuisat, diu, noctuque aures præbet pœnitentibus, siquidem ei bene aderant in iis, quæ ad victum, habitationemque pertinebant, nec defuêre, qui dum missam ad littus celebraret Pater, cœlesti pane pasti sunt. Itaque factum est, vt abeunte illa tristitia, læti omnes starent iam Regiis iussis, detestatisque prioribus criminibus, pro ira lenitas, benedicta pro maledictis, pro blasphemiis diuinæ laudes personarent: fugatæ sunt discordiæ omnes, sopitæ inimicitiæ, à memoria abiectæ iniuriæ, vindictæ prætermissæ, odia deposita, resque omnes adeò compositæ sũt, vt quod paulò antè inferno simile videbatur, nunc cœlestem quandam fœlicitatem redoleret.

Dum hæc in portu fierent, non defuit qui dæmone aliquo actus, rem tantam vellet perturbare: Vnus namque ex Octoniensibus ciuibus domum quandam ædificare tentauit intra domunculæ nostræ angustias; iactatis in vulgus contra nostram Societatem aculeatis quibusdam dictis. Verùm breui nullo nostrorum labore factum est homini satis, resque in melius mutata. Itaque dum Sacerdos noster, si ne suo muneri imposito, omnes bene valere, beneque nauigare precatur, nihil absuit quin à præ-

cipuis clafsis Præfectis, maximè quidem ab ipso omnium Duce, in ipsa classe nauigare cogeretur, futurus omnibus solamini, remedio adiumentoq;. Annuisset quidem Pater, si suum fuisset annuere, quippe qui optabat maximè in Olandensium manus deuenire, quò desideratā diù Martyrii palmam hoc sibi posset modo comparare: Verùm cum absente superiore hoc exequi nequiret, petita ab omnibus venia, oblatisque pro tota classe precibus, indè processit, classisque solutis velis, suum instituit iter: factumque Deo bene fauente, est, vt nauium nulla, licet plures ex Olandensibus hàc, illàcque adnauigarent ad prædam, præsidiaque in duabus Insulis haberent munita militibus, in hæreticos hostes impingeret, quin potius, delatis armis commeatibusque ad Terrenatensem Insulam, nostris fuêre solatio: deindè Manilam petentes, sine periculo, quo nequaquam caruêre Olandenses, euasêre, quod hæretici nequaquam euaserunt, qui ausi cum Triremi nostra in ipso mari decertare, paulò pòst à nostris (capta eorum Triremi) in seruitutem redacti sunt octoginta hæretici, vnâ cum totius clafsis hæreticæ Imperatore, qui, vt libertate donetur, offert nostris militibus octuaginta millia Scutatorum, hanc tamen nondum cōsecutus est. Sed ad nostros reuertamur, quibus haud tantum fuit curæ adesse clasi, pedestri enim excursioni vacarunt. Sacerdos ergò idem eadem prorsus die, qua soluit classis, quasi nihil egisset, laboribus tamen præteritis, nec non & aduersa valetudine fatigat⁹: Dei autem, Indorumque propter Deum amore flagrās, victusque afsiduis Augustinianensis familiæ, (cui tota

tota ferè Panaësis hæc Insula demādata est) cùm precib⁹, tùm litteris: voluit tādē illis satisfacere dieb⁹ aliquot, quò deindè posset vnà cum socio Quadragesimali tempore Octoniensi Villæ præstò esse: Itineri ergò se accingit, nec multum aberat à portu, cum falsorum ore perfertur, ad villam, sociumque Fratrem Adiutorem, Patrem vnà cum classe Malucum versus soluisse. Hinc statim questus, hinc lachrymæ, communi se parente orbatos; perseuerasset quidem falsus hic rumor, nisi Frater ipse, dolore potius impulsus, quàm viribus, Sacerdotis vestigia celer indagasset: addidit inuestigandi desiderio aculeum, Vicarium quendam demortui Zebuani Episcopi, incussisse fratri nostro metum, nolle se nostros ibi inter Hispanos Ecclesiam cōstruere.

Porrò villa ipsa petente, facultas iamdudum ab ipso viuente Episcopo, Regioque Manilensi Senatu liberalissimè nostris data fuerat publicè ibi cōmorandi ædificandique vnà cum Ecclesia domum, nobis nequaquam tale petentibus; Pater ergò à Fratre ad Augustinianorū sedes iturus inuentus est, qui, cum ei⁹ querimoniam audiuisset, Frater, inquit, salua res est, proximorum saluti vacandum est, Villæ iam adfui, ab Augustinianæ familiæ Patribus iamdudum euocatus sum, illuc nunc remigrabo, illàc excursurus, vsque ad Quadragesimam, quòd si aliquid te Vicarius monuerit, illo modestè audito adde te nihil huiusmodi scire, ignorare litteras: superiorem moneat, si quid velit. Annuit Frater, redit ad Villam, aitque Hispanis, Patrem haudquaquam Malucum petiisse, nec longè abesse, citò aduenturum, interim bono sint animo. Sed mirum quot,

O quā-

quantaq; habuerit impedimenta hęc excursio, prӕteritus Sacerdotis nostri labor, aduersa eius valetudo, Vicarii rumor, metusque ab eo incussus, Hispanorum desiderium illum videndi, nec parum etiam remouit Araiӕ linguӕ, qua Indi illi, ad quos properabat, vtũtur, quӕ haudquaquam Bisaya est: sed omnia vincit amor. Saloquium ergò versus primò pergit parua Cymba, ibique salutato Patre Priore, viro sene, ac graui, à quo sӕpius inuitatus fuerat; ait se illuc adiisse, ad eius iussa exequenda. Porrò Prior, qui tùm haud secunda valetudine vtebatur, eum quasi Dei Angelum lӕtus suscepit, segetesque iam albas ad messem illi ostendit, à se haudquaquam adhuc collectas: nec mirum, viginti enim ferè leucis suum Indis impartitur laborem solus hic Prior, multaque Indorum millia sine socio instruit, vt potest bonus senex, lӕtus ergò talis socii aduentu, iactat in vulgus aduenisse iam Patrem illum, quem diù desiderauerat, nec mora, è rupibus, montibus, caueis, campis erumpit Indorum multitudo maxima, gentiles immixti fidelibus eadem prorsus celeritate accurrunt, sibi consulturi: Pater de more (quӕ ei innata humanitas est) cunctos lӕtus suscipit, cunctis pro captu fauet: alios sacro baptimate luit: alios audita confessione iuuat: alios cœlesti Eucharistia pascit: cunctos piis colloquiis mulcet: Missas frequentare docet: sacras Virgini corollas offerre, Sanctorũ cultui studere: oblatis à summo Pontifice Indulgentiis bene vti: ab Ecclesia non longè abesse: Patrum monitis obtemperare: ab Idolorum impio cultu auocare animum: dolori peccatorum vacare: verę contritionis formulam noscere, qua

qua in quocunque periculo constituti, absente Patre, possent vti. Hæc ille tùm publicis, tum familiaribus sermonibus inserebat, tanto Indorum fructu, tanta Patrum lætitia, tanto suiipsius bono, vt nullus tantam eius rei caperet admirationem, quantam ipse noster Sacerdos ijs cepit diebus. Dæmon tamen haud illi parum inuidit: missæ namque sunt ad eum epistolæ, malè apud Octonium cum rebus nostris agi. Pater tamen haudquaquam mouetur, mox nocte quadam, antequam dormitum iret, mures aliquot cum fele pugnantes audit, deindè summa iam nocte equos sese calcibus impetentes sub suo cubiculo sentit. Verum eum terruit magis canis cuiusdam latratus maximus, qui tum procul, tum prope ei videbatur latratibus personare, ad hunc canis clamorem tota surrexit Dom⁹, Paterq; Prior Sacerdotis nostri cubiculum adit, canemque ibi maximum videns, illum, quò potest modo fugat. Verum nec huiusmodi canis vnquam, nec mures, nec equi ibi vel morati sunt, vel illuc properarunt aliquandò, teste ipso Patre Priore, qui dæmonem illum esse, non alium fassus est. Pater ergò hæc pro nihilo ducens, suo vacat muneri, eorum lingua confessiones audiebat, breui eorum verborum significationem, quæ aliquo modo à Bisaya differebant, sibi in memoriam adduxit: dum publicam concionem habebat coram maximo populo, nullo perstrepescente, vel etiam conspuente, ea animi attentione audiebatur, vt dicerent vniuersi, ea lingua nihil clarius se audiisse, nec verbulum quidem à seipsis prætermissum, quod non perciperent, mirum quàm exiguo tempore Sacerdos Araiam lin-

guam didicerit, licet ſymbola ſit cum Biſaya. Vnde Sacerdos ab ignotis diligebatur, à notis ſuſcipiebatur, ab vtriſque æſtimabatur maximè, nec facilè eſſet dicere, quo in honore habitus ſit à Patribus Prioribus Saloquij, Dumangij, Libacai, Laclagij, Paſij, Bagonij, aliorumque oppidorum, quæ innumeros continent Indos. Teſtis huius rei ſit, Sacerdotem hunc ab illis ſæpius per epiſtolas euocatum, non tàm Indorum ſaluti conſulendæ, quàm ipſorum Priorum perfectioni (vt ita dicam) perficiendæ: puta agendo de miniſterio Indorum perfectè obeundo; deferendis, ac perferendis vel erratis, vel in fide defectibus: de mitigandis barbarorum animis: de alliciendis transfugis: de eorum captandis animis, beneuolentiaque, de diſsimulandis aliquandò eorum criminibus, de moderatis pœnitentiis indulgendis, nequaquam ſubterfugiengas eſſe difficultates in tanto miniſterio, pauperes admittendos, infirmos ſubleuādos, aduocādos è mōtib⁹ ſenes, vt vel diſcāt quę ignorāt, vel vt quę norūt, pfectè ſciant; qua in re maximè prodeſt vera cū Deo familiaritas, orationis amor, perfectionis ſtudium, ac Apoſtolici huius miniſterij æſtimatio, quibus omnibus in rebus tantum Sacerdoti noſtro tribuit Deus, vt Religioſiſsimos illos Patres ad plura pro Domino perferenda ob Indorum ſalutem facilè permouerit, ſeu, vt meli⁹ dicam, allexerit, eorumque vnum grandæuum iam, grauique olim munere apud ſuos fulgentem, haud ita bene de noſtra Societate ſentientem, adeò vnico tantùm colloquio emulſit, vt iam inter noſtros familiares, noſtrique inſtituti amatores cenſeatur, facilè enim Pater hic noſter à

Deo

Deo consecutus est, vt durum quenque emolliat, auersum allicitat, inimicum conciliet; tantum siquidem valet conciliatum esse Domino, à quo bona cuncta promanant.

Quæ in ijs excursionibus peregerit Sacerdos haud modica essent, nisi aliàs eis similia retulissem, sed quid singularius, quàm in tot oppidis ignotum hominem tantis lætitiæ signis receptum, tot lachrimis dimissum, tanta vniuersorum gratulatione auditum, ignotam ex parte eorum linguā percipere, nec non & ab Indis percipi: tantoque adeuntium ad sacrum Sacramentorum fontem gustu, emolumentoque quæsitum: in omnes tamen æternæ salutis desiderium instillasse, præsentisque vitæ cupiditatem, vanaque desideria extinxisse?

At nè longior sim, eadem prorsus præstitit in alijs quinque Prioratibus Pater breui tempore, non tamen breui labore, verùm magno fœnore, nec non & sui desiderio relicto: & quod amplius est, adeò integra valetudine, vt fassus ipse sit, nunquam antea tot se viribus valuisse. Nunc ad alia eiusdem Sacerdotis in alio genere breuiter percurramus.

Ob Zebuani Episcopi mortem, vacantemq; sedem innouata sunt Ecclesiastici Senatus munera, quare ad Octonium, quò iam peruenerat noster Sacerdos, missus est breui Vices Episcopi gerens, de quo supra quædam tetigimus. Hic cum videret ex Indis neminem templum maximum adire, Sinensesque etiam Christianos Ecclesiam nostram cum illis tùm ad sacrum, tùm ad concionem audiendam frequentare: in suspicionem adductus, seu malè edocti ab alijs, facilè sibi persuasit, nostrorum

ſuaſione hæc fieri. Hinc in vulgus abiit, noſtros eſſe ambitioſos, ſuis rebus non contentos, alienarum cupidos, & his ſimilia: addebatur illud ciuis illius, qui iam priores domus ſuæ columnas in noſtra domo erexerat, quique ira percitus, quas antea lubens dono dederat, euulſit, iis, aliiſque iactatis contra Societatem noſtram mendaciis, ignis haud modicus ex modica quidem ſcintilla accenſus eſt: imperant ergò Indis, Sinenſibuſque nè domum noſtram neuè templum inuiſant. Imperio adhibent minas, ſed fruſtra. Campanam, quam primò nobis commodauerat libenter alius Epiſcopi Vicarius, nunc repetunt, nec ſatis, decernunt erectam iam paruam Eccleſiam Regis Epiſcopique decreto, ſolo æquare, recenſque erigendam per imperium omninò perdere. Quid plura? iam noſtri tanquam malefici, ab ipſis etiam Hiſpanis quodam modo derelicti, carnificem præſtolabantur ad mortem. Interim illuc ex Zebuana vrbe ſoluerat, qui viſitatoris munere fungens, noſtros ſe velle viſitare iactauit: fremebat ille, vociferabatur, proferebat in vulgus quidquid in buccam veniebat. Sed ecce illum Sacerdos noſter (qui illis diebus quaſi aliud agens ſurdum ſe finxerat calumniis, mutumque dicteriis; non tamen mutum apud Deum) de more recens aduectū inuiſit: breuiq; noſtrorum in villam Octonienſem ingreſſum in memoriam reuocat, oſtēdit Epiſcopi, Regiique Senatus facultatem ac litteras: Pontificia diplomata profert, quibus facta nobis facultas ædificandi etiam intra cannas; quibus etiam prohibetur, nè vllus, quacunque dignitate præluceat, noſtras domos, viroſvè viſitet. Exhibet noſtram viuen

uendi normam, nostra studia, nosq; nil aliud velle, nil optare, præter proximorum salutem, facilè illi perspicuum facit. Tum visitator, quasi suiipsius pudens dat manus lubens, credit Patris verbis, ac litteris, iram in amorem vertit, furorem in humanitatem; nolle se ait tantum malum perpetrare: facilem se nimis fuisse incusat in ijs credendis, quæ à veritate abhorrebant: facit facultatem Ecclesiam iterum erigendi, petit veniam, & quidquid aliud optari poterat, libentissimè concedit. Sequenti verò die, populo inspectante, nostros inuisit, gratulatur de bono incepto, dolet sinistra quæque à vulgo cōcepta, simulque se in nostram amicitiam insinuat, mirantibus omnibus, qui longè diuersa paulò antè ex eius ore audierant. Tunc Hispanus ille, de quo supra, pœnitentia quadam adductus, petitaque à nostris venia, erectas in nostro solo columnas euellit, quasque prius dono datas arripuerat, reddit, amicior factus, quàm antea. Nostri itaque inceptum opus prosequentes, dum ex veteri Domo in nouam quædam asportantur, quidam è nostris Fratribus, dum illuc properaret, ab Hispano quodam in ipso calle detinetur paululum, quo tempore prægrandes quædam tabulæ è superiori tabulatu eius Domus, quam inuisebat Frater, ante Domus ianuam magno impetu ciciderunt, illum vtique oppressuræ, nisi ab ipso Hispano fuisset interpellatus. Manilæ pridie Kalendas Iulij Anno 1609.

OCTO-

OCTONIENSIS, SEV Areualensis Missio.

IN hac Missione, (cui⁹ perseuerãtia ex vestræ Paternitatis ad quã scripsim⁹, nutu pẽdet,) obijt hoc anno P. Melchior Gurtado, quem, cum Pictos Indos de more visitarem, mecum illud aduectum in eadem Triremi, ad se Dominus euocauit. Is patria erat Toletanus, triginta & septem annis natus, è quibus septemdecim in Societate peregerat, quatuor votorum professus, qui huc adnauigauit ante annos decem, vnâ cum Patre Visitatore Didaco Garcia. Vouerat namque, dum Mexici vrgente morbo morti proximus esset, ante Augustissimum Christi Domini Corpus, se, si conualesceret, ad has Insulas adnauigaturum, Indorum saluti procurandæ: quod & illi præstitit Deus. Illum ergò haud secunda nauigatione iactatum, morbus grauis inuasit, quem hilari vultu suscipiẽs, adeò cupit dissolui, & esse cum Christo, vt cogerentur socii eum à tali cogitatione aliquandiù remouere, exemplo Beati Martini Episcopi, Domine si populo tuo sum adhuc necessarius &c, ipse verò ea tãtum voce vtens, haud equidẽ necessari⁹ sum, futurã ergo, inquit, Patres, mihi ante oculos gloriã proponite, illud sæpi⁹ repetatis velim: satiabor cum apparuerit gloria tua, vel illud: Torrente voluptatis tuæ potabis eos, cumq; aliquid eiusmodi vel insinuarent tantum, eximia perfruebatur lætitia. Dum viueret, angebatur scrupulis, vndè sæpi⁹ confessarium adibat, nunc tamen

ea fru-

ea fruebatur pace, vt vsque ad vltimum spiritum multoties interrogatus, siquid fortè eius angeret animum, ipse iudicio valens optimo, responderet semper, nihil me angit. Haud breui sermone dici potest, quantum Areualensis Hispanorum villa ei⁹ adhuc sibi ignoti, senserit infirmitatem: inuiserunt illum præcipui Duces, Nobilesque viri, misêre cibos magni pretij, bellaria erant asſidua, Augustiniani Patres illi adfuêre frequenter. Obtulere non semel primores Domos proprias, quò facilius Patri in tanto morbo præstò essent, abnuit ille, vt potuit, licet domunculam ibi haberemus omnib⁹ ferè vacuam Missionique verè aptissimam. Optauit maximè, non ibi apud Hispanos, sed apud Indos, omni destitutus solatio interire. Quantum verò Indorum salutem dilexerit, testis sit eius apud Mindanaos seruitus vnius ferè anni, vbi ciborum penuria, carentia Domus, vestitus egestas, pediculorum multitudo, infidelium irrisio, laborum asſiduitas, rerum omnium ferè defectus, satis illi dignam coronam promeruerunt. Porro nè deesset ingratis, Mindanaensem linguam didicit, vt illis prodesset. Verùm nec territus tot laboribus ærumnisque, vbi primùm libertate donatus est, institit Manilæ, vt ad Mindanaos iterum legati nomine destinaretur, quò cum illis de pace ageret, quod cum esset consecut⁹, licet impedierit eorum excursiones eo anno, non tamen impediuit, quin pro captiuo haberetur, quod ei erat in delitiis. Itaque Tagalorum, Bisayorumq; , qui ibi inter mancipia numerabantur, saluti consulens, nihil prætermisit, quo posset tùm Christianis, tùm gentilibus, Mahometanisque Minda-

nais prodesse. Peracto tum anno, reuocatus est ex Mindanao Præsidis iussu, non sine periculo. Nunc verò instanter à me petierat, vt mecum illum adducerem ad Pictos Indos, nullo se vrgeri timore nouæ seruitutis, quin potius velle se aiebat nostris Indis significare, quàm pusillanimes essent Mindanaenses: nostrisque suadere, haud metuendam esse seruitutem apud illos, nec despondendum animo, siquidem apud illos etiam possint nostri sibi promereri plurima bona, nec non & aliis, sicque munitus meipsum obsecrauit hoc modo. Pater, siquid vnquam ego boni egi, quo aliquo fuerim dignand⁹ præmio; hoc pro maxima ducam, vt tecum Bisayas adeam. Porrò Bisayiam linguam optimè nouerat, didicerat Tagalam, Malayam, Terrenatensem, quibus possit variis gentibus opitulari. Quanti illum fecerit Episcopus Zebuanus, vir ætate, litteris, Religione, ac virtutibus in iis omnibus Insulis celeberrim⁹: ex hoc eius testimonio dignosci potest. Heu, inquit, quot bonis abundabat Pater Gurtado! in scribendo peritus, in componendis carminibus facilis, in Philosophia satis doctus, in Theologia optimè versatus; quàm mitis erat ingenij, quàm amabilis, quàm modestus: quæ eius erant virtutes solidæ, qui Zelus Domini, quæ salutis animarum sitis! Bone Iesu, quantum Deo placuit in sua apud Mindanaos seruitute, quantum ibi promeruit gratiæ, quantum laborauit, quantum salutis amisit, quanta passus est, vt Christo Barbaras illas gentes lucrifaceret! haud quidem explicare paucis valeo, quo fuit incensus Zelo, vt Mahometanos illos ad viam salutis induceret, ibi semel captiuus longo

tempore,

tempore, lætus adeo permansit, vt sponte deindè longa nauigatione suscepta, illuc iterum properaret, quasi boni aliquid reperturus, vt mali nihil non perpessus paulò ante fuerat, quasi sibi etiam placeret illud Pauli: Ego vinctus in Domino. Prôh vir verè Apostolice, qui inter tot barbaros, diuinique nominis hostes haud metuisti sacrum quotidiè facere, quo cœlesti Christi Domini pabulo concaptiuos Christianos, sacro prius pœnitentiæ lauacro ablutos, reficeres, aliosque transfugas reuocares ad Domini pascua, vel etiam gentiles, sacro oblato baptismate, inter Christianos numerares, vel etiam quod maius est, Mindanaenses ipsos tùm sermonibus, tùm familiaribus colloquiis ab ipsis Mahometis impiis ritibus reuocatos, ad veram Religionem traduceres. O verè Beatus vir, O verè Sanctus, non ea gloria Beatus, quæ modica censeri solet, sed ea (arbitror) à Deo insignitus est, quæ tot insignibus virtutibus, tot gloriosis laboribus, tot pro Deo perpessis vigiliis respondere visa est. Hæc aliaque plura tantus Episcop⁹ de Patre Melchiore Hurtado, non sine magno verborum pondere, singularique in eum animi beneuolentia, haud semel dicere solitus est. Adde iis humilitatem, patientiam, diligentiam, patiendi desiderium, quæ haud vulgaria in eo erãt. Ad Pictos Indos reuertebatur nunc, nullo sibi incusso nouæ seruitutis metu, quin aptauerat sese ad quæcunque subeunda pericula, & quasi iterum futurus captiuus, nè sibi deessent aut libri, aut ad barbaros arguendos responsa, casus non modicos cumulauerat, rerum Ecclesiasticarum normam trãscripserat, nostri instituti formam, quam probè calle-

callebat, transtulerat etiam in eum, quem secum deferebat, codicem, nè fortè, si iterum ab hoste caperetur, librorum multitudo ei esset incommodo, qui vnico in codice delatu facili vniuersa quodam modo conclusa retineret.

Obiit ergò Pater Gurtado sexto Calendis Septembris huius anni, intrinseco quodam ardore cõsumpt⁹, licet extrinsecè nihil huiusmodi appareret: nullus ciborum appetitus à prima die apparuit: lingua eius quasi tosta igne: sed tamen patientia ei⁹ inuicta ad mortem vsque perseuerauit. Visus est mortis suæ diem agnouisse, pridie namq; eius diei, quo obiit, Patri Francisco Vicentino, Octoniensis Missionis superiori, dixit: crastina die hac eadem hora actum iam erit de me; nec quidem seipsum fefellit, eodem enim ferè tempore postridiè eius diei animam Deo fœlix reddidit, Sacramentis omnibus ritè perceptis. Adfuêre eius funeri pręter Hispanos viros, Augustiniani Patres aliquot, qui funus ipsum præuiis nocturnis, decantatoque sacro cohonestarunt, Diacono, ac Subdiacono ministrante Sacerdoti, qui fuit eius conuentus Prior: qua in re illud mirum, Patrem hunc à nemine in tota illa Insula, nec de facie quidem, notum, tanto in honore habitum fuisse. Sed hæc sint satis de Patre Gurtado vero Societatis filio, veroque Domini famulo, nec non & Beato viro. Cuiùs mortem eò plus dolem⁹, quò magis in omnibus labores eius desideramus; in eo enim vno plures operarios amisimus. Id tùm nostram solatur tristitiam, fautorem nobis illum è cœlo ipso futurum, vt in reliquis Societatis Prouinciis quàm plurimis Missionem hanc in animũ Deus indu-

inducat, vt venientes veniant cum exultatione, portantes manipulos ſuos, ex ſemine illo collectos, quod ipſe, dum iret, & fleret, tot lachrymis, tot laboribus miſit: quantumuis enim multos meſſores mittat Dominus meſsis, totum triticum in cœli horreum minime congregabunt.

Nec min⁹ in veſtræ Paternitatis animo, ſub cui⁹ vt ſpecialiſsimi, amantiſsimiq; Patris, qui eam in lucem dedit, tutela, noua iſthæc Prouincia creſcit; confidim⁹, eandem conſeruaturum, promoturum aucturumque nouo, & haud exiguo Sociorum numero, quorum labore, ac induſtria ex ipſis dæmonis manibus eripiamus, quidquid ipſe ſibi ſolet eripere (haud exiguum quidem eſt) miniſtrorum penuriâ, qui his animis extremè indigentibus ſubueniant. Multi enim modo geniti infantes doctrinæ lac; plures nondum geniti, generari per regenerationis lauacrum concupiſcunt: præ multitudine autem, ferè non eſt qui panẽ illis, ſeu cibum frangat, nec qui iſtos in ſacrum baptiſmatis fontem immergat. Pientiſsimus ille Dominus, cui propriũ eſt miſereri, omnes pietatis ſuæ oculis aſpiciat, & veſtræ Paternitatis perſonã conſeruet in totius noſtræ Societatis bonum, eique adaugeat maximè ſuæ gratiæ, & donorũ cumulos.

AN-

ANNVÆ LITTERÆ PROVINCIÆ FRANCIÆ Anni M.DC.VIII.



On parua etiam in Prouĩcia Franciæ facta est hoc anno domiciliorum vel mutatio vel accessio; restitutis primùm Prouinciæ Lugdunensi, vndè translata huc fuerant, duobus Collegiis Sequanicis, Dolano scilicet & Bisuntino; receptoque Molinensi, quod in Lugdunensi antea censebatur, duobus deindè recens inchoatis, Remensi & Ambianensi, ac tertio Augensi ex pristinis exilij nostri ruinis redintegrato. Itaque numerati sunt in vniuersum per quindecim domicilia, socij sedecim supra quadringentos: septem morte sublatis, allecti in Societatem octo & quinquaginta.

DOMVS PROFESSA PARISIensis.

ALuit è nostris Domus Professa Parisiensis, potiore anni parte circiter 20. Sacerdotes 13. cæteros Adiutores. Sub anni exitum tirocinium 15. circiter Nouitiorum R. P. N. Generalis mandato erigi cœptum; quod piorum hucvsq; eleemosynis vnâ cum ipsa Domo sustentatum, in spem maiorem adolescit. Nouis aliquot ædificiis Domus nostræ laxatæ, ad quod iuuit liberalis cui9dam è nostris eleemosyna. In iis cubicula noua facilè

cilè ſexdecim honeſtè religioſeq; compoſita. Tres è Belgio ſubmiſſi, partim auxilio, partim, & verò præcipuè, vt Gallica lingua probè percepta, expeditiores ſint habendis ad populum è ſuggeſtu ſermonibus. Conciones à noſtris crebrò habitæ, non in templo tantùm noſtro, ad quod non infrequens nec ignobilis confluit Auditor; ſed & per vrbis Parochias celebriores: Parochianis noſtros certatim expetentibus, vt pl⁹ laboris ſit in recuſandis, quàm in quærendis ſedibus. Die Circumciſionis ineunte anno, Rex ipſe Chriſtianiſsimus, cum ſacra Synaxi manè refectus Strumoſos circiter quingentos variis è Prouinciis affluentes, de more tetigiſſet, ad nos à prandio, Regina totaque aula comitatus aduenit, veſperis, concionique attentus interfuit, ac ſtatas ad obtinendas Indulgentias orationes piè ſedulòque recitauit. Sub abitum, cum ſermo fortè de Catechiſmo incidiſſet, Illuſtriſsimo Cardinale Perronio, ac Pariſienſi Epiſcopo præſentibus, magno animi ſenſu intulit, cōdolendum omninò Catholicos hac in re longo ab hæreticis interuallo ſuperari: planeque Epiſcopis enitendum, vt ſanctum hoc & tanti olim habitū miniſterium in integrum veluti poſtliminio reſtituatur.

Exeunte anno cum tres è noſtris per Aduentum conciones in vrbe ad populum haberent, Rex idē ad vnumquemque eorum ſigillatim audiendam, tribus itidem diebus è Palatio cum Regina ac Principibus aulæ proceſsit, magna vtique in Ordinem noſtram beneuolentiæ ſignificatione, cum è tanto concionatorum illuſtrium numero, qui in hac vrbe maximè vigent, noſtris duntaxat hominibus, id

hono-

honoris exhiberet. Historiam Indicam Gallica lingua quidam è nostris vnum in corpus redactam ediderat, hanc Rex sibi dedicatam tanta animi voluptate perlegit, vt vix tandem tertia eius repetitione satiari potuerit. Sed propensum hunc in nos Regis animum, nihil tàm prædicat, quàm P. Hieronymi Barisonij ex vrbe aduentus. Missus hic à R.P. N. Generali, vt præcipuè quædam ad Societatis nostræ bonũ attinẽtia pponeret, ab eo sũma humanitate & beneuolentia exceptus est. Nec eo cõtentus Rex, eundem Patrem cum P. Ferdinando Bastida ad S. Germani fani octauo circiter hinc lapide dissitum inuitauit, & liberos suos qui inibi apparatu Regio educantur, videre voluit: quos ipse omnes cum ante nostros stetisset, vt puerilia quædam recreationis ergò à mensa proluderent imperauit.

Pœnitentium ad nos accurrentium, communicantiumque accrescit indies numerus. Ipso anni die ingens eorum ad Indulgẽtias obtinendas multitudo confluxit: vt & per Aduentum, cum Sanctissimi Domini nostri Pauli V. Iubilæum in ea tẽpora incidisset. Multi ab hæresi abducti: plures in fide nutantes stabiliti. In iis illud illustre. Trecensis quidam Iuuenis parentibus natus hæreticis, aliquot annos in Hollandia stipendia meruerat. Cum in quodam conflictu mortem sibi certam imminentem videret, memor B. Nicolai, cuius ope multos olim è diuersis casibus ereptos audierat, vouit se si incolumis euaderet, Catholicam fidem amplexurum, peregrinationemque, ad B. Nicolai in Lotharinga suscepturum. Votum Deo acceptum probauit euentus. Omnibus ad vnum commilitonib⁹

circũ

circũ ſe cæſis, ſolꝰ ipſe non viuus modò, ſed integer etiam euaſit, promiſsi tantum reus, quo ſe fideliter exoluit. Tres è noſtris damnatorum ad triremes, cum abducerentur, confeſsiones excepêre. Aditi de more carceres, ægri, Noſocomia. Miſsiones præcipuæ duæ inſtitutæ, Aureliam vna, Diepam altera. Qui Aureliam per Quadrageſimam miſſus eſt, concionibus ita ciuitatem permouit, vt & publicas à Magiſtratu gratias meritus ſit, & ciuium in Societatem affectus vſque adeò accenderit, vt iam ſeriò de Collegio apud ſe ſtatuendo deliberent. Catechiſmus de more & ab eius ſocio habitus, neſcias maioremnè attulerit aut pueris fructum, aut ciuitati voluptatem. Diepana Miſsio vti diuturnior, & in meſſe vberior, ita plures etiam attulit fructꝰ. Quã primùm noſter è ſuggeſtu viſus, mirum quantum hæreticis terroris intulerit. Matrona quædam ex ipſorum grege ad concionem venerat, hanc in aliorum terrorem tantis moleſtiis affecerunt, vt triduo mortua ſit. Quadraginta omninò Chriſto nomen dedêre. Ipſi fidei hoſtes palam profeſsi ſunt, Ieſuitæ aduentu maiori ſe plaga percuſſos, quàm cum ſuperioribus edicto publico ſolum vertere coacti ſunt. Cumque hactenus nihil nobis niſi ſcripturam occinerent, iam eandem vel inuiti profitentur, videri omninò ſcripturæ verba à nobis ſtare, ſed à ſe ſenſum, videlicet ſecundum ſenſum eorum. Variis actibus Patrem vocare in inuidiam conati ſunt; cumque nihil pro voto ſuccederet, nouiſsimè duo falſi teſtes acceſſerunt; verùm quia conuenientia non erant teſtimonia eorum, in fumum abiit accuſatio. Sed præcipuus fructus nutantibus in fide fir-

mandis constitit. Plures sexcentis sunt, qui de fidei nostræ controuersiis post has conciones non vereantur pedem cum quolibet Ministro conferre. Vetera odia extíncta non pauca. Qui manuum labore victitant, ea lege operam suam hæreticis addixerãt, vt concioni, qua hora haberetur, non impedirẽtur interesse, horæ illius iacturam se qua vellent ratione sarturos, aut prãdii ipsius priuatione, aut lucis præuentione, aut operis in noctem etiam concubiam productione. Patrem porrò in Britanniam abscedentem tanta hominum vtriusque sexus multitudo prosequuta est, benedictionem ab eo flexis genibus obortisque lachrymis efflagitantium, vt difficillimum ei fuerit, aut lachrymas continere, aut ex eorum turba diuelli. Eidem redeunti multi vel pedites obuiam occurrerunt, eo applausu & acclamatione, vt tota ciuitas commoueretur.

RESIDENTIA COLLEGII Parisiensis.

In Residẽtia Collegii Parisiensis versati ferè sunt hoc anno decem è nostris, sex Sacerdotes, reliqui rerum domesticarum Adiutores. Dum autem expectatur Scholarum, totiusq; antiquæ formę Collegii integra restauratio, non otiosa interim nec inanis est opera nostrorum. Audiuntur in Sacello domestico confessiones, ritèque expiatis sacra porrigitur Eucharistia, numeratiq; sunt, qui ea reficerentur festis quibusque diebus non pauci, solennioribus verò supra ducentos. Quo genere iuuantur inprimis Adolescentes, qui cum in variis Aca-

Academiæ Collegiis nunc degant, memores haustæ olim apud nostros pietatis ac disciplinæ, libenter ad nos confluunt, feruidiorisque ætatis impetum crebra Sacramentorum vsurpatione reprimũt ac retundunt. Non defuerunt qui nostrorum admonitu hæresim agnoscerent, eiurarentque. Nonnulli etiam piis commentationibus exculti. Duo tresvè in Societatem, in alios Ordines plures allecti. Catechismus toto fermè anno Scholasticis in Sacello nostro explicatus. Quod verò ad externa spectat, Domum Isiacam, Collegii olim cum floreret, recreationibus percommodam, futuramque deinceps, Regio diplomate postliminio recuperauim᷒, refusis tamen aureis 1700. quo pretio ab iis redempta ferebatur, qui per absentiam nostrorum eam domum villamque occuparunt. Aucta etiam domestica supellex, & annui reditus Collegij.

COLLEGIVM MVSSIPONtanum.

NVmerauit hoc Collegium de nostris priore quidem semestri 74. in his Sacerdotes 30. Scholasticos 26. 18. Coadiutores: Posteriore tamen numerus nonnihil fuit imminutus. E viuis excesserunt Patres quatuor: primus Pater Odo Pigeolius Professus quatuor votorum, ferè septuagenarius, qui 40. & amplius annos in Societate transegerat, multis magnisq; laborib᷒ functus, difficillimis Galliæ temporibus, 14. annis Rector; designatus præterea Visitator & Assistens, nisi alterum impedisset rerum nostrarum perturbatio, al-

terum morbus, qui illum per eos ipsos fermè dies, quibus Romam à R.P.N. Generali vocabatur, inuasit, ac reliquo vitæ spatio omniũ munerũ expertẽ tenuit. Secundus Pater Ioannes Hayus, Professus quatuor votorum, sexagenarius, vir eximiæ doctrinæ & obseruantiæ in Superiores singularis; obedietię certè quidẽ in paucis cultor. Tertius Pater Ioannes Hordal, Coadiutor spiritualis, etiam sexagenarius, is exactis 30 .circiter annis in Religione, dum ad prandium de more accumbit, mutato sub finem vultu, pallere, deficere; monet, qui assidet, scyphum labris vt admoueat; paret ille, verùm id dùm tentat: tremere manus, caput inclinare velut emortuum: accurrunt Patres Fratresque, in manus è me sa deferunt, & eum qua possunt diligentia & charitate iuuant: sed frustra, vix triclinio priusquam vita cedit. Quæ res vt nostros perculit vehementer, ita maximum & illustre dedit exemplum infirmitatis humanæ, nosque pariter omnes edocuit, quàm sit è re nostra Christi illud sæpè mente versare: estote parati &c. inopinam tamen mortem & importunam, non incidisse in imparatum, argumento est, quòd sæpè multos ad bene sanctèque moriendum, bonus ille Pater summo studio adiuuisset, & eo ipso die, quo est mortuus, sacrũ fecisset. Quart⁹ Pater Iacobus de Lugni etiam Coadiutor formatus & sexagenarius, qui cum paucos ante obitũ annos, oculis fermè captus vix sine baculo sol⁹ tutò progredi posset, eam molestiã patienti animo semper tulit, totumq; illud temp⁹ partim orationib⁹, partim cõmentationib⁹ rerum cœlestium ad extremam vsque diem transmisit. Verùm

rùm

rùm enimuerò prouidus ille Paterfamiliâs & Messis Dominus Deus suffecit operas in locum demortuorum: siquidem quiquaginta & amplius è scholasticis nostris magno tenentur desiderio Societatis ineundæ, omnes è duplici Sodalitio B. Virginis; supra quos decem & octo in eandem fuerunt hoc anno ascripti. Venio ad ædem sacram, quæ aucta est ab ara maxima, venusta sanè, & ita conspicua, vix vt vlla in tota Lotharinga cum ea cõferẽda videatur: hanc Deo sacrauit Reuerendissimus Dominus Episcopus Tullensis, exceptus sub consecrationem Patrum conuiuio in triclinio, vnâ cum aræ Patrono ac parente Domino Abbate Belloprateñsi. Ad Ecclesiam conuersi quinque ex Caluinismo; ex Mahumetano Turca vnus ad fidem est instructus, & aqua sacra lustratus. Reliqua anni huius cum superioribus communia. Numerãtur Scholastici 1600. de quibus Nobiles non pauci, plerique Religiosi: vtebantur Triclinio admodum angusto, & vsque adeo obscuro, vt si quando cœlum nubibus aut pluuiis tegeretur, vel ipso die medio luminibus accẽsis esset opus. Iam capacissimum est ædificatum, cui aula adiuncta paris aut maioris quâ longitudinis quâ venustatis: his super extructa duodeuiginti cubicula pulcherrimo non minus quàm saluberrimo aspectu. Ab aula itur cõtinenter in hortum, vbi perampla & spatiosa porticus excitata, quæ quaternos minimum excipiat inambulantes.

COLLEGIVM VIRDVnense.

ALuit Virdunense Collegium 24. de nostris; 12. Sacerdotes, quorum vnus in Schola docet, Magistros præter hunc alios quatuor, reliquos Coadiutores. Hæretici octo veritati, Deoque manus dederunt, in quibus viri cuiusdam nobilis constantia prætermitti non potest; qui cùm agnatos omnes ac matrem præcipuè haberet, ea fœdatos labe, sic ab iis auctoritate continebatur, religiosum vt arbitraretur eam Religionem, quam tam multi de suis profiterentur, abdicare. Accedebant ad hæc matris tum preces tum minæ, quæ cum artes suas iam intelligeret aduersus filii voluntatem nihil posse, quod desperatis rebus vltimum solet esse, minitabatur eum se, si quid noui consilii moliretur, exhæredaturam. Vicit tamen hominem veritatis vis, qua sic animo commotus est, maiorem vt rationem excitantis Dei, quàm reuocantis parentis habendam existimarit. Ergò quò faciliꝰ cum Deo rediret in gratiam, in Collegium se recepit, vbi piis commentationibus aliquot dies excultus, Ecclesiæ tandem restitutus est summa cum voluptate. Alter cum annos vndeviginti iisdem in erroribus versatus esset, grauiter tandem ægrotans eiurare perfidiam cupiebat. Verùm cum per familiam hæreticam nulla potestas fieret Sacerdotis, bono dolo penetrauit ad eum vnus è nostris, cui de peccatis confessus paulò pòst obiit. In cuius etiam funere habita concio, non minore luctu familiæ hæreticæ, quàm reliqui populi gratulatione frequen-

quen-

quentiaque. Ad Benedictinos studiosi tres, ad Carthusianos vnus, ad Franciscanos, quos Recollectos vocant, duo, ad Capicinos tres, in Societatem tres adscripti sunt. Ciuitatis ardorem ac pietatem non parum auxit, noua quædam ex istis locis inaudita supplicandi ratio, quæ nocte ea suscepta est, quæ hebdomada maioris feriam sextam antecedit. Processerunt enim induti saccis honestissimi viri complures, qui cum bonam Templorum partem obiissent, in nostro demum post cohortationem breuem ab vno de nostris habitam, in sua terga sæuierunt, vniuersa non tantum admirante, sed etiam approbante ciuitate; quod ipsa res declarauit; nam postridie non pauci reperti sunt, qui se præteritos aut non admonitos expostularent, ac rogarent sibi vt liceret illa saltem quæ sequebatur nocte, pietatis eodem officio in nostro Templo Christi patienti condolere, quib⁹, vt licuit, est factum satis. Vtimur Prorege nostri amantissimo, Collegium aliquoties inuisit. Auctum est præsidium turma Cataphractorum eorum, quibus Prorex ipse pro Serenissimo Duce Aurelianensi præest (is est alter ex Christianissimi Regis liberis) ij cum sint ex præcipua Nobilitate, mirum est quàm nos obseruent. Feriis Paschalibus apud nos vniuersi confessione seipsos expiarunt. Frequentes ad nos adeunt, de rebus dubiis consulunt, si quos intelligant parùm sincerè de pietate sentire, ad nos adducūt, si quid dissensionis inter suos sit, maturè nos monent: denique nihil prætermittūt, quò suum in nos animum aperiant. Sed ad hanc illorum de nobis opinionem momēti plurimum attulit, quod commemorabo. Decum-

bebat ita grauiter ex illis vnus, vt fugere iam propè animus videretur: euocatur Sacerdos qui confeßionem excipiat, adit, facit vterque quod in tali re ac tempore faciendum fuit. A confeßione rogat ęger, nostrorum vt precibus ad Deum fusis iuuetur: faciunt vniuersi de Rectoris volũtate; postridie cum ad eundem rediisset noster, quem defunctum putabat, sanum præter spem & incolumẽ inuenit. Cognitum est eodẽ illo tempore, quo sub serotinum examen Deum pro decumbẽte ægro deprecamur, eundem illum derepentè conualuisse: Quod sanè beneficium ille tanti facit, nostrorum vt precibus debere se vitam apud quos potest profiteatur. Euolauit vt speramus in cœlum P. Ludouicus Riuerius, variis virtutibus instructus, quæ nostros homines inprimis decent. Vixerat in Societate annos viginti tanta animi suauitate & modestia, nullus vt inuentus sit, qui se leuißimè violatum ab eo, nè verbo quidem perstrictum meminisset. Quare cum nemine visus est vnquam contendere, nè nutu quidem repugnare, cum potius id vnum suis in dictis, tùm factis quæreret, omnib⁹ vt inferior videri posset. Accedebat ad summam animi demißionem cæterasque virtutes obedientiæ studium, quod tota vita coluit, eximium ac singulare. Iussus enim humaniores litteras profiteri, septem & decem annos ferè continuos eloquentiam docuit, ea constantia, nunquam vt visus sit, nè minima quidem significatione temporis aliquid ad interquiescendum appetiisse, vndè nihil vnquam Superiorem vel per se vel per alium rogauit, aut rogandum existimauit, nè quidem vt ad alia maiora studia liceret aspirare.

Quin

Quin potius cum quærerentur homines, qui ſe diſciplinis humanioribus addicerent, ipſe ſe libentiſſimè obtulit, ac aliis vt idem facerent, auctor fuit. Decubuit 9. Calendis Auguſti, octauoque pòſt die extinctus eſt pridie Calendis Auguſti, cum nihil magis habuiſſet vnquam in votis, quàm vt huius vitæ dies is ſibi vltimus eſſet, qui parenti quondam noſtro Beato Ignatio abeunti in cœlum primus fuiſſet. Elatus eſt cum totius propè ciuitatis lacrymis, præcipuè noſtrorum Auditorum, quibus tùm ſtudiorum Præfectus erat. Ad illius cohoneſtandum funus, conuenerunt ex æde primaria Canonici quàm plurimi, de ſingulis familiis Religioſis bini, tanto cum ſenſu, omnes vt tantum virum tam importuno ſibi tempore ereptum lugerent.

DOMVS PROBATIONIS NANceiana.

VArius hic noſtrorum numerus, ſeu Nouitiorum acceſſu, ſeu ad Collegia receſſu: minor ferè quinquaginta nunquam fuit, peruenit propemodum ad ſexaginta, ſi veteranos numeres, ferè ſemper duodecim. Pergit huiuſce Domus labor in externorum quoque ſalute, vt impigrè, ita fructuosè verſari. Magna in copia quæretur modus, in modo breuitas. Erat mulier hominum opinione ſeu poſſeſſa à dæmone ſeu obſeſſa, reuera furoris & nequitiæ facibus excitata, quæ negotium iampridem faceſſeret, adhibiti exorciſmi, factæ iteratæque per nouem dies Miſſæ preceſque ex more, nulla penè ratio parandæ ſanitatis præter-

termissa, dum nihil interim de morbo decedit, desperatio potius accedit, tentatis iam frustra remediis omnibus. Adducitur fortè ad Patrem testis eadem quæ testis consciaque scelerum: adhibetur confessioni; tulit Dei voluntas, vt eo denique in loco finis mali atque exitus reperiretur. Altera callidæ mulier audaciæ sic artificio furebat, vt se quoque persuaderet energumenam. At quæ in eum errorem induxerat plurimos, non ita nostrum induxit. Eremita quidam tentatione carnis superatus, iam eremum, iam fidem deserebat, iamque proficiscebatur Geneuam, & percommodè cecidit, dum hàc iter facit (Deo scilicet nè scandalum hoc eueniret, prouidente) vt Sacerdoti occurreret nostro, qui familiariter se in hominis sermonem insinuauit, & à consilio malo auertit. Deflexerat à consueto Sacramentorum obeundorum cursu è Sodalibus Partheniis vnus, qui cum menses iam multos libertatem vitæ pœnitentia non corrigeret, secundum quietem videre sibi visus est ignita in caligine irruentem in se, vt raperet, dæmonem: cui ad eius terrorem expergefacto timor çùm ad detestationem intermissæ pietatis permagnus; tùm ad curam animi salutisq; multò maior fuit, ita vt diuinitus id datum confesśio velox tanto cum dolore facta, mutatioque vitæ loquantur. Fratrem frater interemerat, & alteri quidem tumulus, alteri patibulum parabatur, sed quia fratricida vinctus primò Sacerdotis nostri alloquio nihil adhuc de odio in fratrē, de gaudio mortis fraternæ etiam cum suæ nihil dubio discrimine remiserat, tantum erat odium, secundo alloquio sic mutatus est, vt alium diceres.

Non minus de fratris adhuc ſpirantis vita, quàm de capite ſuo laborabat: mortem à Iudice denunciatam, ſibi, vt reo debitam, vt pœnitenti gratam accepit, nihil omiſit Chriſtianæ officii priuatim, publicè, toties mortuum fratrem appellans & compellans vt parceret. Atque vt abſcindenda per carnificem erat manus: Ecce, inquit, manus tanti facinoris adminiſtra, abſcinde. Sic deniquè proſequut' eſt quod habuit reliquum vitæ, vt in lacrymas effuſa turba ſimul etiam in noſtrorum laudem ſolueretur, qui tàm peritè animos tractarent, & ad pœnitentiam inflecterent. Puellam non amplius quatuordecim annorum ingreſſus dæmon, malè admodum tractabat. Vocatus noſter ille dum excipere illius confeſsionem vult. dæmon os linguamque occupat: nè hiſcere quidem poteſt, ingeritur in os puellæ panis, ab exorciſta benedictus, quæ ſic dæmone ad imas partes ſe recipiente, peccata ſua confeſsione expiat: quibus expiatis facilior fuit ad plenam liberationem via. Ac vt aliàs miris ſe malis dæmon prodiderat, ecce vbi recens prodigioſo puella tumore intumeſcit, mater eius Diuæ Mariæ Aſpricolli miraculis in Belgio celebri non citius votũ vouit, quàm inſigni miraculo filiam liberam vidit. Primus in Nouitiatu ipſo obiit Claudius de Chau Coadiutor, dum adhuc in prima Probatione verſaretur, ſed tantis virtutum, charitatis in Deum & patientiæ ſignis, quaſi longas iam in Societate Probationes exegiſſet; ſpe verò tanta, vt in eo Adoleſcente ſatis oſtenderetur, cui ſemel ad Religionem aditus, eidem facilè patere ad cœlos aditum. Is ex morbo conuulſiones periodicas patiebatur, quarum ab

vltima

vltima, quæ proximè antecefsit mortem, cum rediiſſet ad ſe, & vbi ſum? inquit, vnde venio? adhuc-nè viuo? dolens ſe inde ita diuulſum. Interrogatus quid ſibi vellet? reſpondit obiectum ſibi locum pulchritudine inprimis nobilem, ad quem non poterat cupiditatis & lætitiæ oculos non adieciſſe: In eo tàm pulchra omnia, tàm mira, quæ quò poterat ediſſerebat: ſed ad ea fruenda non ita multò pòſt ſua maxima voluptate è viuis excefsit, in Societate cœleſti futur⁹, tùm Ieſu ſui, quem inter dolores morbi ſuauiſsimè laudabat, tùm B. Ignatij, quem tàm amanter toties appellabat. Inciderat in morbum Margaretha Mantuana, Henrici Lotharingi, iam tùm Ducis coniux, morbum autem medicorum opinione propiorem morti, quàm vitæ; ſolicita erat ciuitas periculo, ſuſpenſa metu, perturbata medicorum iudiciis. Summus ergò & cœleſtis medic⁹ implorādus fuit, & in templo quidem noſtro, publica quadraginta horarum oratione, in qua dùm ſuas de nocte vices ageret è noſtris vnus, ſanitatemque feruentius depoſceret ægrotanti, repentè oborta ipſius animo lux eſt clariſsima, quæ oſtenderet nihil eſſe metuendum, & tanto in diſcrimine tanta ſecuritas enata, vt triſtem Patrem, qui ægrotanti erat à confeſsionibus, ſolaturus ierit futuræ ſanitatis aſſeueratione: Iterumque inter orandum confirmatus neceſſe habuerit triſtiorem Patrem confirmare magis, qui deſperatæ ſalutis ex aula nuntium, & extrema veluti medicorum iudicia domum reuexerat. Et probauit quidem euentus id à Deo eſſe, cujus eſt ſanare, & cui voluerit reuelare. Perfectum hoc anno ſacellum, cui à Confeſſoribus

titulus

titulus & honor est, pulcherrimè laqueatum pictumque, egregio imaginum opere visendo potius quàm narrando, dùm breuitas obstat. Quo in Sacello imago est Virginis Aspricollis, quā de aliàs, ad quam magno vir splendore maleficorum artibus grauissimè passus; postquam sacra fieri curauit, recreatus plurimum, vt miseri putauit esse ad misericordiæ matrem confugere, ita & ingrati accepto beneficio tacere. Alio sepultus in Sacello est à se condito & ornato Dominus Hattonius, plurimis Romæ perfunctus muneribus, quod ornatius fecit coniux vario marmore, & duplici aræ veste ex holoserico villoso nigro. Ædicula componendæ asseruandæq; templi vniuersæ suppellectili dudum necessaria, hoc tandem anno ædificata est. Supellex autem ipsa omnium generum eleemosynis in tẽpli cultum erogatis plurimum aucta. Singulæ prætereuntur, sileri propter auctorem non debet, quod donum dedit, vt liberalitatis, ita pietatis argumentum Catharina Lotharinga, cortinas sex altaris sericas, cum alio ornatu opere Indico; filia illa est Caroli III. qui & ipse prægrande marmor magnitudine inusitata, nec minus opere visendum, quod ad splendorem palatii parauerat, ad splẽdorem domus Dei & aquam benedictam continendam destinauit, paulò antequam moreretur. Igitur claudet Annales, qui diem clausit luctuosum vniuersis Princeps Optimus Carolus III. si cui dat optimi nomen magna in rem Christianam voluntas, benignitas in suos, in omnes homines iustitia & fides. Laudatus est oratione funebri ab vno è nostris viro eloquente, nunquam satis laudandus Princeps, & verò à

nostris

noſtris, quos dilexit vt filios, & quoad neceſſe fuit, commodis omnibus affecit. Seceſſum ille noſtrorum è Gallia benigniſsimè habuit, ſuo potius beneficio quàm aliorum conſilio, quos ſeu vnius amantes Ordinis noſtri, ſeu temporis illius calamitatem metuentes non audiuit. Adibant eum noſtri vt principatu ac dignitate excellētem, vt facilitate parem infimis: prouocabat ipſe libertatem, ſi qua tandem reuerentia vinciri videretur, & quoties viſebat noſtros, viſebat autem frequenter, etſi procul à palatio diſsitos, hoc ſolo vt viſeret, toties amorem ſuum quo ſenſu prodebat! amo, inquiebat ſæpius, Societatem veſtram, & aliàs: perieramus Pater, Rectorem alloquebatur, perieramus, hæretici iam omnes eſſemus, exularet à terris meis vera fides, niſi vos obſtitiſſetis. Cor ipſi⁹ à Duce filio nobis traductum ad ſepulturam ſui in Societatem noſtram, & viciſsim in eum Societatis noſtræ perpetuum monumentum. Obiit Nancei hoc ipſo anno, qui Chriſti eſt 1 6 0 8. Atque hæc pro memoria ſatis, pro tanti Principis dignitate parum.

COLLEGIVM BITVRIcenſe.

Viuunt in hac Domo deuoti Deō 29. Sacerdotes tredecim, domeſticæ procurationis ſeptem. Scholarum fama ſolito latius peruagata, ſuis complures ſedibus exciuit: mille circiter Auditores numerantur. Inſignes conuictorum fructus, quo nomine in ſummis ædium anguſtiis locum liberis aliquem viri primates impensè rogāt.

COL-

COLLEGIVM NIVIR-nense.

SEptemdecim hoc anno Collegium Niuernēſe incoluêre, Patres ſeptem, Magiſtri quinque, totidem Coadiutores. Etſi autem in reſtaurandis perficiendiſque ædificiis, quæ anno ſuperiore fuerant inchoata, & veteribus fundis redimendis recuperandiſque magnopere toto hoc anno deſudatum eſt: nihilò tamen ſegnius in Scholis, & animarum ſalute procuranda laboratum. Exceptus eſt à Scholaſticis noſtris, ſemel atque iterum Illuſtriſsimus Dux Niuernenſis cum coniuge; & in eius gratiam dat⁹ in ſcenā Ferdinandus Gonzaga, Turcarum in Africa, auſpiciis Caroli V. Imperatoris, debellator, magna omnium approbatione, & Principis, in hoc ſuum Collegium propenſiſsima voluntate, cuius argumentum eſt non crebra modo viſitatio, cum in hac vrbe degit, ſed ſtudium etiam ornandi atque amplificandi. Cum enim quinque tantum Scholæ Humaniores iſti Collegiò, pm ſſæ eſſent, vnum præterea Philoſophiæ Magiſtrum, annitente Reuerendiſsimo Epiſcopo, & vnuerſa ciuitate, à Patre noſtro impetrauit. Scholæ autem ipſæ etſi non numeroſiſsimæ; non enim multum ſuperant 400. lectiſsimam tamen & ingenioſam erudiunt iuuentutem. Quinque ſexvè apud nos ad fidem Catholicam ab hæreſi rediere: ex quibus vnus Patre hæretico, matre Catholica nat⁹, initia grammaticæ apud nos olim edoctus, fidem Catholicam apud Sathanæ miniſtrum eiurat: indè duode-

duodecim ferè annos ſine vlla Religione vixerat; tandem reſipuit miſer, & noſtris confeſſus, apud Epiſcopum Niuernenſem hæreſes publicè deteſtatus eſt. Oppidum S. Cæſarij, à multis annis hæreticorum Sentina eſt, vbi tamen Catholici non pauci, ijque quaſi per Antiperiſtaſim, veræ pietatis retinentiſsimi, ſicut vice verſa hæretici eo in loco longè omnium obſtinatiſsimi. Eò accitus vnus è noſtris, per Aduentum & Quadrageſimam conciones habuit, diebus Feſtis manè ad Catholicos in templo, veſpere ad confertam multitudinem ferè de fidei controuerſiis, & Miniſtrum ex occaſione auditum publicè non ſine fructu confutauit. Quatuor hæreſim abiurarunt, duo coram teſtibus, reliqui priuatim. Grandæuus quidam à Sacerdote noſtro petiit, vt poſt octauum diem ad confeſsionem admitteretur; conſenſit Pater: ſed interim inopinata mors pridie octaui diei bene valentem miſerè oppreſsit, vt alios doceret, minimè in ſalutis cauſa comperendinandum. Plurimi ab eſu carnium reuocati, etiam de hęreticis, quorum alter coniugum Catholicus eſt.

COLLEGIVM MOLI-nenſe.

NVmerauit hoc anno de noſtris Socios vndeviginti; Sacerdotes ſeptem, totidem Magiſtros, quinque Coadiutores, ex pluribus candidatis, qui Societatem contentiſsimis animis expetebant, duo duntaxat electi ſunt. Horum alterum pater materque, hæc blanditiis, ille minis ab inſtituto

inſtituto auertere fruſtra conati, vbi infractum filij animum diuinamque in eo gratiam agnouerunt, æquiores facti in eius vota benigniſsimè conceſſerũt. Non leuis etiam, breui licet temporis ſpatio, in vrbe quadam Aruerniæ, vnius è noſtris, qui eò concionaturus venerat opera, morum eſt facta mutatio. Publicam intemperantiam & comeſſationum ingluuiem non ſua tantùm proſcripſit voce, ſed iurante in eius verba Magiſtratu, voce præconis exulem dedit, approbantibus vniuerſis, & hoc editum oratore Chriſtiano dignum, inclamantibus. Adulterinum ſacræ cõfeſsionis vſum, quò perfunctoriè & quaſi per indicem confiteri aſſueuerant, correxit. Simulque Eccleſiaſticorum quorundam licentiam, quæ magno reliquæ vrbis ſcandalo, ita impunè graſſabatur, vt qui modum faceret impudentiæ, non eſſet. Reuerentia tandem noſtri Sacerdotis perciti, & eruditi doctrina, ad meliorem frugem famamque redierunt. Emicuit quoque in hac vrbe, Collegioque B. Ignatii parentis noſtri patrocinium. Primi nominis Matrona, deciſis iam detritiſque per morbi violẽtiam viribus, vergebat in mortem; ſuccurrit afflictę B. Patris memoria, cuius illa incredibilis olim charitas, nunc beatifica dilectione ardentior eſt. Applicuit animum ſapiens mulier, & impigrè votum concipit, in honorem illius ſe Chriſtiana ſacra domi noſtræ ꝑcepturã, vt primùm per remittentem morbũ licuerit. Abſoluebat adhuc, & iam ſe ſentit voti ream, nihil enim antiqui morbi reliquum erat præter memoriam, & diuinæ laudis argumẽtum. Sed & Beatiſsima Virgo ſuam illa plus quàm maternam in Sodales ſuos benignitatem nouis

uis confirmat exemplis. In illis vnus optimæ frugis Adolescens in Cholicā inciderat, tàm immanem ac crudelem, vt inusitata vis morbi videretur. Iam per plures dies ad constitutum redierat, & à prima vigilia torquere incipiens, ad primam vsque diem sine respiratione vexabat. Nihil iam reliquum sensus, nisi quod ad tanti doloris sensum satis erat, & diuinæ Matris inuocationem. Audiit Sodalis sui calamitatem Parthenicus alter, pro legibus Sodalitiis statuit opem ferre, adest igitur cū res postulat, cum erumpere malum debet, & instaurare carnificinam, & iam resentiebantur velitantes quędam pœnæ, iam horror cruciatus patientis vultum efferabat. Haud segnius dat se in genua suppetiator ille Sodalis, & communem Matrem ardentissimis votis implorat. Tùm è vestigio mutata eius facies, non iam æger gemere, sed ridere, & defixis in cœlū obtutibus incredibilem quandam iucunditatem agere potius quàm loqui. Denique sub te (ait) Virgo, si dolores hunc finem habent, doloris finis nullus esto. Pergebat interim in voto Sodalis; & simul fuit orandi dolendique finis. Præceptorum vnus in vico dum concionem habet, differitque de virtutibus ceræ consecratæ; perorantis verba res ipsa comprobauit. Aderat enim puella vix triennis, quā ab vtero diræ cacadæmonis artes miserrimè affligebant, & iam pridem tentata omnia comploratos parentes in desperationem adduxerant. Spem illorum in Deum erigit noster, Agnumq; benedictum è collo misellulæ appendit, & ipso momento persanata est. Ad Montemlucium, (id est oppidum Boiorum, secundum Molinas facilè princeps) suscepta

pta expeditio à Sacerdote nostro præter solitas officiorum Societatis manubias, hoc habuit insigne, quòd eius hortatu in ergastulum datæ à Magistratu proiectæ libidinis mulierculæ, quæ publico vrbis scandalo Ecclesiastico maximè Ordini insidiabantur; & quod dictu horrendum, ab eodem inprimis, à quo rescindi malum debuerat, ali, fouerique ferebatur.

COLLEGIVM ROTHOMAGENSE.

FVêre hoc anno Rothomagi è nostris duodeviginti; Sacerdotes ad summum duodecim, vt minimum nouem; Præceptores nondum initiati sacris, priori anni parte tres, posteriori quinque, Nouitij duo, cæteri rei domesticæ Adiutores: E quibus vnus vita functus est Valentinus Sanier, maturus ætate iuxta & virtute, qui annos natus quatuor & sexaginta, in Societate quadraginta exegerat, orationi & mortificationi, quoad vixit apprimè deditus; extremo vitæ anno cum repentè in paralysim incidisset, memoria ita penitus cum valetudine excidit, sui vt nominis propè immemor, vnius Dei memor esset. Vidimus sæpè lecto affixum defectumque sensibus, ad Dei appellationem tanquam ex alto somno experrectum, arrectumq; ad ea, quæ de diuinis rebus disserebantur, ad cætera omnia obsurdescentem. Quòd si ex interuallo tantisper conualesceret, de Deo semper aliquid balbutiebat; diemque Dominicum, quo die cœlestem cibum incredibili pietatis sensu percipiebat, cupidis-

ſimè opperiebatur. Operi ſic addictꝰ erat, vt otium ipſa ægritudine grauius ferret, attrituſque iam viribus, ſuam bonus ſenex quantulamcunq; domeſticis opellam vltrò deferret. Eius iacturam poſtmodò ſarſerunt Coadiutores duo, alijque nouem ex hoc ipſo Collegio in Societatem admiſsi, quos inter vnus Rhetor, reliqui Philoſophiæ curriculum emenſi. Aliorum Religioſorum Ordines inierunt noſtræ alumni diſciplinæ omninò 25. Idē alij plerique meditantur. Noſtram Societatem expetunt viginti. Puella tredecim annorum, inſciis parentibꝰ cum vni de noſtris peccata confeſsione explicaſſet, hæretici cuiuſdam ancillæ idem vt faceret aliquando perſuaſit, primoque diluculo in ſacellū noſtrum ei ſe vel ducem vel comitem adiunxit. Erat Sacerdotis eius, cui confiteri ſtatuerat, Tribunal, tanta pœnitentium turba circumſeſſum, matutinis vt horis confiteri non potuerit. Quapropter bona puella ad horam ferè quartam pomeridianam in eodem veſtigio ieiuna perſtitit; hoc quidquid laboris & inediæ vorandum erat, ad propitiandum ancillæ Numen æquiſsimè perferens, ſeque interim dum illa confitebatur, hoc tanquam pabulo ſuſtentans, quòd præda è manibus non effugiſſet. Iucunda exceptus celebritate nouus ſupremæ curiæ Præſes, cui ad Magiſtratum capeſſendum Lutetia excedenti Rex Chriſtianiſsimus noſtrum Collegium impensè commendarat. Idem Philoſophicis exeūte curſu diſputationibus non ſemel interfuit, noſtrorumque vel diſcipulorum eruditionem, vel profeſſorum modeſtiam vehementer probauit, reclamante inprimis Philoſophiæ externo quodā

Pro

Profeſſore, qui traducendo Societatis nomine noſtros ad ſe diſcipulos auertere conabatur. Sed nimirũ, quæ aduerſꝰ nos techna parabatur, in ipſum auctoris caput recidit, multaq; verborum licentia id vnum conſequutus eſt, vt aliò migrare cogeretur ipſe, nobiſque pauculos illos quos auerterat, Philoſophia iterum inſtituendos relinqueret.

DOMVS PROBATIONIS S. TRInitatis Rothomagenſis.

FVit hoc anno vt mos eſt tirocinii, dum aliis abeũtibus alii ſuccedũt, noſtrorum numerus incertus, pauciores nunquam fuerunt quàm 34. acceſſerunt aliquandò ad duos & 50. nunc autem duo ſupra quadraginta numerantur. Quàm gratum diuinæ pietati hoc tradẽdæ doctrinæ Chriſtianæ ſit ſtudium, non obſcuro aliquandò viſa eſt indicio ſignificare. Mittebantur eius cauſa duo in pagum ſuburbanum, quò vt peruenirent, flumen erat, quod ciuitatem alluit, traiiciendum. Nec deerant, qui eos cimba tranſmitterent, ſed Chriſti pauperes quia naulum non ferebant, pleriq; reſpuebant. Inuentus eſt tandem, qui ſuam illis operam gratis offerret, ſed gratis non impendit. Nam præſens viri meritum diuina liberalitas præſenti mercede remunerauit. Etenim columba è ſublimi dũ traiicerent, repentè deficientibus alis, in cimbam lapſa, in vectoris manus pro naulo venit: ac nè cui fortè id caſu factum potiꝰ, quàm ſingulari Dei prouidẽtia, interpretari liceret, idipſum alio die iiſdem

uit pius Adolescens, miserabili parentis furore, cœlestisque Patris offensa commotus, subitò in lachrymas ita prorupit, vt cõuiuas ad commiserationem flexerit, & quos prius aduersantes habuerat, ad causæ suæ patrocinium conuertit. Atque vt patris crimen aliqua sua pœna expiaret, contemptis lautæ mensæ ferculis, seuum è candela expressum edere cœpit: & quoties spurcius aliquod verbum de Patris irati ore audierat, toties Sacrosanctum IESV nomen, in orbiculo suo, ipsis quæ edebat frustulis imprimebat. Et quamquam nihil tùm quidem erga filium remittere visus est pater; patri tamen salutaris tanti filii pietas postea fuit, vt credimus. Etenim cum patris adhuc obdurati, alteriusque filii, quem habebat domi, corpora tàm grauibus morbis afflixisset Deus, vt huius salus desperata, illius dubia videretur; sic animum quoque immutauit, vt ad filium postmodum litteras daret, quibus dicebat, agere se Deo gratias, filium quòd haberet in Societate nostra, & à filio contendebat, vt suis precibus diuinam sibi maiestatem conciliaret, ab eaq; pristinæ obstinationis veniam impetraret. Atque hæc quidem quorundam propria sigillatim. In vniuersum autem probatum sibi fuisse in hac Domo concitatum vniuscuiusque ad virtutem studium & accensam voluntatem non semel testatus est, cũ in ea versaretur R. P. Prouincialis, cuius etiam mandato delecti sunt ex omnibus duodecim non mediocris spei Adolescentes, qui Parisios missi sũt, ad inchoandum in Patrum Professorum Domo, nouum tirocinium, quod hoc anno cœptum est. Cæterum contigit, hoc ipso anno Dominæ Dau-

bingi Isabellæ scilicet Du Moncel Fundatricis nostræ obitus, quæ vt nos in vita semper dilexerat, ita post mortem perpetui amoris pignus, & monumentum apud nos cor suum esse voluit. Ergò vt in templo nostro conderetur, magna & celebri pōpa, Nobiliumque virorum comitatu allatum, pari à nobis pietate, prolixæque erga defunctam voluntatis significatione exceptum est. Percellere nos repentinus hic casus potuit, si res humanas consideremus, cum significasset ipsa, velle se domum hāc, q̃ fundarat, annuis prouentib⁹ augere, sed dolorem hunc minuit Fundatricis nepos, idemq; hæres, cui cum cereum nuper de more offerremus, ea beneuolentiæ significatione accepit, vt diceret se non amore modò, sed beneficiis etiam cōferendis cum amita certaturum. Inuaserat mulierem dæmon, eamque miseris diuexabat modis, cui & se nonnunquam visendum ostendebat, falsa noti Religiosi viri specie. Iussus sola menta à Sacerdote nequam spiritus ab ementita illa specia abstinere, ām-plius non comparuit. Idem vt mulierem eandem à confessione peccatorum impediret, nunc illius oculis sic illudebat, vt præsentem Confessarium cernere non posset, nunc guttur sic premebat, vt loqui non valeret. Sed cum dæmoni rursus Sacerdos noster imperasset, liberam vt mulierem relinqueret, liberata ritè cōfessa est. Emotæ mentis hominem, & iam furiosum ex inani spectro, quod illi assiduè, tāquā hominis mortē intētātis specie obuersabatur, cum variis frustra remediis curare conati essent sui; consultus vnus è nostris, B. Virginis opem implorandam respondit. Itaque ad subur-

urba-

urbanum ei⁹ nominis templum, cui à Bono Auxilio nomen, vt ægrum ducant, ibique ſacrum pro eius incolumitate faciendum curent, auctor eſt. Quod ita feliciter ſucceſsit, vt peracto ſacro, æger ſomno ſe dederit, expergefactus redditam ſibi mẽtem, ac paucis pòſt dieb⁹ redintegratas corpori vires, quas vis morbi attriuerat, gratulatus ſit. Pro tanto denique beneficio ad ædem noſtram gratias acturus venit, & Sacramenta pœnitentiæ Euchariſtiæque percepit. Nõnulli in fide Catholica confirmati: Nonnulli Eccleſiæ reconciliati. In his fœmina à parentibus hæreticis educata, cum nullam in hæretica doctrina quietem animi reperiret, miſeramque vitam in perpetuis agitationibus duceret, vt hac ſe moleſtia liberaret, vnius è noſtris conſilio paruit, hæreſimque coram huius ciuitatis pœnitentiario cũ eiuraſſet, & peccatis à Sacerdote noſtro expiata eſſet, optatam quietem confeſtim adepta eſt. Pax inter patrem filiumque alterum iam menſem diſsidentes reconciliata, qui etſi domiciliis pené coniuncti eſſent, neuter tamen in alterius domo pedem ponere ſtatuerat; quin pater Sacramento quoque adiecerat, ſe filii domum nunquam ingreſſurum: per Sacerdotem ergò noſtrum ſic ad pacem concordiamque reuocati ſunt, vt pater ægrotantis filii domum, inuitante & cõciliante noſtro, venerit, filius à patre iunctis manibus cum lachrymis veniam petierit, pater collachrymãs filium in gratiam receperit.

COLLEGIVM FLEXIENSE.

DVo de quadraginta Socios numerauit anno ferè toto Flexiense Collegium; exeunte, octo supra 40. In his Sacerdotes fuêre quindecim; septem in re domestica occupati; reliqui Scholares, omnes suo quisque in munere, tùm ad suam tùm ad aliorum salutem satis incitati. Mille ducentos alumnos disciplinæ nostræ in Scholis recensuimus, quos inter non pauci è Nobilitate præcipua Regni: mirum quàm faciles flexilesque ad honesta quæq; capessenda. Enimuerò vix instituta B. Virginis Sodalitas fuerat, cum multi genere opibusque præstantes & dignitate adscribi militiæ sacræ cœperunt, tanta frequentia, vt ædes Sodalitii laxanda fuerit. Nonnulli in nostrum & alios Religiosos Ordines cooptati. Neque obscurum quantopere nostros etiam Nobilissimi quique reuereãtur. Abierant in diuersas factiones duo è primariis, & amicos vterque suos, vt fit, offensis animis in partes suas traxerant, exardescebantq; indies inimicitiæ, ita vt in flammas erupturæ iamiamque viderentur. Et erupissent haud dubiè, nisi nostrorum auctoritas repressisset, cui vt cederent elata licet ingenia, & exasperatis præsertim odiis cedere nescia, haud ægrè permota sunt. Scholas porrò illustrarunt sua præsentia Dux primùm Vindocinensis, cum in Britãniam, cui pro rege præest, proficisceretur; deindè Dux item Sparnonius, qui filium habet inter prima huius Gymnasii ornamenta, vterque, nec non etiam à Varana Flexiæ Gubernator, qui paulò ante illos

os venerat, vario carminum genere aliisq; Scholasticis actionibus excepti, communi omnium approbaione & voluptate. Flexiæ Adolescens cùm se diris deuouisset, nocte insequente ingenti horrore correptus, tàm terribilium formarum monstris sic agitatus est, vt iamiamque loco asportandus sibi videretur, sed tandem implorata B. Virginis ope, spectrorum conatus omnes euanuerunt, & metus ille saluti fuit. Cumprimùm enim licuit conscientiæ sordes omnes apud Sacerdotem nostrum confessione expiauit; mentisq; reddita trãquillitate abcessiit, admonit⁹, vt cuius tanto in discrimine præsentem opem senserat, eius patrocinium inposterum expeteret, acceptiq; beneficii magnitudinem memoria coleret sempiterna. Claudet narrationẽ res ad illustrandam B. Patris N. Ignatii gloriam memoranda. Mulieres duæ honestæ iuxta & virtutis studio commendatæ, cum pluresannos in matrimonio desperata prole viuerent, mutisque Deum ac Cœlites precibus votisq; diu, vt id beneficii cõsequerẽtur, frustra inuocassent, hortante demum Sacerdote nostro, vt ad B. Ignatii patrocinium se conuertant, eoque apud Deum deprecatore vtantur: Monitis obsecutæ vouent se, si filios fuerint enixæ, eos ipsos, si modò consentiant, diuino cultui in Societate nostra consecraturas; conceptum precibus votum haud multò pòst consecutus est in vero fœtus, qui vt summa parentes voluptate perfudit, sic eos in Ignatium Ordinemque nostrum immemores esse non sinet.

COLLEGIVM RHEDOnenſe.

SVunt in hoc Collegio de noſtris 26. vndecim Sacerdotes, in quibus vnus caſus conſcientiæ explicat, duo Philoſophiam docent, quartus Rhetoricam, quinque alii inferiorum Scholarum ſunt Magiſtri: quatuor Philoſophiæ Auditores, ſex Coadiutores. Hic annus nihil habet magnoperè diuerſum à præcedenti. Matrona nobilis capſam dedit ſeruandis reliquiis, ſplendidiſsimo inſtructu, quæ teneat intuentium oculos animoſque, collucent gemmæ vndique, & incredibi is quædam rerum varietas bellè contenta: Sic vt ſummum & ſingulare artificium materiam ipſam facilè exuperet. Archidiaconus item Venetenſis moriens nobis legauit Bibliothecam & Sacelli ſui inſtrumentum, in quo maximè Crux eminet, cum Chriſti pendentis effigie, & duabus hinc indè icunculis D. Virginis & Ioannis Euangeliſtæ, ex argento auro inducto polita elegantia, quæ omnia mille aureis æſtimantur. Mulier præterea nobilis centum aureos dedit, ad vas conficiendum Euchariſtiæ ſuſtinendæ, cum de more populo veneranda proponitur. Accidit quiddam, quod noſtrorum & aliorum etiam veneratiodem erga parentem B. Ignatium poſſet incendere. Nam vir fuit, quem malus dæmon variis ludibriis & horrore, ſeptem aut octo iam annos continuos exagitarat, de die, de nocte, modò ſtrepitus exaudiebantur circa cubiculum. In ipſum lectum ſenſim irrepebat, modò canis, modò aliarum animantium formam induebat. Vertumnum diceres aut Empuſam:

pusam: nusquam à terrore & metu induciæ concedebantur. Venit in mentem consilium ab nostris petere. Suadetur peccatorum expiatio, sed omniũ quæ tota vita commisisset: fecit id sanè diligenter, nec tamen ludificationum finis aut pauoris. Noster ad imagunculam duorum Patrum Ignatii & Xauerii adiicit oculos, plenusque pia fiducia hominem aduocat, rem explicat, eorum sanctitatem haud dubiis miraculis iam testatam ait, suadet vt appendat in conclaui, precesque adhibeat ad eum, qui nostram Societatem diuino consilio fundasset. Omnia lubens peregit ordine, medicinæ auidus in re propè deplorata. Rediit homo paucis pòst dieb⁹ in Collegium exultans, cum se planè tot annorum molestia B. Patris salutari patrocinio liberatum fateretur.

COLLEGIVM RHEmense.

Optandum iampridẽ fuerat, vt Rhemis, hoc est in ampla & nobili ciuitate, quæ totius iã olim Belgicæ secundæ Metropolis; postquam autem Francorum in Gallia Regnum constitutum est, id honoris est adepta, vt Reges solemni ritu & consecratione inauguret, Collegium Societatis nostræ haberemus. Res cum aliàs non semel tentata, tùm maximè post reditum nostrum ab exilio. Sed cum magnis, vt ferè fit grauibusque difficultatibus priusquam conatus emergerent, ab amicis & fautoribus nostris luctatum est, peruicit tandem paucorum hominum cum liberalitate cõ-

iuncta

iuncta auctoritas, in quibus præcipua laus facilè debetur R.D. Abbati Brutardo summi Franciæ Cancellarij Fratri, virtute simul ac pietate suspiciendo. Huius enim Magnificentia coemptæ primùm nobis ædes; tum Magistris ad docendum exstructæ Scholæ. Nec finem hic bene merendi fecit, sed prioratum præterea, ex quo ducentorum minimum aureorum annuus Collegio futurus est prouentus, nobis addixit, cuius triumque aliorum qui consimili aliorum beneficio ad noui huius domicilii sustentationem accesserant, litteræ Pontificæ, quib' Collegio in perpetuum atrribuebantur, dum Romam afferuntur, seu cursoris incuria, seu re alia interciderunt. Enituit in eo casu diuina erga nos prouidentia. Nam cum diuturna illarum expectatione non sine metu suspensi hæreremus, neque ita nos noui sumptus, vt sumptibus damnosior mora conturbaret, peroportunè accidit, vt in cuiusdam è stipatoribus Regiis manus venerint. Is paucis nummis redemptas à rustico, qui eas secus viam regiã repertas domi suæ neglectas iam diù retinebat; postea quam nostras esse comperit, (hoc enim principio ignorabat) ad eum Patrem attulit, qui in Regis aula per id tempus versabatur. Ita ad nos tandem peruenerunt, laborantes ac nutantes res nostras Deo aspirante confirmarunt. Nec prætereunda silentio R.D. Antonij Fornerij Metẽsis Ecclesiæ Primicerii liberalitas; qua aureos nummos mille ducentos donauit, ex quibus 80. in singulos annos conflati sunt. Nam de aliis singulis longum esset cõmemorare, qui vel domesticam inopiam, quæ noua potissimum Collegia premere solet, suis opib' subleuarunt

leuarunt, vel Sacrarium & Bibliothecam sacra supellectile librisque instruxerunt. Quanquam Bibliotheca duorũ maximè è famil:a & Societate nostra est beneficiũ. Sacer autem ornatus Illustrissimæ & Reuerendissimæ Dominæ Renatæ è Lotharinga Virgini Deo deuotæ, cœnobiique S. Petri apud Remos Antistitæ, præcipuè debetur. Hæc enim eximiam Fratris Ludouici Guisii, Archiepiscopi Remensis erga nos beneuolentiam, quàm multis sæpè argumentis testat⁹ est, imitata, ad cætera perpetuæ in Collegium beneficentiæ munera hoc adiecit; vt Sacello nostro calicem solido ex argẽto Pyxidemque Eucharistiæ auratam, & cæiatura visendam offerret: cum serica veste ad altare conuestiendum, vsumque Sacerdotis opere Phrygio, & ramentis aureis intermicantib⁹, ad speciem pretiumq; conspicuo. Hoc igitur rerum nostrarum instructo apparatu cum tempestiuum iam videretur, & ciues assiduis votis id vehementer expeterent, mandato R. P. Prouincialis, sub finem Octobris apertæ sunt Scholæ, quæ Auditores illicò collegêre ad quĩgentos, facili ferè omnes indole, & ad pietatem inclinante; ita vt spes sit non obscura, quos ab hac laborum suorum parte fructus ad publicam vtilitatem conferre Societas nostra solet, eos Remis Deo aspirante vberrimos ac lætissimos fore. Nec minus interea iucundos dedêre conciones per Quadragesimas ferias in Templo duplici habitæ. Hoc vnum de multis sit argumentum; dùm plenis vt fit velis noster in Iudæ proditoris immane facinus inuehitur, verita Monialis præsentem è cœlo vindictam, si proditorem imitaretur in proprietatis crimine, à
quo

quo manasse aiebat, prima in eo Seruatoris prodē-di consilia, quas ad eum diem sibi suæque necessitati pecunias seposuerat, cum reliquis communicat. Similes è colloquiis familiaribus comportati manipuli. Adolescens, qui à Christo ad Caluinum immani transfugio defecerat, vnius è nostris octiduana ac laboris plena Catechesi, discussis tenebris Catholicam fidem amplexus est.

COLLEGIVM AMbianense.

Ambianum Ciuitas est Galliæ inter pręcipuas, Prouinciæ Picardiæ Caput, Episcopi & Gubernatoris Sede, Templorum numero, & Primarii magnificentia, pulchritudine vrbis & loci amœnitate nobilis. In eam ante 24. annos Reuerendissimus Dominus Godefridus à Martonia Episcopus Ambianensis bene consultum volens suæ Diœcesi, Patres Societatis nostræ deducere studuit, & in cœtu omnium Ordinum vrbis probata nostris Collegium vrbis, quod sensim collabebatur, addicere. Sed hoc consilum illo quidem tempore, quęcunque causa fuerit, planè dilapsum fuit. Tandem post annos 20. Henrico 4. feliciter regnante, iterum in hanc vrbem, sed feliciori exitu, euocati sumus. Nam cùm post nouennale ferè exilium, quo Societas Gallicum solum, edicto Regio vertere coacta fuerat, tandem anno Christi 1603. mense Septembri postliminio pristinas sedes edicto quoque recuperasset, vt plereque aliæ vrbes Galliæ, ita Ciuitas Ambianensis, Collegium de nostris

ſtrisvt apud ſe erigeret,& habere liceret, per libellum ſupplicem à Rege noſtri Ordinis amantiſsimo, impetrauit. Sed interueniente deindè Epiſcopi abſentia,ad biennium confici vix quidquam potuit, quo elapſo ciuitas ex Sacerdotis noſtri concionibus noſtrorum ſtudioſior indies effecta, conuentum generalem iniit in Epiſcopali palatio, cui præfuit Reuerendiſsimus Epiſcopus, Illuſtriſsimus Prĩceps Comes à S. Paulo Prouinciæ Gubernator, Dominus de Trequey, vrbis & arcis Præfectus, noſtri Ordinis ſtudioſiſsimi,áliique plurimi ex omnibus Ordinibus interfuerunt. Vbi etſi tentatum eſt à nonnullis vt tota res diſturbaretur; tamen omnium ſententia decretum eſt; vt Societas noſtra Collegium S.Nicolai(vulgo magnas Scholas nominant)adiret, inſtauraret, & poſsideret. Cumque Venerabilis vir Eccleſiæ Ambianenſis Canonicus idemque Scholaſticus, ad quem id Collegium pertinebat, huic decreto conſenſiſſet, noſtris delatum eſt traditumque perpetuò poſsidendum. Erat tùm Collegii moderator Carolus Regius, qui cùm Societatem ipſe noſtram inire cuperet,plurimum hoc negotium promouit. Nam & Collegio libêriſsimè ceſsit,& ſuis beneficiis,vt Collegio à Sede Apoſtolica annecterentur,noſtra cauſa exuit, tùm ſeipſum denique noſtræ Societati dedidit, in eamq; admiſſ⁹ eſt. Huius frater ætate & dignitate ſuperior, voluntate ac propenſis in Societatem ſtudiis vix inferior, eiuſdem Eccleſiæ Cancellarius, & in præfectura eiuſdem Ambianenſi Senator Regius, nihil non egit, vt res tota ad exitum deduceretur. Quãobrem & Prioratum vnum nobis mox attribuit,&

alterum ab obitu suo posſidendum addixit, redituum annuorum emolumento & loci amœnitate ac vicinate percommodum. Itaque cum ad Reuerendum Patrem Prouincialem noſtrum, ab eodem Sacerdote noſtro, qui tùm hic concionabatur, publici conſilii decretum delatum eſſet, & reliqua fundationis ſubſidia, Pater vrbi promiſit, ſi modò Collegium inſtauratum ſufficienti ſupellectili, & certo annuo reditu prius inſtrueretur, Lucalibus anni 1608. daturum ſe per noſtros Ambianenſib⁹ Scholarũ initium in 5. claſsibus humanitatis. Tùm Deo iuuante vetus Collegium inſtaurari cœptum eſt, vt noſtris eſſet vſibus oportunum, incitantib⁹que Parochis in Eccleſiis populum, vt in id de ſuis quiſque facultatibus libenter impenderet. Conflata vis eſt pecuniæ non parua, quam non mediocriter auxit vendita decreto publico Domus, nobiſq; etiam Régio diplomate attributa. Reſtaurato denique Collegio, apertæ ſunt Lucalibus anni 1608. 5. claſſes litterarum humaniorum, & paulò pòſt ea quæ eſt de caſibus conſcientiæ. At quo die noſtri primùm docere cœperunt, numerarunt in quinq; ſupradictis ſcholis quingentos & amplius Auditores, in quibus ex præcipua totius Prouinciæ Nobilitate multi sũt, oẽs certè ingenui & ita tractabiles, vt ad comitatem & facilitatem nati eſſe videantur: ita ad pietatem & litterarum ſtudium propenſi, vt multos i. m annos noſtrorum induſtria exccultos iudices. Habita eſt oratio à Rhetore noſtro ante Scholarum initium in Sacello noſtro ad frequentiſsimam concionem omnium Ordinum ciuitatis, quam Reuerendiſsimus Antiſtes, frequens Senatus,

tus, Magiſtratus vrbis cum multa beneuolentiæ ſignificatione & approbatione, audierunt. Approbationem teſtatus eſt Magiſtratus, qui publicæ munificentiæ ſpecimine, quo & principes viros, qui ad vrbem recentes veniunt, cohoneſtare ſolent, noſtrum Oratorem proſecutus eſt. Exinde Collegiũ noſtrum honoris ergò inuiſit idem Antiſtes & Comes Prouinciæ Gubernator, quos multa poëmatum varietate exceperunt diſcipuli. Luſtrauit etiam Gymnaſium Illuſtriſsima Principis Gubernatoris coniux noſtri Ordinis amantiſsima, quæ nullum lapidem non mouerat, vt Collegium hoc ſtabiliretur: iamque ſtabilitum ſua auctoritate fouet, & quibus poteſt officiis auget; ac deinceps multa nobilitas cum magna omnium Ordinum ſignificatione beneuolentiæ, ac de Societate noſtra exiſtimatione, quam eorum perhonorifici ſermones de ea declararũt. Neque verò Scholarum contenta cancellis eſt noſtrorum opera; ſed prodit & emanat ad exteros, qui in Sacellum noſtrum frequentes ad Sacramenta concurrunt, tanto numero, vix vt illis feſtis diebus Sacerdotes decem ſatis videri poſſent. Quibus tamen & in vrbe & peregrè aut Sacramentorum cauſa, aut conſultationũ ad nos confluentibus, tres aut quatuor Sacerdotes de noſtris quam poſſunt nauant operam. Habitæ quoque ſunt à noſtris conciones ſacræ in variis vrbis Parœciis, & ad Virgines Deo ſacras, interdumque ad vinctos carcere. Sed toto ſacri Aduentus tempore, in templo principe frequentia omnium Ordinum poſt hominum memoriam inaudita ab vno de noſtris eo fructu, vt magni facti ſint inter

hæreticos ad conuerſionem motus. Etiam plurimi ſpretis Caluini erroribus fidei Catholicæ veritatem amplexi ſunt. Catholici verò in fide confirmati, & ad meliorem vitam ineundam erecti, auditæ de tota vita confeſsiones quàm plurimæ. Decem alii his paucis menſibus ad Eccleſiæ gremium rediere, hac nimirum in vrbe, quæ Dei gratia fidei Catholicæ ſtudioſiſsima, paucos hæreticos numerat. Ac vt ciues & exteri, noſtrorum labores frugiferos, ita nos ipſorum liberalitatem plurimam experimur, ex promiſcuis quidem ſingulorum eleemoſynis ſupra mille aureos iam numerauimus. Ad templi etiam ornatum ſupellectilem non contemnendam, ad eamq; augendam ab vna, etſi primaria illa & nobili fœmina, panni ſerici damaſceni vlnas ſex & triginta donatas accepimus. Sed hæc initia ſunt, quæ maiora breui Deo iuuante conſequentur. Sunt autem hactenus in hoc Collegio quatuordecim de Societate; Sacerdotes ſex, Præceptores non Sacerdotes quatuor, totidem Coadiutores.

ANNVÆ LITTERÆ PROVINCIÆ AQVITANIÆ SOCIETATIS IESV ANNI M.DC.VIII.



Vmerabat Aquitania Prouincia superioribus annis Collegia omninò decem, cum bina Probationis Domo, & ad Occitaniam Aruerniamq; longius vsque ab Atlãtico mari porrigebatur. Quare propter lustrandi difficultatem, hoc tandem anno, de R P.N. Generalis voluntate, vnam Prouinciam in duas diuisim⁹, & quinis Collegiis, cum altero Nouitiatu, Prouinciæ Tolosanæ attributis, totidem reliqua nobis, Garumnam inter & Ligerim ferè sita obuenêre. Collegium Burdigalense, cum seiuncta Probationis Domo nuper inchoata, Petrochorense, Aginnẽse, Lemouicense, Pictauiense: in quibus Sociorum recensio centum septuaginta nouem capitum numerum non est supergressa. In Collegio Burdigalensi fuêre sexaginta octo, Sacerdotes viginti tres, quorum duo Scholasticam Theologiam, alius iura conscientiæ, Philosophiam tres, vnus Rhetoricam profitentur: Doctores litterarum quinque, Scholastici viginti septem, tredecim Coadiutores. In Petrochorensi viginti quatuor, Sacerdotes septem, Magister Philosophiæ vnus, Humaniorum litterarum, & Grammaticæ quinque, vnus Procurator, Rhetoricæ studiosi quinque, Adiutores totidem. In Collegio Aginnẽsi septemdecim, septem Sacerdotes, quorum

vnus prælegit Philosophiam, Præceptores quinq;, totidem rebus domesticis inseruientes. In Lemouicensi vnus supra viginti, decem Sacerdotes, quorum vnus Philosophiam docet, Magistri quinque, reliqui Coadiutores. In Pictauiensi vndecim, Sacerdotes quatuor, Magistri tres, externi operis administri quatuor. Creuit sub Lucalia numerus adiecta Schola Rhetorices: accessêre quatuor è nostris. In Nouitiatu Burdigalensi tres Sacerdotes, quorum vnus est Nouitius, Coadiutor vnus, tirones Scholastici viginti tres, Adiutores septem. Supremum diem clausêre duo, dimissi è Nouitiatu tres, admissi vndeuiginti.

COLLEGIVM BVRDIGALENSE.

INitium erit à re litteraria, quam Auditorum numero iuxtà, & assiduitate plus solito florentem fecit septennis morbi proscriptio: nam molestissima lues, & nostris inimicissima disciplinis atque operis, septem ipsos annos, non continenter quidem, sed anniuersariis propè temporibus, velut ex interuallo rediens, & ciuitatem vniuersam, & nostrorum discipulorum identidem turbauit ordines. Scholæ, aut Auditorum paucitate atq; inopia, aut solitudine & vastitate laborabant; & Auditoribus sub lethiferos potissimũ ardores caniculæ diffugientibus; & nostris, magno cum rei familiaris detrimento, aut in vicina oppida secedere, aut in suburbano rusticari aliquoties coactis; illa, inquam, tandem importunissima hospita; propitiati Numi-

nis

nis sentētia, hoc anno prorsus exulauit; & fortaſsis hæsiſſet diutius, niſi Diua Regina Chriſti liberatoris Mater, cui in eum finem per octonas Annunciatæ ferias à Sodalibus in Sacello eſt ſupplicatum, velut interceſsiſſet. Sed non ſunt omittenda ſingularis in nos diuinæ prouidētiæ indicia: illa ſiquidem cruēta furia templum, hortos, Gymnaſium vndequaque oberrante, noſtri non quidem periculo & metu, ſed malo liberati, communem perniciem atque interitum non ſenſerūt, vota enimverò & preces à noſtris ædibus illam vaſtatricem arcuêre. In maiori Sodalitate Parthenia, centumviralis curiæ Patres Conſcripti Sodalitatis Præfecturam, quam adhuc renuerant, hoc tandem anno ceperunt; & continenter ex eorum numero quatuor illum Magiſtratum, cum eximia laude virtutiſque teſtimonio geſſere: quorum vnus piis commentationibus domi noſtræ excultus eſt; alterius vxor, cum propiqua partui periclitari cœpiſſet, ſi fœliciter fœtum in lucem ederet, vouit argenteam ſe Crucem Sodalitati donaturam: infantē enixa, ſimul ſeſe voti religione cumprimùm exoluit. Hæreticos amplius quinquaginta ſex, benigniſsimus parens Deus ad ſuam Eccleſiam per noſtros reuocauit. Quorum duo & veræ fidei, & religioſæ familiæ deſertores, poſt annorum viginti apoſtaſiam, & inceſtas nuptias, ad ſuum cœnobium rediêre. Iuuenis quidam Heluetius, apud ſuos in hæreſi educatus, cum permultas blateronum Academias luſtraſſet, & infinitæ illorum atque exitiali morologiæ nauaſſet operam, recens à mēdaciorum Officina Theologaſter, harum rerum bellè ſibi gnarus ac prudens videbatur,

 tur,

tur, cum peragraret Aquitaniam, venit in oppidũ Vasconiæ, quo loci cum se in cuiusdam optimi viri, qui Theologiæ studia in nostro Burdigalensi Collegio peregerat, alloquium dedisset, ortus est sermo de Religione, vt fit, maximèque de Romano Pontifice, & Ecclesia: ille cum sibi in manus dati essent vnius è nostris ludimagistris super ea re commentarii, diligenter perlegit, itaq; motus est, vti ad eum ipsum Burdigalam veniret, cum illo vt colloqueretur: tandemque effectum est, Deo bene volente, vt discussis ignorantiæ tenebris, veritatis lucem intueretur. Ergò & confessionem totius anteactæ vitæ instituit, & simul fuit Ecclesiæ reconciliatus. Excesserũt è vita duo de nostris, alter auditor Theologiæ, rerum temporalium Adiutor alter; vterq; lenta tabe, ac phthisi consumptus, vt in vita sic in morte præclarum virtutis ac patientiæ exemplum dederunt. Prior fuit Stephanus Duuertius Tricassinus: is vixit in Societate annos septem, quorum tres humaniores litteras docuit, reliquis ferè cum morbo decertauit. Posterior Tussanus Aristez Lugdunensis, qui totos triginta annos Marthæ munia insigni quadã probitate & tolerantia obiuit. Sacram supellectilem templi auxêre vota donaria auerruncandæ pesti, tabula picta prægrandis, centum aureorum nummûm, & lychnuchus ex argento pondo librorum decem, ad perennem ignẽ propter aram maximam, in qua augustissimum Sacramentum asseruatur custodiendum. His accesserunt candelabra duo ænea eximiæ magnitudinis, & ad vsum sacrorum, vestis partim linea, partim serica ducentorum coronatorum, & argenteus calix in-

lix inauratus cum theca ex argento fabrefacta, ad sacras Beatorum reliquias cõtinendas, omnia proborum liberalitate. Ipso die Pentecostes è nostro sacrario argenteum calicem homines nefarii furto sustulerant: Sacerdos vnus è nostris ad sacram ædē S. Seuerini non magis antiquitate quàm sanctitate augustā se contulit, & pro ara Deiparæ vouit, si calix fuerit nobis redhibitus, rem diuinam in eo ipso altari in honorem Beatissimæ Parentis sese facturum. Sed non fuit irrita voti concepti Religio, neq; Reginæ ingrata: ante octauum à furto diem calix nobis fuit, Deo volente, restitut⁹. Nouus sacrarum fœminarum Ordo in hac vrbe nostris Autoribus ac suasoribus hoc anno institutus est, & à Pontifice maximo approbatus, Illustrissimo Cardinale Burdigalensi Archiepiscopo flagitante. Ei familiæ à Sancta Maria nomen est: Sacrosanctæ Tridentinæ Synodi legibus obtemperant, Supremo Pontifici, ac secundum illum, soli Episcopo diœcesis, in qua cœnobium habuerint, obnoxiæ.

Duo ex hoc Collegio ad sementem diuini verbi faciendam diuersò missi, vn⁹ Angeriacum, quod est oppidum apud Xantonas fœdo hæreticorum grege refertum, atque illud senticetum ita excoluit, vt noua propemodum soli facies videatur. Sacri Christi nascentis die, non aliter ferè quàm in Paschate, cœlestis Agni mensæ accubuerunt: Toto quatriduo tanta vis, & numerus fuit peccatorum sarcinam deponentium, vt noster iis excipiendis occupatus, præterquam faciendo sacro, & concioni habendæ nihil quicquam vacui temporis haberet. Versabatur in ea vrbe mercator extraneus, qui

cum ad hominem hæreticum diuertiſſet, in lethalem incidit morbum, cumque magnis identidem precibus Sacerdotem ad ſe vocari poſtulaſſet, infidus hoſpes Sacerdotis numero miniſtellum ſubmiſit. Re audita & comperta noſter, à Magiſtratu hæretico fieri ſibi poteſtatem adeundi ægoti obnixè petit, qua licet ægrè conceſſa, ad moribundum venit, cumque illum pœnitentiæ Sacramento communiſſet, tãdem & ſacro inungi oleo, & vita functum Catholica ſepultura, nequicquam frendentibus Caluiniſtis, donari fecit. Alter Baionam, quæ eſt vrbs Cantabriæ maritima, cum magnoperè flagitatus de ſuperiorum voluntate ſeſe contuliſſet, incredibili omnium Ordinum gratulatione, & cõcurſu fuit acceptus. Per Aduentum quotidiè ad populum verba fecit, & doctrinam Chriſtianam ter quot hebdomadis, de prandio pueritiæ explanauit, vtrumque miro hominum omnis ætatis concurſu atque approbatione: Sed ipſo penè principio hæreticus quidam Nemauſiẽſis tota inſpectante & gratulante ciuitate, noſtro quaſi verba præeunte, ſtatim à concione ſectariorum impietatem eiurauit.

COLLEGIVM PETROCHO-rensſe, & Aginnenſe.

DVo Adoleſcentes Societatis inſtitutum, reliqui aliorum Ordinum ſigna ſecuti ſunt. Fuit in nos ſingulare, quod ſequitur, diuinæ prouidentiæ argumentum. Ad ſternendam atq; æquandam aream, in qua reliqui ædificii fundamentũ iaceretur, vetuſtam ac malè materiatam domum

multi

multi operæ ſubruebant, cuius pars diſturbanda dùm machinis in hanc partem trahitur, in oppoſitam vici publici mole ruit ſua: At neſcio quam è vicinia puellam inopinantem caſus intercepit: Parentes ad fragorem accurrêre, atque vbi filiam ſub tignis ac parietinis ſepultam cognouerunt, miſerabilem in modum comploratu ac lamentationibus, vt mortuam proſequunrur, furore diras in nos & maledicta ſubministrante: iamque infortunium tota vrbe volucris fama vulgauerat, Magiſtratus ſiſti operas, & indemnatos compingi fecerat in vincula; Sed interea nõnullis noſtro inimiciſsimis nomini clamore & criminatione cuncta complentibus, placuit cumprimùm è congeſto rudere cadauer effodi. Mirum dictu, dùm ruinæ egerũtur, puella præter omnium expectationem viua comparuit, eamque cum peritiſsimus chirurgus diligẽter exploraſſet, illæſam penitus non ſine aſtantium ſtupore comperit.

In maius fanum Parthenium collatitia pecunia recens exædificatum, Sodales hoc anno agi cœperũt, qui locus eſt ad pios cœtus habẽdos ſanè pcommod⁹, atque vnâ cum ipſius magnitudine loci, auxit frequentia ciuium & multitudo, quam prioris Sacelli anguſtiæ non cepiſsẽt. Quadraginta horarum ſupplicationes nunc primò inſtitutas non modò ſcurræ, & circumforanei homines in circulis, verùm & ex ipſis etiam principibus ciuitatis nonnulli multo ſcommate proſcindebant: ſed tandem verſa in admirationem dicacitate, diuini, vt par eſt credere, afflatu Numinis peccatorum ſarcina depoſita, ſacram Euchariſtiam mirabundi vnâ cum aliis pe[illegible]ut.

A ſoci-

A Sociis Aginnensis Collegii hæretici nouem ad Ecclesiam traducti. In duobus Monasteriis Virgines pleræque omnes nostræ Societatis commentationibus adiutæ sunt; In quorum altero tota Religiosæ disciplinæ forma sic mutata in melius, vt Domus Pręposita iam vix habeat, quod de subditis conqueratur. Excursum est in vicina oppidula, quę magnam partem Caluiniana labes infecit. Est Clairacum quatuor Aginno leucis dissitum, quod nupera Christianissimi Regis liberalitate in Ecclesiæ Lateranensis iura concessit, & quoniam illius loci incolæ ad vnum omnes errori pertinacissimè adhęrescunt, indè in accolas curam omnem suam atque operá noster deriuauit, & spes erat vberrimorum fructuum, si longiorem istic moram trahere licuisset. Sed nostorum operariorum inopia, quæ pro ratione loci maxima est, coëgit eum quâtocyus huc se referre. At Preisiaci, cum in beneficii possessionem hoc anno venissemus, felicius lauata opera: Eò enim missi duo tota sanctiore hebdomada sedulò allaborarunt, vt intelligerent oppidani, quantæ sit vtilitatis animum bene per Sacraméta curare: Tum primum enim putabant se viam salutis ingressos.

COLLEGIVM LEMOVICENSE.

Reparata vtcumque piorum eleemosynis Sacelli nostri ruina, quod erat ad agendi libertatem, nostrique instituti rationem pernecessarium; ipso Cœnæ Dominicæ die illius angustias repetiimus, vbi extemplò operæ fructus extitit.

Nobilis

Nobilis Adolescens Caluinianæ prauitatis virus, quod à primo puero cum nutricis suxerat lacte, salutari conuersionis antidoto funditus dispulit; cui° exemplo pmotæ sorores eius duæ, paucis pôst diebus eadem medicina illo ipso morbo leuatæ sunt. Erat in Lemouica ditione Princeps fœmina illustris Comitissa Rupefortensis, quam vir suus homo cæcus sutelis & technis, ab auita religione, ad hæresin traduxerat. Ea simul atque maritus vixit, sese introspicere, & de animo suo in Christianam libertatem ascribendo seriò, ac multùm cogitare. Edicere palàm, nihil apud Caluinum solidi esse, nihil tuti, omnia ieiuna, desueta, veteratoria, vanitatis & amentiæ plenissima, fabulis atque ægrorum somnis non absimilia. Quare pertæsa Caluinismum, nec oblita parentis sui supremas voces, qui hoc ipsum natæ moriens, velut fiduciariam gentilitiæ religionis hæreditatem, fidei commiserat, quàm ocyssimè Lemouicos aduolauit, & P. Rectore ad rem grauiter gerendam adhibito, in ædicula nostra cum incredibili proborum gaudio & gratulatione, sacrilega fallacis doctrinæ mendacia eierauit. Adducta in eandem sententiam ex honorariis puellis altera, cui ad deuouendam diris execrationibus hæresin, quasi verba præiuit. Sed neque in Catholicis iuuandis nostrorũ opera segnior fuit. Tres B. P. N. commentationibus exerciti, quorum vnus Episcopi Vicarius Generalis, alter Franciscanus, qui diù inter suos Prouinciam rexerat. Sunt in hac vrbe Virgines, quæ cùm perpetuo integritatis voto seseab ineunte ætate vltrò deuinxerint, apud nos Sacramenta pro solemni suo percipiunt. Earum vnam

tarta-

tartareus spiritus obscœna specie territabat, hæc à confessario edocta quoties aqua lustrali conclaue respersisset, tâtisper laruatum & immanissimi hostis importunitate leuabatur. Itaque dæmon à puella se tam crebrò lusũ non ferens, integratis virib⁹ alius generis arma apparat: externaque illa terricula, & fœdas imagines in mentis ludibria, & inhonestas cogitationes vertit, quibus virgineum pect⁹ Deo dicatum profanare nitebatur. Sed cum pudicitiam puellę intactam Sacramentorum probè munitam præsidio expugnare non posset, re infecta victus abscessit. Septem desertis hæreseos castris ad Ecclesiæ signa transierunt, inter quos fuit Minister vn⁹, profanorum atq; impiorum dogmatum buccinator, qui dùm errorem studiosè disseminat, à parente, quæ non multò antè excesserat è vita, monetur per quietem, vt si consultum sibi vellet, relicto, quem infelici lolio falsitatis adhuc pauerat, lupoiũ grege, ad ouile Christi trāsmigrare non cunctaretur: nec materna quidem monita licet posthuma, irrita ceciderunt. Re cũ nostro cõmunicata, è vestigio Catholicam Religionem legitimis ac solennibus è Tridentino Concilio verbis palàm professus est. Idem Sacerdos Ianuario mense fœdissimæ hyemis tempestate spatiosum Marchiæ tractum, vnâ cum comite ferè pedes obiuit, quo facto conuertit in se colonorum animos atque oculos, mirantium hominem deuexa ætate, cum frigerent rigerétq; omnia, alienæ salutis causa, scabras & difficiles oras peragrantem. Hæc animorum compendia, hos quæstus tartarei monstri inuidia & furor iactura & difficultate rei familiaris vindicauit, tantasque

taſque nobis in decimis & annona colligenda concitauit procellas, vt niſi nos ſalutare aliquod ſidus reſpiciat, certum fortunarum naufragium haud immeritò timeamus. Quantum nobis negotii faceſſerent faces & prædones Religionis, & quæ in diſcrimina venerit Collegii Procurator, ſuperioris anni litteris ſcriptum continetur. In Maſsigniacenſi tractu latè manauit Caluiniana peſtis, quam fouent impuri mendaciorum præcones & nugarum vaniſsimi venditores. Hi dùm ſibi à noſtrorum vicinitate metuunt, vt malum à ſe procul amoliantur, collecto ſuorum concilio, cum illius factionis frequentes etiam nobiles conueniſſent, deliberant quemadmodum graſſanti in propinquo hoſti iri poſsit obuiam. Itaque ille importunus noſtrorum vectigalium interceptor & turbo, quod erat natura audax, & nobis non vulgariter infenſus, apt⁹ & natus ad nos de Sacerdotij poſſeſsione exturbandos viſus eſt. Hinc illi tumultus & iurgia ſuperioribus proximis litteris explicata, reconciliatio per ſequeſtros pacis, compromiſsis etiam interpoſitis, ſæpè tentata, ſed inani conatu, minæ & iniuriæ ab hæretico homine noſtro procuratori oblatæ. Hoſpitis noſtri Maſsigniacenſis ab illis plagiariis direpta domus, vn⁹ amicorum in carcerem datus, qui noſtris rebus fauerant, penè omnes falſis teſtimoniis rei capitis facti. Sociorum vnus eodem iniquiſsimo iudicio, indicta cauſa, comprehenſus, nullæ fruges aut cenſus indè toto hoc biennio collectus. Nec ſpes elucet rerum ſecundiorum, niſi illius furioſi rabiem diuina bonitas manſuefaciat. Quod obnixè ab optimo parente Deo cōtendim⁹. Interim
noſter

noster procurator homo impiger, sese præsenti animo obiectat illis fluctibus, & diuina fretus prouidentia, in medio nationis infidæ securus versatur.

COLLEGIVM PICTAVIENSE, & Domus Probationis Burdigalensis.

IActa sunt solerter hoc anno templi fundamenta Regis ipsius auspiciis, cuius nomine Senatorius ordo primum lapidem ritè posuit, magno plausu festaque lætitia populi totius cateruatim eo die ad nos visendi causa confluentis. Non caruit ea res apparatu suo, nam præter concentus musicos, dum primus lapis à Proepiscopo solennibus certimoniis dicaretur, charisteria postmodum ludique celebrati, quibus & Regi, & Senatui, populoque ciuitatis vniuerso gratias lectissimi quiq; iuuenes rependerunt, conuestitis circum in aditu parietibus multo emblemate, variisque scriptionibus ad oblectationem omnium maximam. Crescit interim templi fabrica, cui promouendæ quatuor aureorum millia Cliens Pictonicus autoritate regia assignauit. Accessit & aliorum liberalitas, quibus nè ingrati videremur, certatim nostri omnes pro sua quisque facultate spiritalibus viuisque Dei templis ædificandis strenuè laborarunt. Tres in diuersis templis per Aduentum concionati. Habitæ ad cœnobia Virginum frequentes adhortationes. Ecclesiæ aggregati duodecim, in his Sacerdos à tribus hæreticis Ministris diù multumque oppugnatus,

tus, expugnata tandem constantia ibat ad Caluinistas; sed ad nos diuertẽs ex itinere, tertio congressu veris se rationibus conuictum fassus, hæreseos cogitationem abiecit. Alius ex Heluetiorũ ciuitate mercator, cum ea quæ Geneuæ per iocũ didicerat Christianæ fidei rudimẽta professus, emissus esset è carcere Hispano, in quem ab inquisitoribus coniectus fuerat, hæresin eiurauit, atq; in Belgium postea est profectus Carthusianæ familiæ nomẽ datur⁹. Vnus qui nostros Patres vexarat aliàs grauiter, post multas adhortationes tandem apud vnum è nostris Sacerdotem confessionem instituit, & mystico cibo pastus, quatuor è nostris sibi expiranti adesse voluit. Promulgato Iubileo ex liberalitate summi Pontificis, multæ totius vitæ confessiones exceptæ, nutantes in fide confirmati. Restitutiones nõnullæ factæ; plurimiq; qui nunquam exomologesin probè fecerãt, eam salubriter integrarunt. Litteraria res ꝓmota pro viribus; florent pro ratione ætatis Musæ biẽnes & numero & alacritate Adolescẽtium. Fontenai tres Ecclesiæ restituti. Ipsis proximè superioris anni Natalitiis Domini feriis, cum ad summum quinquagintã solerent ad sacram Synaxim accedere, vulgatis missionum nostrarum indulgentiis, mille circiter communicarunt. Nec minor vbertas agri Sammarentini: Quatuor hic Ecclesias iam repetierunt. Ingressa est nobilis fœmina frendẽtibus hæreticis, reique nouitate vix satis credentibus.

Maior propemodum sub hæc initia fuit Nouitiorum numerus, quàm aut vectigalium tenuitas

alere, aut amplecti conductarum ædium angustiæ potuerunt. Quare commodiore paulò per extructam porticum facta domo, viginti duo minus in Societatem allecti sunt, qui prioribus adiecti triginta & vnus numerum confecerunt. Quorum animos assidua Magistri opera ad Religiosæ vitę nostrique instituti rationes, instar ceræ efformat & fingit.



AN-

ANNVÆ LITTERÆ LVGDVNENSIS PROVINCIÆ SOCIETATIS IESV Anni M.DC.VIII.



Oua in Galliis, post congregationē generalem instituta Prouinciarum distributio, quatuor è Lugdunensi Collegia distraxit, duo reddidit. Nā Billomense, Aniciense, Biterrense, Residentia Albenacensi, Tholosanæ Prouinciæ; Molinense verò Franciæ; singula cum suis incolis Lugdunēsis Prouincia adiecit, Dolanum & Bisuntinum à Francia postliminio recepit. Itaque nunc Collegiis decem, domibus Probationis duabus, & vna Missione Sisteticensi, dum ædificatur Collegium, tota Prouincia continetur, in quibus Socii trecenti nonaginta septem recensiti. Lugduni in Collegio sexaginta: In Domo Probationis, tres & triginta. Aueniones in Collegio, sexaginta sex; in Domo Probationis duo supra quadraginta. Turnone vnus & quadraginta: Canilenii, viginti sex. Diuione vigiti. Dolæ triginta sex. Vesontione, viginti sex. Viennæ quindecim; Ebreduni quatuordecim; Carpentoracti, quindecim. E viuis excessēre quatuor, accessere duodequadraginta.

COLLEGIVM LVGDVNENSE.

IN Collegio Lugdunensi numerantur socii sexaginta, Sacerdotes viginti & vnus, è quibus septem Professores superiorum facultatum, & duo Scholastici. Magistri sex inferiorum,

Coadiutores vndecim. Cęteri Scholaſtici tùm Theologiæ, tùm Philoſophiæ Auditores. Tres è viuis exceſſêre, eorum deſiderium nouem in Societatem adſcripti lenierunt.

Iuhanū Mazoires Aluernū, qui tunc primū Philoſophiæ ſpatia inierat (licet legitimum tirocinii tēpus necdum impleuiſſet) placuit Deo laurea Magiſterii, ſub ipſis initiis in aula ſua cœleſti donare, quod ille paulò antè viſus eſt præſenſiſſe: quippè qui die, qui fuit ante morbum quartus, vbi datum terminandæ meditationis fuit ſignum; extemplò ſe quaſi diuina permotione quadam concitatus, in pedes erexit, & conuerſus ad contubernales, orate, inquit, pro me Fratres mei, non diu morabor in viuis: quam vocem eò magis ſunt, qui audierunt mirati, quò teſtatior ipſis erat hominis in ſeruando ſilentio accuratio. Toto ægritudinis tempore dùm acrioribus etiam pungeretur dolorum morſibus, incredibilem ſemper præſetulit animi æquitatem, & in communi lege ferenda lætitiam; argumento illud eſt, quòd cum è popularibus quidam ſuis, ad eum, patris nomine hoc vltimum viſurus acceſsiſſet, & litteras ab eodem dediſſet pridie quàm moreretur, tanto animi ſuo ſenſu de mundi fallaciis, & de futura vita diſſeruit, vt circumſtātes ſacro quodam ſtupore perfunderet: deinde cum ille ſuus ciuis rogaſſet, numquidnam ad parentes vellet? nihil (adiecit) porrò, niſi vt illis meo nomine mihi meam mortem, quàm eis ſuam vitam iucundiorem eſſe denuncies.

Excepit fœlicem boni Adoleſcentis deceſſum non min⁹ beata optimi ſenis ex hac vita migratio.

Hic

Hic fuit Antonius Merle Aluernus itidem, rerum domesticarum Administer, septuagenario maior, annos in Societate circiter quadraginta vixit, eosque cum singulari laborum assiduitate, obedientiæ, obseruantiæ, pietatis, significatione traduxit; Cuius quidem in eo sensus, mirum quàm tener esset sub extrema ætate: Ad minimam Cœlestis gloriæ, Christi, & Diuorum cruciatuum commemorationem totus lachrymis liquescebat: Vidimus eum sæpius in mensa, dùm legitur (vt fit) liber vernaculo sermone conscriptus, lachrymis cibos condientē, & potum cum fletu miscentem, adeò vt nonnunquam gutture singultibus intercepto, māsa in stomachum inserere non posset.

Obiit & P. Ludouicus Floccardus, Delphinas ætatis annum agens trigesimum tertium, Societatis decimum octauum, vir acris & peracuti ingenii, eruditionis non vulgaris, quæ cum aliàs probauisset, tùm inprimis hoc extremo Theologiæ suæ anno, quo defendit assertiones, illustrius præstitit: licet grauitas valetudinis sæpius à studiis, quibus supra modum afficiebatur, distraxerit: Nam & Asthma spiritum intercludebat, & sanguinem crebrius vena iugularis labefacta profundebat. Iis cum iam à sex vel septem annis distineretur incommodis, liberis Scholarum cessationibus, cum aliis, vt fit in prioratū Collegii, cui Sancti Iuliani nomen est, missus est, Lugduno ad quindecim milliaria dissitum; quo ipse toto pectore anhelabat, tentandi illius cœli gratia; eò tandem venit commoda satis valetudine, nec se ibi moriturum putabat, donec septimo Idus Octobris, ipso die Sanctis Dyonisio eiusq;

ſociis ſacro, ad Beatiſsimæ Virginis ædem, duobus indè diſtantem lapidibus, cui nomen à florida valle inditum, miraculis clariſsimam, & magna morboſorum frequentia celebratam, equo perrexit, vt ibi rem diuinam faceret; Inter operandum ſacris in mentem ipſi venit, ſe puerum, Sanctiſsimæ Deiparæ Valfloridanæ deprecatione, votoque à parétibus cóncepto, dùm ingraueſcente morbo, exigua extremaq; in ſpe vita penderet, prorſus ab ægritudine recreatum, atque deportatum inſuper illuc fuiſſe. Quare eandem ipſam Virginem rerum cœleſtium cupiditate inflammatior ſolito, atque ærūnoſæ huius vitæ pertæſus obnixè orare inſtitit, vt magnum beneficium maiori cumularet, quos vitæ annos non petenti ſibi prorogauiſſet, eoſdem ſibi ſupplicanti, ſi ita Deo videretur, bona & cita morte præcideret: Nec vanæ preces: vix enim Sanctum Iulianum redierat, cum deteriꝰ illi eſſe cœpit, adinouentur de more remedia, ille verò nullum iam curationi eſſe locum monet, ſe vitam, quam à Deo precariò acceperat, eidem reddere velle. Aduocatur Lugduno Pater Rector. Illicò aduolat, moribūdum inuenit: Ille vbi Patrem conſpicatus eſt, eius inopino exhilaratus aduentu, viſus eſt quodammodò reuixiſſe, cum rem quam pridem in votis habuerat, tandem in ſinum ſibi à Deo delatam eſſe ſignificauit, nempè impetratam ex huius vitæ militia Miſsionem. Multa alia de Religioſæ vocationis bono, & de beatitate Sanctorum adiecit; quæ taceo nè ſim nimius: ſed hæc duo omittere nefas eſſe duxi: Alterum, animo non leuem inhærere ſcrupulum, quòd litterariarum occupationū vi, ſe à ſolitis pieta-

pietatis ſtudiis abduci aliquandò paſſus eſſet, quam pietatis iacturam (etſi alioquin pius eſſet) adeò ægrè ipſe ferebat, vt coram & palàm fateretur, eum ſibi morbum merenti iuſto Dei Iudicio importatum, qui quidem ſtudiorum omnium curriculum emetiri dederit, quod ipſe peroptabat: ſed ſtudiorum fructus deguſtare, aliiſque porrigere non dederit, quod verebatur; ſe tamen dicebat confeſsionum generalium ac ſemeſtrum ritè obitarum conſcientia ſuſtētari. Alterum, ſe ab eo tempore, quo ſe penè depoſita ſalute vidit, nullius virtutis internæ palæſtram ac exercitationem, quam vel Theologia, vel Religioſa diſciplina docuerit, miſſam feciſſe, vt ſe ad ſupremum vitæ diem appararet. Denique generali peccatorum expiatione perfunctus, fratres noſtros qui aderant rogat, ſacros Eccleſiæ hymnos cantarent, quibus audiendis tàm liquidis voluptatibus affluebat, vt ſe iam in beatorum ſpirituum cōcilio cæleſtes delibare delicias teſtaretur, & quaſi infirmior dictorum fides eſſet, id ſemel atque iterum adhibita præmunitione confirmaret. Ac verò tanta erat diuinæ ſe gratiæ in eius pectus ſuperfundentis vis, vt cum aliis ipſe concineret, ac bis tervè verſiculos quoſdam, qui animum magis afficerent, repeti iuberet, ipſe verò interea quaſi in alta meditatione demerſus hæreret. Quid dubitemus eiuſmodo mentem corporis ergaſtulo ſolutam libero cœlo volitare, cum in membrorum compagibus etiam incluſa foràs emineret?

Satis de mortuis. Iam ad viuos redeam⁹. Habuit vnus è noſtris Aduētus & Quadrageſimæ tempore conciones in ſecundario vrbis huius templo, ſa-

lutem animarum spirantes, primò quidem iniquioribus quorundam studiis exceptæ sunt, qui iactabant esse Claudiana Iesuitarum Tonitrua, eadem à nostro homine qui superiore anno hic Ecclesiastes fuerat, decantata, (intelligebant quendam quem Societas pro suo iure à votorum Sacramentis iustas ob caufas recenter exauthorauerat) sed hæc quæ alium deterruissent, ipsius industriam acuebãt, non minus alacriter dicere perrexit, quàm si plausus faceret & clamores, & bene dicendo ac viuendo (quod caput est) maledica obtrectatorum ora obstruxit. Fuit, cuius animam adeò altè Dei timor insedit, vt vitam licet bonam ad meliorem tamen rationem elimauerit: Quare cum postmodum in febrim incidisset, qua sublatus est, assignabant domestici præproperam mortem, præproperæ morum emendationi, saltem eius vxor id causabatur, ad quam cum Pater eius solandi causa adiuisset, cum non aliter, quàm mariti sui exitium salutauit, Ille percunctatus, quamobrem ita aculeatis se verbis configeret: festiuè in luctu, sed verè respondit, quia inquit, virum meum ad meliorem frugem reuocasti, qua Deus oblectatus, eum terræ præripuit, nè fortè si ab eo quē instituerat vitæ cursu deflecteret, cœlo iterum eriperetur.

Ecclesiæ Catholicæ reconciliati viginti, è quibus vnus annum propè agebat octuagesimum. Quidã qui nutare videbatur in fide, confirmatus. Alius qui nullis sacris initiatus Ordinibus, plures annos Sacerdotem, imò & parochũ egerat, diuina tandem adiuuante misericordia, resipuit. Impuræ mulieres aliquot à nequitia reuocatæ. Virgines itidem non

paucæ

paucæ cœnobiis ſe addixerunt, inter quas fuit virgo Hiſpana, quam hic pater amplè admodum & indulgenter habebat, atque omnis litteraturæ genere imbuendam curabat, & ſanè eam præclara à natura adiumenta non deficiunt, à Latina lígua ſatis bene, à Græca mediocriter, ab Hebræa eſt vtcumq; parata; ſed quod admirabilitatem faciet maiorem, vnum ſupra duodecim annos nata, in oculis totius ciuitatis, Philoſophicas poſitiones defendit egregiè, vt accepimus, pro ea ætate. Quare cum iam pater ſatis politioribus litteris excultam intelligeret, Hiſpaniam cogitat, vt Catholicę Reginę obſequio, quò iampridem deſtinarat, addicat: Sed Deus eius conſilium diſcuſsit, hanc nouam ſibi Catharinam oppignorans. Nam cum Auenione iter haberet, ibique ſuæ eruditionis illuſtre, mirantibus omnib9 ſpecimen dediſſet, parente minimè conſcio, & nihil ſuſpicante, ſe in Monaſterium Sanctæ Praxedis Diui Dominici temperatum legibus, earumque obſeruantiſsimum ſponte proripuit, vt doctrinæ ſuæ riuulos in caput ac fontem refunderet. Quid agat pater? Sed quid non egit? quas non mouit machinas? Illa verò inconcuſſa permanſit, & parentes docuit ſpes in liberis ſuis ponendas non eſſe, fuit id factum clarum diuinæ potentiæ ac miſericordiæ documentum. Sed illud quod ſequitur (licet in alio genere) clariſsimum, quia ad plures pertinuit, quia totius ciuitatis Theatro ſpectatum, quia precibus & votis poſtulatum. Araris, qui mediam vrbem interfluit ac diſcludit, adulta hyeme tàm alta glacie concretus induruerat, vt poſt hominum memoriam nunquam tale quid in amne ſuo viſũ eſſe, vel

auditum indigenæ iactarent; nam constat crustatam illam glaciem introrsus ad quindecim atque eò amplius pedes pertinuisse. Verùm quod simile portenti erat, erant aliquibus in locis congelati aquæ cumuli saxeis pilis persimiles, qui ex Burgundia, vbi frigus se perpusillum fregerat, secundo voluti alueo, huc confluxerant, & simul glomerati, tabidoque humore inter se astricti in vnum quasi corpus coaluerant, atque instar promontoriorum in lapidosam duritiem degenerantes, eminebant. Suspensi & erecti erât incolæ in id spectaculum; timebatur indies pontis quo iunctus est Araris, ruina, (Quare ferreis ponderibus oneratur) nam vbi clemétiore liquefacta cœlo se diffundere cœpisset vnda, oportebat illas glaciales machinas in pontis pilas irrumpere, nulla quippe alia erat via, qua se amnis exoneraret, nihil reliquū fecêre vrbis curatores, vt huic malo obuiam irent, humana & diuina auxilia tētarunt: Indictæ in singulis templis solemnes preces, de publico in egenos erogatū. Nec frustra: nam moles illæ vnâ conglobatæ non se subitò dissoluerunt, quod à ponte deprecabantur omnes; sed sensim & partim se quodammodo diffluerūt, quod diuina quadam, vt aiūt, virgula, factum esse testantur omnes, Non sibi defuit hîc stygi⁹ ille veterator, qui Dei gloriam semper obterere conatur, sibique res fœliciter gestas appingere: fuit quippe vnus ex media turba humuncio, certè minimè malus, qui cum laborantem ac solicitam videret vrbem, se periculum omne à ponte depulsurum in se recepit, se mysterium quoddam, quod enunciare non posset, in scripto ab affini quodam suo moribundo accepisse

cepisse, quo remedio nihil esset præsentius ad glaciem liquefaciendam. Præbitæ aures, sed cautum nè veneficiis vteretur; pollicetur idiota, qui, quid esset veneficium, vt postea compertum est, ignoraret. Ne multa, ad speciem ille nescio quid tentauit: discussum non ita pòst vi precum est omne periculum: nihilò tamen minus datus suspicioni loc⁹: ducitur ad nos à Magistratib⁹, examinatur, rei non homini vitium hærere comperitur, attamen confesſione expiatur, Panchresta illa Syngrapha comburitur.

Gymnasia delecta iuuentutis flore celebrantur: Mille & trecenta capita censa sunt, cum templum præ angustia omnes capere non posset, & media parte plus à sacro excluderetur, eos in tres ordines describere fuit necesse, & cuique suum sacrum partitis temporibus asſignare: satis bona ad virtutem sunt indole: hoc anno multi multis Religiosis familiis nomen dedêre, plures cogitant; eorum consilia fortunet Deus. Grationopoli quidem octo ab hæresi ad veram Ecclesiam traducti; exceptæ multorum totius vitæ confesſiones; libri hæreseos, vel impuritatis nota infames abiecti: miseri qui in vinculis constricti tenentur, pia cohortatione & confesſione confirmati: ex his vnus capitis reus, qui violentas sibi inferendo manus, iustas tortoris man⁹ anteuertere cogitabat, ab ea insania reuocatus. Quíque præterea qui propter æs alienum, cui soluendo non erant, in eiusdem loci squalore volutabantur, stipe pro his corrogata, subleuati. Vnus è primoribus ciuitatis scortum alebat, summa cum omnium offensione: & vt fiscosæ sunt istiusmodi mulierum

consuetu-

consuetudines,ab illo cadauere diuelli non poterat: quamuis hinc inde multorum vel admonentium, vel obiurgantium voces auribus personarent, noster tamen hominem (vt leuiter dicam) amatoriis blandimentis illaqueatum expediuit; Is postea in desertam maioris Carthusiæ solitudinem per dies aliquot sanctioris hebdomadæ secessit, vt superioris vitæ flagitia lachrymis elueret, ibique tàm expressa dedit intimæ pœnitudinis indicia, vt Religiosos illos Patres in admirationem lætitiamq; cõuersos exclamare coëgerit. Hæc mutatio dexteræ excelsi. Ferebatur in tàm nobili ciuitate Eucharistiæ Sacramentum, nullo apparatu,non mediocri diuinæ rei detrimento,prouisum,vt honesto comitatu,dato campanæ signo,accensis facibus deinceps deportaretur, disrumpantur licet Caluiniani vespillones, quorum rem non parum affl.xit Pater, cum in priuatis collocutionibus, tùm in publicis concionibus, in quibus illud dignum scitu. Cum de superiori loco Auditoribus suis denunciasset,se postero die planissimè demonstraturum,Caluinianam Religionem,vel suorum etiam Laternionum testimonio, inanem ac futilem esse,venit in concionem Minister, suo suorumque iudicio omnium Ministrorum Alpha; venêre cum eo eius asseclæ non pauci, qui vices amanuensium explebant, & expeditis calamis dicentis orationem scribebant, vt si quid esset,ad quod dentata cauillatio adhærescere posset,arriperent;concione dimissa,quæ scripserant legunt & relegunt,singula lente& fastidiosè excutiunt,minimos verborum angulos rimantur, etiam syllabarum tendiculas aucupantur, & quod mire-

mireris, re cum quatuor Miniſtris communicata (tanta veritatis vis eſt) nullus tamen contra hiſcere auſus eſt.

Erepti Seguſianis inſuper duo errores pernicioſi inprimis; Alter, nefas eſſe ante annos ſeptenos vel octonos denos ad ſacram Synaxim accedere; Alter, attingi terram non licere his, qui ſacro ſemel oleo delibuti fuiſſent, quò fiebat vt ſenibus extrema vnctio tantùm conferretur.

COLLEGIVM AVENIOnenſe.

VErſantur in Collegio Auenionenſi ſexaginta ſex. Patres tres ſupra viginti: è quibus tres Theologiam, Philoſophiam totidē in Scholis explicant: Sex alii nondum ſacris initiati, Rhetoricam, Humanitatem, Grammaticam; Scholaſtici pari cum Sacerdotibus numero; Adiutores quatuordecim.

In vrbe hæretici viginti octo auitæ fidei redditi ſunt, plures in circumiectis oppidis, in quæ præſertim Aduentu & Quadrageſima excurſum eſt: In his vnus è noſtris Scholaſticis iam Philoſophus, & honeſta familia natus, Miniſtris Nemauſenſibus ereptus eſt. Is poſt aliquos dies Geneuam profecturus erat, infauſtis auibus Caluinianus Miniſter inaugurandus. Alii non pauci in fide Catholica vacillantes confirmati. A turpi quæſtu Adoleſcentulæ tres reuocatæ, plerique à peccandi periculis.

E Sodalitio minori decem in varias ſe Religiones receperunt, quorum tres in Societatem admiſsi.

miſsi. Lectam atq; numeroſā educam' iuuētutem; Scholaſticos ducentos ſupra mille recenſuimus. Nemauſi conciones auditæ maiore multò cum frequentia, quàm fuiſſent totis octo annis præcedentibus; præſertim per Aduentum, quo tempore vix vnquam Magiſtratus abfuêre, quibus tamen antea moris erat adeſſe rarius. Effectum concionibus Aduentus, vt ferè omnes etiam Nobiliores diebus naſcenti Chriſto ſacris adirent confeſsionis & Euchariſtiæ Sacramenta, quod à multis annis factum plerique negabant. Deterriti ciues à matrimonio coram Miniſtris hæreticis contrahendo; Item ab hæretico coniuge accipiendo plurimæ, ab vxore hæretica ducenda aliqui. Maior frequentia communicandi à multis impetrata toto anno. Aliqui ad abſtinentiam carnis, tempore Quadrageſimæ, ſuis liberis permittendam omnino ſunt inducti; nonnulli ad ieiunia, ſibi iam à multis inſueta annis, quæ tamen etiam cum proſpera valetudine obita. Duo Nobiles viri audito de remittendis iniuriis acri ſermone, ſtatim poſt finitum ſermonem in mutuos venêre amplexus, vrbe lætante & gratulante: quod item poſt ſequentis diei concionem, duo alii non vulgaris notæ fecêre. Maritus hæreticus adductus eſt, vt receptam in ſinum Eccleſiæ vxorem Catholico more, ac cultu viuere ſineret. Effectum vt magna librorum piorum copia diſtraheretur inter Catholicos, & vt cum fructu legerentur. Catholici aliquot vacillantes in fide firmati: Alii iam lapſi, excitati, quâ cōcionibus, quâ priuatis colloquiis. Inter eos Religioſi duo Ordinis cuiuſdam auſteri & ſeueri, poſtquam plures menſes Caluini fuiſſent aſ-

ſeclæ,

seclæ, Caluinum publicè eiurarunt summo cum plausu bonorum omnium, concionante Societatis Patre, atque illis gratulante reditum suum. Alius Religiosus Sacerdos, professus seuerum institutum, cum Ecclesiæ & Ordini nuntium remisisset, datus est erudiendus Ministro præcipuo, ille sic hominem instruxit, vt existimaret nullo vnquam tẽpore à suis castris transfugam futurum, & vulgò dictitaret, quicunque hunc virum ad Catholicam fidem reuocaret, strenuum sibi visum iri ac valde potentem: Audiit hoc Pater, qui tunc eo loco concionabatur, piis hominem machinis adoritur, sollicitat per nuncios, colloquium impetrat, deinde cõsensum: ac tandem stupente Ministro, hæreticis frementibus, & verò etiam spectantibus, ex Odeo Caluinum abiurat & Ecclesiæ restituitur, ac demum Ordini, in quo iam pœna voluntaria errorem castigat suum. Eo facto plerique hæreticorum etiã Nobiliorum in eam venêre sententiam, vt vulgò prædicent, non videri è re sua & existimatione, aperire amplius aditum Apostatis huiusmodi, qui scilicet, vt aiunt, postquam multos sumptus fecerunt, abeunt, & hospitibus suis nihil aliud quàm infamiam & dolorem relinquunt. Porrò in Odeo secretiore tanta hæreticorum frequentia auditæ cõciones, virorum, mulierum, puerorum, vt Ministri excanduerint in vulgus, atque inprimis in Adolescentes Philosophiæ Candidatos, qui erant in audiendo concionatore nostro maximè assidui. Multa familiaritate ita plerique capti sunt hæretici, vt nos ament, & libenter audiant priuatim, & in domos suas inuitent. Multis priuatis colloquiis inie-

cta

cta dubitatio de veritate fidei suæ, & quidam doctiores adeò conuicti argumentis, vt manum darent veritati, & in aliud tempus conuersionem suã differrent. Visitatæ Scholæ Philosophorum, & Magistri hæretici planè elingues redditi, illustrioribus ciuitatis hominibus audientibus, & postea testantibus, nihil se imperitius illis Magistris vidisse vnquã. Iuuenes hæretici Patrem nostrum rogauerunt, vt ille Philosophiæ ludum aperiret, se fore illius discipulos; non potuit illis fieri satis, sæpius tamen furtim se in cubiculum Patris proripiebant, audituri aliquid de Philosophia, neque vnquam discedebant sine dubitatione aliqua de fide sua. Publicè & priuatim aliquibus hæreticis, præsertim matribus persuasum, vt infantes absente Ministro, si quando periculum mortis ingrueret, baptizarent ipsæ; & fuit non nemo, quæ sortem suam deploraret, quòd scilicet aliqui sibi infantes non loti excessissent: beatas mulieres Catholicas, quibus suos infantes tingere liceret, se porrò etiam inuitis Ministris id in posterum facturam. Denique ita capti sunt nostrorum comitate hæretici Nemausenses, olim ferocitate & contemptu insignes; vt iam vulgo salutent cum obseruantiæ significatione non mediocri.

Arausione hæresim eiurarunt quinque, dissidia multorum extincta, conciliatus cum sorore germanus frater, à qua iam duobus annis hostili planè odio dissidebat. Alius cum vxore in gratiam rediit, quam è viuorum numero tollere veneno statuerat. Multi qui peccata grauiora plures ãnos cœlauerant, audita concione magno cum doloris sensu Sacerdo-

cerdoti nostro aperuerunt, inter quos vnus in hoc statu viginti perseuerauerat annos. Crux denique cum imagine Christi pendentis erecta, quæ triginta annos iacuerat, frementibus licet hæreticis.

In alio oppido vna aut altera nostri concione perfectum est, vt magno ciuium commodo angustioris templi spatia laxarentur. Reducti in gratiam germani fratres, primariusque ciuis cum ipso oppidi Gubernatore, qui inimicitias diuturnas, & penè internecinas exercuerant. Puella sexdecim annorum, hæresim in qua fuerat educata, expulit confessione. Expulsæ nostri hortatu ex oppido meretrices ab vtroque Magistratu; clanculum ac furtim regressæ, iterum sunt eiectæ, pœnis etiam additis, si vnquam regrederentur. Prædestinationis diuinæ accipe argumentum. Decrepitus quidam senex propè cẽtenarius, iam sexaginta & amplius annos clandestinas actitabat confessiones; hic iam moribundus, & ad extremam luctam vnctione percepta, semel ac iterum aut sæpius ipsum limẽ necis attigit, sæpius est conclamatus, quasi iam vita functus; & quod stupendum est, frequenter à nostro rogatus, nè quid reliqui faceret quod gloriæ aditu arcere posset, constanter negabat: cum ecce tibi Deus, velut è machina miserando homuncioni adest, exclamat; Vbinam est ille? fortè tunc aberat noster: quæritatur, & tandem inuento animi vlcera aperit, totius vitæ exhomologesi habita: mox ingenti hilaritate perfusus, paucis pòst diebus è viuis abiit.

Monspelii, industria vnius è nostris Christiana Religio, cultusq; diuinus mirè promotus est: Hæ-

retici hîc magna ex parte, primarii præſertim ciues, ſuæ Religioni diffidunt, animum adiiciunt orthodoxę, honeſtamque aliquam, vt aiunt, occaſionem opperiuntur ad Catholicorum caſtra tranſuolandi. Plurimi hæreſim abiurarunt, in quibus præcipui ſunt, D. Anduſius Præſes in ſuprema ſubſidiorum curia, & Baro nobiliſsimus, vir prudentia, doctrina, morumque integritate apud ſuos clarus: eius Pater etſi Baro eſſet, turbulentis tamen bellorum ciuilium tumultibus, hæretici Miniſtri officio funct⁹ erat; mater adhuc Caluinianæ ſectæ adhæret pertinaciter. Is Præſes ipſa nocte, qua Chriſti naſcentis colitur memoria, facta pri⁹ Patri peccatorum confeſsione, ad menſam ſacroſanctam cum Catholico SenatoriiOrdinis comitatu admiſſus, tantam & interno pietatis ſenſu, & externo Reuerentiæ cultu, ſpectantibus Catholicis admiratione͂ attulit, q̃uantam vix alius vnquam in hac vrbe. Comitiſſa etiam Marchiæ, poſtquam in Eccleſiæ ſinum recepta fuiſſet, palam ſacro & veſpertinis precibus interfuit: præterea familia tota valdè honeſta, in qua cum patrefamilias erant duæ filiæ. Fortè cum Miniſtro Apoſtata venerat in colloquium noſter: cumque varias in partes hominem verſando, iucundum adſtantibus ſpectaculum præbuiſſet; ſcriptum tandem ipſius fidei reformatæ contrarium extorquet: non tulit impunè miſer; nam & à ſuis Collegis, & à Scholaſticis Miniſterio ſtudentibus grauiter increpitus, erroris publicè damnatus eſt. Tanto in honore idem Pater vel apud ipſos hæreticos fuit, vt in Academia celeberrima, ſæpius à Regiis medicis, etiam hæreticis, primæ ipſi deferrentur, imò co-

imò cogeretur eas admittere. In Academia Iuriſprudentiæ dùm pro cathedra diſputatur, ipſi diſputantes hæretici, ei palàm gratias egerũt, quòd ipſos ſua præſentia cohoneſtaſſet, eumque Patrem Reuerendum compellarunt; cum tamen ſuorum Miniſtrorum præſentium nè recordarentur quidem. Magna cum beneuolentiæ erga Societatē noſtram ſignificatione abeunti Patri à Clero & curia ſubſidiali vniuerſa gratiæ actæ, quòd tanto labore ac fructu ſuam ciuitatem excoluiſſet.

Claudat hunc annum iam ſatis tot annis teſtata, nunquam ſatis commendata D. Ludouici Belli Auenionenſis Archiepiſcopi Vicarii, in noſtros munificentia ac beneuolentia ſingularis. Eius ſumptibus, & fuerunt mille ducentorum aureorum, ab imo ad faſtigium tandem Domus perductæ ſunt ſcalæ lapideæ opere firmæ, viſu præclaræ, vſu commodiſsimæ. Bibliothecam præterea ampliore & oportuniore loco nobis ære ſuo inſtruxit, & multis voluminib⁹ locupletauit, neque aliud cogitare videtur, quàm de Collegii commodis procurandis; quod non ſolùm auxilio, ſed etiam ea qua plurimũ apud oẽs valet, gratia & authoritate, & in dubiis conſilio, pro ſua ſingulari prudentia & diuturno rerum vſu, iuriſque cognitione, quam habet non vulgarem, iuuare pergit. Teſtis in cœlo fidelis tot bonorum operum Deus, tàm munificum, tàm ſyncerum Societatis amicum, in hac vita, cœleſtibus donis, in patria æternis aliquando præmiis cumulatiſsimè remuneret.

COLLEGIVM TVRNO-nenſe.

VNum ſupra quadraginta aluit tot anno Turnonum, ferè omnes Scholis occupatos; neq; tamen minor in externos, quàm in domeſticos opera fuit. Noſtrum inſtitutum Scholaſtici ſeptem, Coadiutores duo, fere totidem aliorum Ordinum ſuſceperunt. Fuit ex iis vnus pater, qui nouis nouiſque rationibus filii diſceſſum prorogaret, ſed repentè neſcio an filii conſtantia, an virtute diuina percul ſus, ita ceſsit, vt aduocatis tabellione & teſtibus, conſignatis filio tabulis, ſacrum paternæ benedictionis munus impertierit, & ſcripto teſtatum eſſe voluerit. E Caluini faucibus, perfidaque religione ad gremium Eccleſiæ acciti duo & viginti, quorum aliqui non vulgaris notæ; eſt ex iis vnus, qui in ſuam recepit fidem, quâ exemplo, quâ ſuaui imperio, familiam totam Deo aggregare, nec vana ſpes.

Annis ſuperioribus prouentui domeſtico acceſſerat ſpes Prioratus Sancti Saluatoris, imò obſignatæ iam erant apud nos omnium tabulæ, hoc demum anno Superis annuentibus, obſecundante Illuſtriſsimo Domino Ludouico à Turnone, ſolémni ritu ius noſtrum vſurpauimus: Eò cum iuiſſet feriis Paſchalibus è noſtris vnus concionandi gratia, pio multis fuit emolumento. Nam vt omittam ſerias toti⁹ vitæ exhomologeſes, amuleta aliquot, & chirographa ſuauiter multis detraxit; quidam libellum earundem rerum, quem iam quadraginta annos ſtudioſè conſeruarat, & à patre moriente tan-

tanquam munus hæreditarium acceperat, nostro tradidit flammis vstulandum: alii cōtract⁹ aliquos, quia vsuram saperent, resciderunt; alii æs iniquum restituerunt. Demum ex quo nostri fuit iuris oppidum, & antiquam pietatis speciem resumpsit, & amoris cultusque erga nos non vulgaria dedit indicia.

COLLEGIVM DIVIO-nense.

DIuionense Collegium alit de nostris viginti: Sacerdotes vndecim, è quibus tres docent, vnus quæstiones de conscientiæ iure: alter Philosophiam, tertius Rhetoricam: Magistros item humanitatis quatuor, nondum sacris initiatos: quinque rerum domesticarum Administros. Christi Domini Natalitiis ad octingentos apud nos cœlesti epulo pasti sunt, quod mireris, etiam dæmon aliquos vel inuitus ad Sacramenta perpulit.

Insanior quædam mulier fuit, quæ sanioris mentis videbatur, cum enim nescio quid acerbi tulisset à marito, intemperiis acta plus quàm muliebribus, de inferenda sibi morte consilium cepit: sublatus ei iam fuerat culter de manib⁹, nè sibi pectus transuerberaret; vbi nullum vidit superesse alium cogitato sceleri locum, ad laqueum confugit, & iam illum de trabe suspendebat, mox libratura corpus in pondus, cum filia diuino planè consilio interuenit, quæ parentem suam repressit, & ad nos deduxit tanto mœrori medicinam facturam: nec fefellit euentus. Quarundam puellarum pudicitia tantum

non pretio expugnata, nostris nauiter repugnantibus à præsenti discrimine erepta est, atque hac opera grauissimo totius vrbis scandalo, quod indè consequebatur, obuiam itum. Insignior cuiusdam in hoc genere constantia fuit, ea est puella tres circiter de viginti annorum nata, quæ à tartareo hoste omnibus adhibitis machinis oppugnatur, idque tanta, & tàm violenta impreſsione, vt tàm de tentationis violentia, quàm ex resistendi conatu aliquandò animo deficiat. Iustinam aliquam confessario referre videtur, qui etiam dubitat, nè quod maleficium tanti, tàmque inusitati conflictus causa sit. Hæc aliquandò impurarum tentationum faces admoueri sentiens, ita exarsit in sese, vt D. Bernardi æmulādi studio, sub noctē se proripuerit in apertā domus aream, vbi obscuro cælo à nemine spectari posset, ibiq; non gelidas quidem aquas, sed ventorum vim ac frigoris (hyems enim erat, nudato corpore in nuda terra procumbens ad horam sustinuerit, quis non speret Deum tàm fortiter pugnanti adfuturum? Certè præsenti ope cuidam alteri adfuit, non sua, sed aliorum causa pugnanti, matrona enim quædam, quæ aſsiduo capitis dolore conflictabatur iam multos annos, eoque insanabili, cum aliquot noctes pernoctasset, vt quoddam familiæ flagitium suis excubiis prohiberet, adeò non aliquid inde accepit incommodi, quod tamen verebatur, vt contrà dolor ille planè euanuerit, ita nimirum, qui Deo operam suam commodat, illam fœneratur. Alia Nobilis Matrona cum Diuionem venisset, sacræ Hostiæ visendæ causa, eius aspectu perculsa, illicò peccatorum pœnitudinem animo concepit,

cepit, & magna sua consolatione arcanas animi labes detexit. Mirabilis est hæc Diuionensis Hostia, quam diceres in hac Burgundiæ principe ciuitate à Deo integram iam tot annos conseruari, vt perpetuum sit fidei nostræ contra Sacramentarios pro Eucharistia testimonium, euidensque miraculum. In ea Hostia videre est plagas plus quàm quídecim cruentatas, quas sceleratus quidam Iudæus cultro olim inflixit, & vt obiter hoc dicam, Summus Pontifex Eugenius quartus, cuius adhuc extant in Ecclesiæ Archiuio litteræ, ad Ducem Burgundiæ Philippum misit hoc munus anno quadringentesimo tricesimo supra millesimum. Philippus autem cum illam Insulis in Flandria honorificentißimè recepisset, Diuionem transmisit ad amplificandam illius templi Religionem (Sanctam Capellam vocant) quod recens extruxerat, multisque dotarat beneficiis. Prima cuiusque men sis Dominica die attolli solet post sacrum, & breuißimo tempore adorāda exhiberi, maximo semper hominum concursu, sed maiore celebritate ea Dominica, quæ in octauas Christi Corporis incurrit, tùm enim solemni supplicantium Sacerdotum, ciuiumque apparatu per vrbem circumfertur, vniuerso Senatu, ac reliquo Magistratu ritè prosequente. Sed redeamus ad nostros. In vicina vrbe nupserat puella Diuionensis, breui tamen viri mores pertæsa, post varias querimonias à viro per fraudem matris abducitur, Diuionemque rectà ad suos contendit, lite maritus vxorem repetit, res est impeditißima, tandem nostri Sacerdotis studio, & opera redítegrata pax est, tàm inter parentes, quàm inter coniuges, deditque

initium reconciliatæ gratiæ vtriusque confessio, & communio, magna vrbis vtriusque ædificatione, parique gaudio. Hic quoque B. Patris nostri Ignatii sanctitas vim suam ostendit. Nobilis enim Matrona cùm quinto mense, qui matri & proli exitialis est, grauiter ex partu periclitaretur, socerum misit in Collegium, nostrorum preces flagitaturum, is monitus est à confessario, vti nihil à Deo præter breuẽ vitam infantis, quò baptismo lustraretur, & matris incolumitatem postularet; in eumque finem voueret inter communicandum, nurum suam quot annis B. Ignatio festum ac sacrum diem celabraturam, & ad eius honorem sacrosancta mysteria obituram, voti reus repetit domum: nurum reperit à partu liberam, infantem in templo, quò statim à partu fuerat delatus, salutaribus fuisse tinctum aquis cognoscit: eundem animam agentem.

Scholæ florẽt ingeniosis Adolescẽtibus, numerati sunt discipuli ad sexcẽtos quinquaginta, vnꝰ de nostris Patribus hanc Prouinciam vltrò suscepit, vt diligenter inquireret, qui ad officium diuinum quotidiè persoluendum tenerentur, eosque quotidiè sub vesperam coactos solutis Scholis rationem doceret muneris sui, quare & ipse definit cuique pensum diurnum, & recitantes audit aliquandò, qua in re satis laboratur, tùm quòd ipsi ab ab eo precationum onere abhorreant, tùm quòd ab aliis externis auocentur.

Sodalitas Parthenia & augetur numero, & suas Domino fruges fundit, ex ea sex ad varios Religiosorum Ordines transiêre. Adolescens quidam ex hoc Sodalitio Deiparæ cultui addictissimus, cum aliquan-

liquandò sibi conscius esset culpæ, quæ animum surdo verbere pulsaret, in somnis visus est sibi à turba cacodæmonum comprehendi ob eã culpam, vt raperetur ad Tartarum, cuius se dignum agnosceret: adfuturam tamen cum speraret benignam Patronam, eiusque opem imploraret, B. Virgo præstò adfuit, suum clientem esse asseruit, cacodæmones abegit, seuerèque monuit Adolescentem, abstineret penitus eo genere peccati, si se vellet habere propitiam. Hoc viso dilapso somno solutus est, multo sudore madidus, horrore plenus, moxque prosiliens è lecto ad confessionem se contulit, ac multis deinceps diebus non destitit Deiparæ beneficium prædicare, ad eius cultum sibi animos addere, eius monita sedulò curare. Hi fructus secundum Deũ à nostra Societate in homines profecti; at illi quam nobis gratiam rependerint, operæ erit cognoscere. Alieniorem sum⁹ experti ciuitatem superioribus annis; nunc paulatim conciliatur, quò nostrorum conciones, & priuata cum variis colloquia admodum conduxerunt, vt simul cum esca aliqua humanarum rationum veritatis hamũ haurirent. Magistratus eadem ex causa beneuolos magis quàm antea experimur indies, & in mediis calumniarum nebulis aliquam lucem aspicimus: sed insignis fuit propensæ in nos voluntatis testificatio Domini Rogerii de Bellegarde Hippocomio regio præfecti, & ducatus Burgundiæ Gubernatoris: nam & adiit ad nos, & Patrem Rectorem ad se crebrò adeũtem perhumaniter excepit, & res nostras Magistratibus, quasi suas subinde commendauit. Extrui iam pridem cœperat templũ, & nouæ exedræ.

Habitis hoc anno totius Burgundiæ comitiis, Rex, qui de nobis bene mereri non desinit, de ædificatione seriò promouenda litteras dedit ad Gubernatorem, & de nostra causa in comitiis agenda. Quare Gubernator de suo duodecies centenos aureos attribuit absoluendo templo, cuius perbona pars ad tectum perducta, plura idem in annum sequentem spopondit. Ciuitas recepit se partem ædificiis Scholarum exædificaturam, duodecies centenis aureis in id opus collatis: comitia tantundem in alteram ædificii partem impenderunt. Classium fabrica, quæ iam humo extat, breui Deo iuuante consurget, & iam ad eam necessaria comportantur. Datum est drama interim per hosce comitiorum dies de Iosaphato: bidui spectaculum fuit, adeò gratum vniuersis, vt frequentissima adesset cõcio, & Gubernator ipse, totius actionis, quàm longa fuit, spectatorem se sisteret. Opus verò adeò excultum, vt plerique postea instarent, rem typis & cedro dignam. Hæc domi, nunc ad ea quæ peregrè facta sunt. Vitellios, quod oppidum est in hoc Burgundionum Ducatu, Diuione octodecim milliaribus distans, per Aduentum profectus vnus de nostris Sacerdos, concionatus est, qui cum offendisset Catholicorũ animos propter hæresum passim grassantem luem exulceratos, in rebus diuinis nauseantes, & ad diuini verbi explicationem audiendam parùm propensas, à nobis etiam alienos, Dei gratia id ab illis euicit, vt & frequentes adessent, & Sacramenta confessionis, ac Eucharistiæ, quorum vsus penè exoleuerat, repeterent, & nostrorum cõsuetudine delectarentur. Inoleuerat ille mos, vt non nisi

nisi stantes rei diuinæ interessent, & diebus Dominicis eleuata ab Sacerdote Hostia, omnes statim è templo sese proriperent, docti sunt in genua prouolui, non nisi peracto demum sacrificio egredi, quod iam studiosè ab illis factitatur. Doctrinę Christianæ explanationi; perlubentes, frequentes, ac dociles se præbuerunt, & nostrorum exemplo Parochus, vir cæteroquin eximiæ pietatis, curā suscepit singulis diebus Dominicis Doctrinæ Christianę rudimenta tradendi.

COLLEGIVM CAMBERIense.

HAbitant in hoc Collegio viginti nouem: Sacerdotes quindecim, è quibus duo docent; Magistri quinque, Auditores Rhetoricæ totidem, rei domesticæ Administri nouem. Serenissimus Allobrogum Dux ædificium bis mille ducatis tanquam mortuum excitauit, & perficiet vt speramus. Nobilissima Domini D. Albiginii vxor, ad altaris & Sacerdotis vestitum sericas vestes duplices argenteis floribus distinctas magni pretii dono dedit. Probi aliquot Sacerdotes spiritualibus commentationibus mentem apud nos excoluerunt; hæresim abiurarunt aliqui, B. Partis Ignatii festum diem solemni sacro fecit augustiorem Reuerendissimus Episcopus Maurianensis, qui etiam melioribus Scholasticorum nostrorum fauens ingeniis, ad præmiorum distributionem centum ducatos numerauit. Quàm præsens Deiparæ præsidium sit inuocantibus, experti Sodales, quorum alter ex

ter ex Religiosa D. Antonii familia in publico Partheniorum cœtu professus est, ægrotasse se nuperrimè vehementer, sibi tandem imploratam Virginem saluti fuisse. Alius per litteras testatus est, se ex desperata cerebri vexatione, Sodalium precibus, & ope Mariæ ad tranquillitatem traductum. Causidicus vnus annum penè totum obire congregationis conuentus prætermiserat, hac duntaxat religione content[9], vt quotidiè B. Virginem stata prece veneraretur; ergò nocte quiescenti repentè species est obiecta Deiparæ multo lumine circumfusæ, quæ fouere blanditiis cæteram Sodalium multitudinem videretur, seipsum autem præ pudore cunctantem auersaretur, vicit tandem studium adeundæ Virginis, à qua benignè in spem futuræ probitatis acceptus, non diù d stulit, quin ad Sodalitatẽ frequenter se referret, estque cumprimis bono Sodalibus virtutis exemplo. Deteri[9] cum alio actum item Aduocato, qui liberioris vitæ curiosus, ipsam cœpit in postremis habere congregationem; ea de re interpellatus ab æqualibus, se nolle tot oculis obseruari, respondit, ac vereri reprehensiones, sicubi ab officio deflecteret, meritò igitur quod illi cõtigit, diuinæ tributum est animaduersioni; nã cum agnouisset riualem suum sub horam primam noctis inde se recipere, quò sibi soli volebat aditum patere, seque à muliere præ illo despici, redeunti sine socio parat insidias, ac vix inita rixa, cum ipse ac socii fugantur exterriti, tanquam à plurimis premerentur; denique cum fugeret, exectum atque in se obuersum quatiens pugionem, in ipsummet corruit, sibiq; in pectus infixit, quo grauatus vulnere,

tan-

tandem reflexit oculos ad Sodalitatem, eiusque se precibus enixè commendans delicti veniam petiit, seque fore deinceps in officio suo constantiorem promisit, si vita diuturnior concederetur. Nobilis Adolescens cum philosophicas suas propositiones Sodalitati dicasset, tùm primum vocatione ad Societatem nostram muneratum se lætatus est. Alter è tertia classe, cũ vix bene quid sit positio teneret, implorata ad cõponendum Virginis ope, præmium publicum pro suæ poëseos elegantia recepit.

Qui ex nostris ad amplissimum Senatorum ordinem cõciones habuit, tantos concursus exciuit, vt vix tanta frequentia celebrioribus festis annorum superiorum, quanta profestis verni ieiunii diebus hoc anno conueniret. Ex cõcione mulier sub cœnulæ tempus ad maritum; ô me beatam (inquit) si vita fungi mihi nunc daretur! quam ego conditionem adeò non reformido, vt etiam optem, ita sentio meum animum penitus à rebus fluxis alienum, ex quo edocta sum concionatoris sermonibus, quanæ sit fœlicitatis cœlestis vita: mirum dictu, paulò pòst sibi sensit stomachum ægrescere, atque vna interposita hora, suauissimè dissoluitur, quæ cupierat esse cum Christo. Solemnis abstinentiæ tempore ad Sanctum Ioannem Maurianensem missus Pater, ex solitis concionum, catechismi, confessionum, & cæteris exercitationibus vberes omninò retulit manipulos. Prędiuiti cuidam hæretico Geneuensi filius erat, is non vulgari se ratione ad Catholicam veritatem capessendam admonitum, Sacerdoti nostro renunciauit, apud quem depositis vitæ totius noxis, eiurata hæresi cum Ec-

clesia rediit in gratiam. Ad hæc Geneuæ cum ageret in mediis aberrantium tenebris, solo collustrante, docenteq; Deo, Cœlitum venerationem & adamabat & prædicabat: inde Lutetiam Parisiorum contendit; illhic Catholicorum pietate, ac continentia conceptæ animo veritatis igniculis sensim augescentibus, demum ad suos se recepit, à quibus adduci nunquam potuit, nè à carnibus sexta feria sibi temperaret: excandescit parens; nihil non minatur filio, ni mores illos dediscat; adhibet amicum ad conuiuium eo fine instructum; addit ille fore, vt sistatur Iudicibus, ni sapiat propediem; nec deerat querula parens obstrepentibus; Adolescens importanas adlatrantium voces pertæsus, peregrinationem meditabatur, iam enim illi fomites in apertum veræ Religionis desiderium eruperant, iter ingresso se dat obuiam peregrinantium contuberniũ. Illi Roma reuertẽtes Adolescẽti Sãctissimæ Trinitatis imaginem concedunt, & vtilibus pro tempore instructum monitis, ad Diuæ Reginæ insignem miraculis ædem, inuitant, negotium non fuit ad id iuuenis animũ inclinare, eã tamen obtulit conditionem, si quod illhic spectante se miraculum Diua edidisset, à Caluino defecturum, vix eò adspirauit, cùm ecce tibi hominem intuetur, qui nixus adminiculis, vix ægrum traxerat peregrè corpus, iis abiectis, pedibus constanter insistentem, ingredientemque. His demum victus, dat manus, seque voto amplectendæ veritatis obstringit: deterrebat nihilòminus malus pudor, & malus dæmon, nè se Sacerdoti fideret. Romã tandẽ pergens, Camberiũ diuertit opportunè: nam à pia quadã Matrona cognitus

gnitus ad nos adducitur, Sacerdoti nostro vita patefacta errorem eiurat, profiteturque se, si Summus Pontifex annuerit, in eremo reliquam vitam tra-ducturum.

Anus, cuiusdam, qui domi nostræ famulabatur, parens, morbo cogente poscit fieri Sacerdotis nostri sibi copiam, apud eum peccata deponit, postero die viuifico confirmata pane, sacro etiam inuncta oleo, duas iam horas cum sine voce, sine sensu decumberet, euocatus rursum confessarius reperit spirãtem, loquentem, orantem, non ita multò pòst morbus posuit, quod ipsa B. Virgini de Mians (ita loco nomen est) cui votum sub morbi principium nuncuparat, acceptum referre se prædicat.

Quidam nostræ disciplinæ alũnus, à nostro quopiam, Agno in cera sacro donatus, munus in collo suspen derat, cuius est præsentissimam expertus opem: torrentem enim dum amnem traiicere bis teruè conatur, in extremum capitis discrimen adductus, quodam quasi colli vinculo attolli se sẽntiebat; & sospes demum emersit.

Hero Nobili Catholico vendebat operam famulus hæreticus, sed imprudenti, adduxit eum noster ad salutare consilium, nam culpis omnibus vitæ superioris enarratis, Catholicæ fidei nomẽ professus est in æde nostri prioratus, tantaque perfusus est diuinæ lucis suauitate, vt & eam diem in candidissimis reponat, & nostris posthàc peccata detegere statuerit, vbicumque nactus erit eorum copiam.

Hydropica lues mulierem adduxerat ad extrema; ea tametsi, vt fit, nouissimis armata Sacramentorum

torum præsidiis, ad maiorem tamen mentis tranquillitatem aduocato Sacerdoti nostro peccata detegere instituit; morem gessit Pater, & Agno piaculari, & Crucis imagine donatã reliquit: pia mulier tabulato affigi iubet, vt eo spectaculo simul oculos pasceret animumque: grata Deo, ac Cœlitib⁹ fides, nam se sub noctem: effusos non sine sensu pietatis, vidisse circum eam volitantes Angelos asseuerauit.

Probauit certam B. Parentis nostri Ignatii opem domesticus auriga, ardebat quotidiana febri, dùm ipso festi peruigilio hortator ipsi noster quidam fuit, eum vt deprecatorem apud Deum adhiberet, fecit eo auctore, nec vanæ ceciderunt preces, nam postridie ægritudine depulsa, est in cõmodam valetudinem vindicatus.

COLLEGIVM DOLANUM.

HAbuit Dolanum Collegium hoc anno Socios triginta sex, ex his Sacerdotes septemdecim; duos nempè Theologiæ Positiuæ & Moralis Professores; Philosophiæ totidem; tùm Rhetoricæ & Humanitatis Magistros; cæteros Patres, aliis Domus à templi propriis ministeriis occupatos. In quatuor Grammaticæ classibus totidem Præceptores; casuum Auditores quinque, rei domesticæ Administri decem. Dedit Societati alumnos quatuor, omnes Deo dante, prospera vsi sunt valetudine, quam pro sui quisque muneris ratione, ad diuinum obsequium conferre conat⁹ est.

Iidem-

Iidemque ſpiritualibus Societatis commentationibus exculti. Nec verò prætereundum, quod planè diuinitus vni è Sociis extra ordinem accidit, qui Ianuario Menſe, rure domum cum ſocio repetens, dùm glaciali & lubrico ſolo ingreditur, mox, fallente veſtigio, media via lapſus eſt, cùm fortè in ipſo temporis articulo currum eadem via incitatius agente, nec aduertente auriga, rota currus, ſiniſtri ei pedis malleum, vel proximam tibiæ partem innoxia trāſilit, Deo videlicet famulum tutāte, qui paulò antè, ex itinere ad vicinum templum diuertens, ei ſe commendarat.

Scholæ, Auditorum numero (nam cēſi ſunt amplius ſeptingenti) non minus florent, quàm anno ſuperiore.

Minor externorum Scholaſticorum Sodalitas, ex veteri, dirutoq; in nouum domicilium vnàcum maiore commigrauit, magna virtutis acceſsione, plurimaque in multis morum commutatione.

Quidam ex opificum cœtu Parthenius, idemque Societatis noſtræ canditatus, in quam deindè hoc ipſo anno cooptatus eſt, cùm Februarii Menſis die quodam mane, velut futura præſagiēs, vt ipſemet poſtmodum narrans referebat, ſeſe Beatiſsimæ Virgini & Patronæ, peculiari illa oratiuncula. Sub tuum præſidium &c. commendaſſet attentius; ecce tibi eodem die, dùm Sacerdotis hoſpitis gratia per lapideos ſcālarum gradus decurrit ardentius, ſummus gradus cæteris amplior, vi diſruptus frigoris, quod hoc anno, per eos dies fuit maximum, ſub pedibus fatiſcit, & in geminas ſoluitur partes: ipſe verò inter ambas portiones corruentes medius,

in inferius pauimentum decidit illæſus, ea procul dubio Virgine protegente, ſub cuius præſidium, eo ipſo die prima luce confugerat.

Quatuor Virgines Deo ſe deuouerunt. Vnus in Patrum Capucinorum familiam aſcriptus. Tres externi, qui cum lacte materno hæreſim ſuxerant, eam in manibus noſtrorum depoſuerunt, eorumq; vnus, præmiſſa in noſtro templo publica fidei profeſsione, quam viri Nobiles, Senatus & vrbis Magiſtratus, ſua præſentia cohoneſtarunt.

Quin etiam illud hoc primo anno inſtitutum, & in mores perductum, vt triduo illo antecinerali in veſpertina ſalutatione ſeu vltima orationis hora, corporum diuerberationes, à Sodalibus, maximè Parthenicis, in ipſo templo vſurpentur, quod in ſuperioribus templi porticibus commodè perfectum eſt. Per ſacros Dominici Aduentus dies, Sanctiſsimi D. N. indultum promulgatum & ſuſceptum eſt, confitentium atque communicantium magna de more frequentia; cenſa ſunt capita 2600.

Extremo loco quiddã miraculi inſtar aſcribam. Puer quadriennis è ſuperiore porticu carceris admodum alta, in inferiorem vinctorum arcam decidit illæſus, cum cercam Agni Cœleſtis imaginẽ, ſibi eodem die à Sacerdote noſtro traditam, è collo ſuſpenſam geſtaret.

Sed & hoc anno, in Burgundiæ comitatu, geminæ Sanctiſsimi Sacramenti Hoſtiæ, non vno miraculo nobilitatæ ſunt; quarũ altera Dolam, ſolemni pompa deportata, & magnifico apparatu excepta eſt. Huius ſanè poſt Dolanorum memoriam celeberrimæ pompæ, quoniam noſtri haud poſtre-

mas

mas partes tulerunt; haud alienum videatur, si paulò pluribus verbis, ipsius miraculi primùm; dein totius pompæ rationem, annalium nostrorum monumentis commendemus.

Est igitur in Burgundiæ comitatu haud Vesulio procul, oppidum, cui Fauernio nomẽ; & in eo Abbatia D. Benedicti institutum professa; huic Abbatiæ anniuersaria sacris Pentecostes feriis indulgentia à Sanctißimo D. N. iampridem concessa fuerat, quam, vt maiore cum sensu pietatis, externi simul ac domestici, consequerentur, ipso peruigilio, ara temporaria, de more, ad ferreos cãcellos est posita, qui secretiorem templi partem ab Odeo dirimunt; superque Sanctißimi Sacramenti extentum tabernaculum, & duplici orbi crystallino, in monstratoriam, vt vocant, thecam inserto, geminæ, ad maiorem firmitatem, sacrosanctæ inclusæ Hostiæ. Omnia, ornatu maiore, quàm custodia. Flamma siquidem, intempesta nocte, incertum quo casu, grassãs, lineum, sericumque ita omnem amictum exußit, vt eius reliqui nihil, præter eam vmbellæ partem, fecerit, quæ Sanctißimam supernè Eucharistiam obtegebat. Eodem cum tabernaculo, ligneus quoque proximus gradus, mensæque posterior pars, quæ tabernaculum fulciebat, incendio deflagrauit: sacro ipso marmore, quo Sanctißimi Sacramenti arcula nitebatur tripartito, collabente. Postridie prima luce, æditu o inprimis; tùm Religiosis omnibus, tàm luctuosæ rei spectaculo perculsis, & quid Augustißimo Sacramento factum sit, enixè, diligẽterque perquirentibus, tandem cœnobii nouitio, eodem fermè quo prius loco, sacrum illud vasculum

cum diuinis pignoribus, ſeſe conſpiciendum obtulit in aëre ſuſpenſum, nulliuſque omninò rei adminiculo ſuffultum. Eò repentè ab omnibus cœnobitis concurritur, miraculum cupidius intuentur ſinguli, & vtrámque Hoſtiam cryſtallinis orbibus incluſam incolumem ſpectant, quorū candori duntaxat (quò teſtatius foret miraculum) fumus nonnihil offecerat, ipſa ſpectandi diuturnitate, oculos animoſque exſatiant. Id vbi vulgatum eſt, innumerabilis, è vicinis pagis oppidiſque hominum multitudo confluxit; quorum omnium piæ expectationi, cum diuina benignitate (tantæ rei miraculo horas tres minimum & triginta perdurante) abundè ſatisfactum eſſet; in ritualem poſtmodum librum, quem Miſſale nuncupamus, quià Sacerdote tùm ſacris operante, conſultò ſubiectus erat, ſacra delapſa arcula conquieuit. Dolani ciues totius rei certiores facti, datis ſemel atque iterum ad Sereniſsimum Principem Archiducem; tùm ad R. D. Fauernium Abbatem, litteris, ex Sanctiſsimis Hoſtiis, alteram ſuæ ciuitati poſcunt, impetrantque. Itaq; ad tantum ſuſcipiendum hoſpitem, honorificentiſſimam Magiſtratus Dolanus legationem apparat. Centum in id muneris delecti equites, in quibus vrbis curiæque ſpectatiſsimi quique numerati, qui vna eademque opera, Auguſtiſsimum illud diuinæ potentiæ ac bonitatis monumentum (quod ei⁹ muneris donationem Abbas, contra Dolanorum vota, in aliud tempus differri volebat) denuò peterent & referrent. Profecti vndecimo ante Natalitia die, qui idem erat Lunæ, poſt tridui fermè iter, eò cum appuliſſent, Abbatis offendunt animum, cum ſuapte

apte natura, tùm ornatiſsimi illius comitatus aſpe-ctu in ſeſe tàm æquum tàmque propenſum, vt difficile dictu eſſet, libentiuſnè iſti acciperent, an ille concederet. Igitur poſt celebratum, die Iouis concentu modulatiſsimo, ſacrificium, prandiumque confectum, diſertis, conceptiſque verbis R. Fauernius Abbas id ſe animo perlubenti, quod peterent, diuinum munus purum, putumque tradere confirmauit; alterã ſcilicet è duabus Hoſtiis furentium flammarũ victricibus haberent illam ſibi, ſeruarẽtque religioſiſsimè, ceu perennem bonorum fontem, malorumq; omnium depulſtricem. Hæc cum diceret, Dolanæ Eccleſiæ Decano in manum dat, inuſitato ſociorum gaudio; qui, vt eiuſdem ſuos primo quoque tempore participes facerent, in lecticam, auguſtali ſerico perinſignem, quam in eum vſum phalerati equi ex vrbe duo auexerant, maturant imponere. Totum illud iter, reditus, quod item, vt itus, tridui fuit, ita perfectum eſt, vt religiosè inprimis ſeruato, quod inciderat, ſolenni totidem dierum ieiunio, perpetua interdiù euntem ſymphonia circumſiſteret; noctu verò, in ipſis oppidorum occurrentium templis, diſpoſitis ſeruaretur in ſingulas horas excubiis: Quas primi ſemper egerunt generoſiſsimi duo Barones, iidemque Senat⁹ equites, ea reliquorum ſedulitate, vt longè plures pernoctarent, quàm præſcriptus à Prætore excubantium ordo poſtularet. Mitto, nullam extitiſſe toto eo itinere in agris domum, nullũ pagum, nullum oppidum, ex quibus certatim ſeſe obuii, ſuppliceſque habitatores non effunderent. Ita demum die Sabbathi, ſub veſperam, perueniſſe Rupem for-

tem (qui pagus Dola quatuor abest passuum millia) cognitum est. Postridiè manè progressi in viciniorem vrbi pagum, ibidem obuiam exituram supplicationem opperiri constituunt, quæ, eo, quo dicam, ordine, instituta est. Duodecimo Calendas Ianuarii; qui dies erat Dominicus, Diuoque Thomæ Apostolo sacer, ad meridiem, dubio licet turbidoque cœlo, prægressum linteatum puellarum agmē; secuti sunt nostri Scholastici, quorum nouissimi erant Parthenii, ardentibus cereis cantuque conspicui; his proxima Misericordiæ Sanctissimi Sacramenti Sodalitia, suo quæque pœnitentium cultu distincta; Sodalitiis Patres Capucini; istis Franciscani, qui cum Clero consequente bene multo, damascenis auroque illustrib⁹ induti sacrorū vestibus, varii generis, non minus scitè quàm magnificè inclusas reliquias comportabāt. Clerum Senat⁹ subibat, purpureo (quod antea nunquam) habitu; hos deindè Academicæ Iurisprudentiæ Professores, quos sequebatur infinitus propemodum incolarū, conuenarumque numerus, nè quid de matronali muliebrique turba dicam. Iussis non procul à pago, puellis puerisque, nè quid arcta lutosaque via, turbarum oriretur, subsistere: octodecim interim longius aliquantò progressi sunt, Angelico vestitu Adolescentuli, qui è molliter accliui tumulo venientem Christum, iisdem, quibus Hebræi olim pueri, sed consonantioribus forsan vocibus, suo Sociorumque nomine salutarent. Cæteri verò grandiores, cultu Deo debito ritè perfuncti, eundem, in reditu, quem itu, seruarunt ordinem. Modestiæ certè cum cætera turba, tùm retinētissima inprimis fuit

præ-

prætoria Christi Domini, seu stipatorum custodũque cohors, cuius cum grauitate ac pietate armorum splendorem certare diceres. Sanctissimum Sacramentum, quod R. Abbas præferebat, vmbella contexerat, à clarissimis quatuor ciuibus circumdata, eius hinc inde latera Nobilissimi totidem Comites, Scholastici nostri cingebant, quibus id erat pēsi, vt perpetuos ex argenteis amplissimisque pateris odores incēderent; honorarii verò pueri duodecim, longioribus accincti facibus anteibant, concolori omnes serici rubri vestitu: id tantum intererat, quòd hi aulico planè more, illi suo amicti essēt. Horum omnium latera rursum claudebat alia armatorum peditum cohors, insignem, cum militari dignitate, præseferentium, pietatem. Muris cum succederet, excepit festa plurium tormentorum displosio. Iucundissimum certè omnium fuit spectaculum; cum ad portas Adolescens, nostrorum Auditorum vnus, virgineo & vultu & cultu, Dolanæ ciuitatis, cuius agebat personam, post claues subeũti Christo traditas; eiusdem fidei ciuium salutem, atque fortunas commendauit. Totius inde vici qui ad templum pertinet, tàm concinnè vestiti erant parietes, nullum vt aulæis vacuum locum cerneres. Ad arcus triumphales accedebant aræ, passim excitatæ odoratissimæ, ac magnificentissimæ, aurea argenteaque, quam profundebant, supellectile. Neq; suo Scholę nostrę muneri, in publica & cura & gratulatione defuerunt. Nam præter drama de veteri Manna, in ipsa templi area datum, illius etiam vestibulum, cum sacellis pluribus, est à Scholasticis nostris omni versuum genere, emblematum, dæ-

dalmatumque pereleganter exornatum. Illius diei pompa, non modò est in noctem proximam, (vespertinis precibus, cum laudatissima templi symphonia, in horā vsque septimam extractis) verùm etiam & in sequens biduum propagata. Prætereo fidium ac tubarum sonum, qui iucundissimus, ex amplissimi templi Dolani turri facibus plus mille collucenti, audiebatur. Denique illud omnium iactatum vocibus, nullam vnquam Dolanæ ciuitati ea luce vel iucundiorem, vel salutarem magis illuxisse.

MISSIONES.

PEr sacros Quadragenarii Ieiunii dies, Balmæ Monialium, vnus è nostris conciones habuit, quo ex oppido, præter vsitatos cõcionum, & auditarum confessionum fructus, hos insuper manipulos retulit.

Cum per id oppidum iter haberet dynasta quidam, inter eius comites, adeò graue dissidium natū est, vt mutuis sese vulneribus conficere pararent; cumque is nequicquam eos placare esset conatus, nostrum accersiuit, qui graui & blanda oratione mitigatos, alios ab aliis disiunxit; atque ita contentioni finem attulit. Cum ipso anno, ob inusitatam frigoris magnitudinem, & niuium copiam, pauperes omnes multa perpeti coacti sunt, tùm vincti potissimum, qui in prærupto & arduo murorum loco tenentur inclusi, quo nemini id temporis, lubrico nempè ascensu & niuibus glaciei in modum concretis, sine probabili vitæ periculo aspirare licebat do-

bat, donec ipsemet concionator noster, eorum miseratus solitudinem & incommoda, in eum locum confidenter ascendit, & inuium iter aperuit; cuius populus exemplum sequutus, prolixè tentis in carcere succurrit, atque adeò festis epulis liberaliter accepit, circa diem festum Paschæ, sacris confessionis & Eucharistiæ mysteriis prius operatos. Eadem in vrbe iam olim Misericordię Sodalitas erat instituta, solamen & subsidium pauperum, sed abhinc aliquot annis multum degenerauerat: itaque noster, habitis in ipsius Sodalitii Sacello adhortationibus, ei cœtui pristinum decus, magno Sociorum adiuncto numero, postliminio reddidit. Eadem nauata opera in Nosocomii restituendo statu, vbi nonnulla indigna committebãtur. Vt finis tandem aliquis rixarum, pugnarumque constitueretur, quæ inter duas parœcias, inter se vicinas, quotannis hebdomada ferè maiore contingebant, à ciuibus obtinuit noster, vt publico in concilio decernerent parochialem ædem, elegãti specię exædificãdam, quæ ambas parœcias capere posset, vt loci cõmunitas coniunctionem firmaret animorũ; cùm præsertim hac via longè sacra & diuina officia commodius peragi possent. Eadem opera, & eodem in conuentu ciuitatis, conciliationi D. Abbatissę cum populo initium datum. Eidem cœnobii Antistitæ Sacerdos noster, itemque sex aliis monialib⁹ persuasit, vt quot hebdomadis, semel iterumque ad exemplum cæteris statuendum, sacram Eucharistiam sumerent. Tùm de communi sententia, in aditu cœnobii atrium extructum est, quò ingressus externis prohiberetur, qui antea vulgo patebat. Præterea quæ irrepserat

multarum rerum, non quidem magnarum proprietas, & priuata possessio oblata. Deniq; Nostro pollicitæ, sese à S.D.N. petituras, vt his leges & regulas quibus vtantur, eis præscribendas curet, hactenus enim nullas omninò viderant, quòd id cœnobium bellorum iniuria sæpius euersum est, cum tamen ex antiquissimis totius Burgundiæ censeatur; abhîc 1400. annis conditum. Præter hæc Catechismi doctrina pueris & rudibus tradita; aditi & recreati ægroti; libri aliquot partim impuri, partim hæretici, concremati.

Alius è nostris per eosdem Quadragesimæ dies Lædonem missus (ea est vrbs comitatus, parua quidem, sed opuléta, & pro loci angustiis, virorum prudentia, doctrina & religione præditorum numero abundás) ita omnes officii sui partes est implere conatus, vt talibus ingeniis atque iudiciis sese probabilem effecerit, & Magistratus in digressu amplissimis vrbis, totius nomine ciuitatis ei gratias egerit. Et sanè præter quotidianos concionum confessionumque labores, & hebdomadarios in remotioré pagum, magno cum incolarum fructu gaudioque, excursꝰ, magnoperè ciuium animos commouerat, aliquot Catechismi capita, tribus actionibus, à pueris, in Theatrum data, vt verè illud Regii Psaltæ hoc loco vsurpari posse videatur: ex ore infantium & lactentium Dei laudem esse perfectam. Præter has in diuersos Burgundiæ tractus missiones, tertius è nostris Sacerdos Caluomontium in vrbem Campaniæ Nobilem, in tempus superioris Aduentus & sequentis Quadragesimæ missus est, idem qui proximis annis per eosdem dies missus erat, magno, vt antè,

antè, ciuium bono, fructuque animorum. Nonnulla tantùm ex iis, quæ extra ordinem à superioribus annis diuersa contigerunt, apponimus. Præter cæteras reconciliationes animorum, fuit illa toti vrbi maximè salutaris. Sub tempus creandorum exeũte anno Magistratuum, inter primarios viros, exarserat tàm grauis & acerba dissensio, vt cum summa pernicie ciuitatis, vtcunque ad arma, quæ in proximo ad manum erant, iamiam concursuri viderentur. Sed noster certior factus opportue occurrit, potentium iracundiam repressit; denique diligenti data opera vt partibus satisfieret, per mutuos amplexus dissidentes reconciliauit in gratiam, quos iterum post aliquot dies vltro repetierunt; cum alter alterum, in Sacerdotis nostri cubiculo fortè reperisset. Domus quædam, eorum qui carbonariam factitant, mediis in syluis Læmuribus erat infesta. Dæmon felis specie sese videndum præbens, omnia intus vertebat, miscebatque, carbonarias secures, nulla ictorum læsione in capita iaculabatur. At primùm quidem noster, recõciliandis cum Deo domesticis, & sacra Synaxi muniendis, spargenda lustrali aqua, dæmonem penitus fugasse videbatur. Sed altero anno, eodem reuertenti, interrogati incolæ quo loco res esset; responderunt locutam esse laruam puellæ, dixisseque se animam esse auiæ vita functæ. Sed noster iussit nullam huic monstro fidẽ habere domesticis, prioribus piaculis exorcismos addi curauit, tandemque circa Pascha, ante suum ex vrbe digressum, ab iisdem hominibus accepit, Satanæ terricula paulatim velut fumũ euanescere. In magnis pauperum, in Nosocomiis degentium,

atque

atque etiam vinctorum incommodis, quippè hyeme eo anno perfrigida & niuosa prouidit noster, vt omnibus subueniretur.

Deniq; eius populi propensā erga nostros hoīs voluntatem, illa etiam declarant, quòd propter hyemis asperitatem, & niuium impedimenta, post Natalitios dies summa vi eos retentos vellent, quibus tamen nostri minimè cesserunt. Multum nihilòminus viæ, plurimi, longè omnium ordinum agmine obfirmatis animis, abeuntes sunt prosequuti. Cumq; anno priore nostros adhuc ignotos, nemo, nisi ægrè domo vellet accipere, hoc posteriore, summa inter se contētione certabant, quisnam potissimum eos hospites esset habiturus.

COLLEGIVM BISVNTInum.

FVêre de nostris in Bisuntino Collegio sex & viginti. In his Sacerdotes quindecim, è quib⁹ quinque docent: præter hos Magistri duo, reliqui rerum Administri. Societatem expetiere ad triginta, nouem admissi: plures ad alias Religiones transierunt. Feria quinta in Cœna Domini, quo tēpore sepulcri Dominici memoria religiosè pieque colitur, Sodales nouo genere supplicationis omniū in se oculos, mentesque conuertunt. Bini procesferunt ordine bene longo, sine funalibus, sine cātu, nullo vexillo præeunte, nulla mutatione vestium, sola modestia, silentio, ordine contenti. Atque ita capitibus apertis taciti apud se preces funditantes, præcipua ciuitatis templa obiere. Nescio quo pactò fieri solet, vt ipsa quandoq; nuda, & minimè fucata

ta ſimplicitas delectet màgis quàm pompa. Certè res, & admirationē, & ſtudium imitandi excitauit. Nimirum intellectum eſt, qua Religione, quauè ſignificatione pietatis adiri ab omnibus ſepulchra deberent. Ad Oratorium reuerſi poſt preces fuſas, & auditā adhortationem, pauperibus ritu ſolemni, nobiliſsimi quique pedes lauere. En aliud Sodalium pietatis argumentum. Nos imaginem ex quercu Sichimenſi, in qua olim affixa B. V. effigies, cum Indulgentiis nacti, Sodales ferculo incluſam ſerica veſte, auro gemmiſq; diſtincta, inſtituta ſupplicatione celebri, feſto apparatu, publica penè vrbis lætitia, nobis authorib⁹, in templū noſtrū intulerūt: hanc Sodaliū ſupplicationē Patres Minimi cohoneſtare voluerūt; & inprimis Reuerēdiſsimus Corinthiorū Archiepiſcopus, Illuſtriſsimi Archiepiſcopi noſtri Suffraganeus, Sodalis & ipſe, qui eam infulatus in altari collocauit, & de Virginis Sichimenſis laudibus concionem habuit. Attulit hæc celebritas primo cum nouitate admirationē, mox cum admiratione pietatē, dein variam, & multiplicem curationem, nec animorum modo, ſed etiam corporum. Certè Comitiſſa facilè primaria, ſeu nobilitatē, ſeu Religionem attendas, cum à partu grauius decumberet ex vlcere mamillari, neque medicinā facerēt hinc Chirurgi; illinc varii Sanctorum in auxilium vocati, in templo noſtro ad imaginem Virginis votiua prece, ceraque votiua remedium & ſalutem inuenit. Res eſt vulgò notiſsima, quam ipſa palàm & vbique prædicat. Sed nè diſcedam à Partheniis, vinitor apprimè pius, difficili morbo iam inde ab annis quindecim tenebatur: maleficium po-

tius,

tius, quàm vſitatum aliquod morbi genus fuiſſe dixeris. Nam primò Zona veluti cingens vmbilicum malignus humor, adeo tenaciter parti illi adhæreſcebat, nullis vt vnquam fomentis diſſolui potuerit, poſtea ſerpens humor reliquum corpus occupauit, fractis omninò viribus, quod in homine id ætatis (accedit enim ad quadrageſimum) in opifice, & ad laborem nato, moleſtiſsimum videbatur, maximè cum nec morbi cauſa, nec remedium appareret. Accedebat fœtor intolerabilis, quo ſiue auras acciperet, ſiue redderet, ſiue cibum qualemcumque ſumeret, cũ incredibili nauſea perfũdebatur. Tentarat vias omnes: ſed fruſtra. Itaque maiorem vim adire conſtituit. Hîc opportunè admodum, dùm de uotiua neſcio qua peregrinatione cogitaret, incidit in Parthenium, quo familiarius vtebatur, cõſilium aperit, laudatur: verùm quin tu, inquit ille, omiſſa longiori peregrinatione, templum adis Patrum Societatis, ibique ante Virginis imaginem prouolutus communem Parentem inuocas? vix hæc finierat, cum æger velut ex grauiore ſomno expergefactus, lucem intueri, ſperare ſanitatem, eamque vehemẽtius intra ſe expoſcere. Mirum dictu, vel ex eo puncto temporis ſentit beneficium, languor imminutꝰ. Sed inclinabat in veſperum. Ergò domum redit, vxori rem aperit, certus luce poſtera, & Sychemiũ, & Virginem Aſpricollem in icuncula noſtra inuiſere, inuenire. Primo mane memor ſalutis, voti non immemor, venit ad templum vnâ cum coniuge: verùm quia occluſis adhuc foribus negabatur aditus, atque ad ſua negotia extra vrbem neceſſariò vocabatur, ſtans in limine, Virginem ſalutat, ſaluta-

rem

rem opem expoſcens, vxoriq; mandat, vti ſuo nomine genibus ante imaginem obuoluta, pacem, & abſolutam incolumitatem imploraret: paret vxor, duplicique voto, & mariti, & ſuo ſupplex imaginem adorans, Chriſti Parentem ſolicitat. Interim vinitor cliens Virginis, ſuas res agit, neque in medio negotio negotium ſalutis, aut Patronæ memoriam deponit. Res mira, languor omnis, & fœtor omnis abſcedit: redit ille ſub veſperam viribus integris, plena ſalute, nullo vel minimo ſenſu doloris, in eoque ſtatu iam ſex ipſos menſes lætus & incolumis perſeuerat. Claudam quæ de Sodalibus habeo dicere, fine beatiſsimo ſenis propè centenarii: vir erat vt acer in rebus gerendis, ita pietate feruens, ſed imprimis amans Societatis, is cum mortis tempus imminere ſenſit, Patrem, quo vtebatur à confeſſionibus, ad ſe vocat, factaque exomologeſi, & inſolito quodam exultans gaudio, ruit in amplexus Sacerdotis, identidem hæc ingeminans: Deo ſit laus, mutuis fruemur aliquandò in cœlo amplexibus: repoſita hæc ſpes eſt in ſinu meo: erat tùm dies D. Iacobo Apoſtolo ſacer, cunctiſq; peropportunum videbatur, vt ſacro viatico muniretur, quod ille licet non probaret modò, ſed etiam vehementer optaret, quia tamen B. Annam, Beatæ Virginis parentem, præcipua ſemper Religione coluerat, rem differri iubet in craſtinum, qui dies vbi illuxit, vix hærens oſsibus, duce famulo, adminiculante ſcipione, noſtrum in templum perreptauit, ibique cœleſti pabulo recreatus, domum hilaris, & iam ad moriendum paratus, reuertitur. Sed non leue pietatis argumentum boni ſenis, clientis Virginis, poſtrema

vo-

voluntas. Iubet quas in ſortitione Sanctorum ſententias acceperat, bene aſſeruatas, & in vnam faſcem colligatas ſibi adferri, iubet & roſarium, quo frequentius vtebatur, hoc manibus implicatũ ſecum vnâ cõdi loculo, illas ſudario aſſutas comites ſepulchri eſſe imperat, vt quos habuerat in vita Patronos, eoſdem in morte & defenſores agnoſceret, & amicos experiretur. Multa paucis de reliqua rerum vrbanarum meſſe. Ciuitas vniuerſa mirum quàm excitetur ad pietatem. Indulgentiis conſequendis, Calendis Ianuarii, Dominica Quinquageſimæ, feſto Sancti Claudii, quem Biſuntinum Archiepiſcopum miraculis toto orbe celeberrimum, Sacelli noſtri Patronum agnoſcimus; ſed potiſsimum vertẽte anno feriis vniuerſalis Iubilei, tantus ad nos concurſus factus eſt Sacramentorum cauſa, vt ſuperiorum annorum frequentiam longè ſuperarit. Vnum decerpam è multis, quæ hac occaſione ad Dei gloriam geſta ſunt. Miles ex detrimento rei paternæ affinium fraude, dùm peregrè militaret, auerſæ, in furorem actus, ius in armis ratus, cædes meditabatur. Ea in cogitatione dùm Veſontionem ſolitarius petit, media in ſylua obuium habet virum facie cultuque corporis liberali, cæterum barba & capillo nigricante. Is erat, quem ſæpius præceps iracundia dæmonem appellarat. Poſt ſalutationem nouus comes hoẽm blandè percontatur, quò & cuius rei gratia pergeret. Hic miles ſenſa pectoris aperit, inimicum expoſtulat, ferrum flammamque affinibus minitatur. Comes dolere, condolere, rem indignam, dicere, probare, & ardenti oleum iniicere, & vt præſenti calamitati ſuccurreret, habe tibi,

inquit comes, centum aureos, & illos offerebat, & plures si vsus est. Miles artes magicas suspicari, quarum olim studiis tenebatur: Sed à veteratore animatus, & penè victus, petiit qua conditione hæc pecunia offerretur. Si mihi seruias, inquit dæmon, enimuerò subiicit miles, vereor nè seruituti addas malam rem, & nisi ex voto tuo seruiam, malè mulctatum dimittas. Pollicetur dæmon triginta annorum impunitatem: tùm miles herum imperiosum veritus, trium dierum inducias ad deliberandum petit. Inter hæc superuenientibus quadrigis, dæmō mercator & esse & videri desiit. Sed miles ex dæmonis alloquio perhorrescens, vrgente necessitate, propè aberat ab exitio, cum serena lux ab Angelo lucis oboritur, adiret Patres Societatis, consilia caperet, ductum sequeretur; paucis concludo, venit ad nos; discit nullā omninò cū hoste generis humani societatem ineundam. Magnifici vrbis Gubernatores variis officiis ac beneficiis, suam in nos voluntatem, magis ac magis testatam esse voluerunt, vt cætera omittam: cum recepto iam indè à priscis temporibus more maiorum, licitatio publicorum vectigalium palàm in domo ciuica, in consessu Gubernatorum, ipsis Calendis Ianuarii institueretur, hoc tandem anno præter omnium opinionem, nemine repugnāte, suffragantibus omnibus, quod vix ac nè vix quidem in tanta hominum & ingeniorum varietate accidere solet, datum est precibus nostrorum, nomini Societatis, & tantæ festiuitatis celebritati, vt eiusmodi negotiatio, vel nundinatio potius in alium diem reiiceretur. Res populo denuntiata est voce præconis, curiali pro-

X mulga-

mulgatione, edictoque proposito, vnde de plano legi posset, atque vt illa superiorum annorum consuetudo cum honore antiquaretur, festo Circumcisionis Magistratus vniuersus ciuitati prælucens exemplo, venit ad templum Societatis, animæ negotium, imò potius Reipublicæ commodum curaturus, de cæteris ciuibus non attinet dicere, quorum liberalitate factum est, vt tenuitati nostræ subueniretur: templum etiam varia suppellectile serica & argentea ditius atque ornatius redderetur. Venio ad Missiones.

MISSIONES COLLEGII BISVNTINI.

Pontissalienses finitimi hæreticis, consiliis vsi nostrorum egregiè se tuentur, & rem Christianam promouent. Vir nobilis transiit ad castra Catholicorum adiutus à Sacerdote nostro: alii præterea tenuioris licet fortunæ, quam à puero hæresim imbiberant, abiurarunt. Sed & Doctores erroris ad lucem inuitati. Sacerdos Apostata à fide & religione, qui in Academia celebri Theologiam legerat, nostri cuiusdam adiutus alloquio & consiliis, pellicem, quam vxorem vocabat, liberos, patriam, mira constantia, vt salutem animæ in tuto locaret, reliquit. Paucis antè mensibus Pontissalio dum fortè ab eodem Sacerdote ad Gebennenses excurritur, ecce tibi Matrona Nobilis bene Catholica nostrum adit, monēs Gebennensē Ministrum optare quàm maximè secum vnâ familiares conferre sermones: credit, adit hominem ipse in Gebenna, proprio

prio in Iare & foro. Sed bonum illum nihil tale suspicantem, mirum quàm afflixerit Theologi nostri conspectus; ac primo vitare congressum, causari Academicas occupationes, negare sibi quicquam esse negotii cum Iesuitis, deinde vbi intellexit non dari effugium sine dedecoris nota, prodit in mediū Heluetico mercatori, quàm Theologastro similior. Hîc noster mira confidentia varia de homine sciscitari; Catholicus nè fuisset, cur auitam Religionem deseruisset, quid probaret in Bezaitis, quid in Pontificiis improbaret; vnum sibi respondit magnopere displicuisse, quòd nos Dei Parentem cœli portam vocitemus; egregiam verò causam abalienationis à Catholicis omnes irridere: satisfacere tamen noster, portamque aperire, qua cœlum, si vellet, ingrederetur: tùm iteratò causam defectionis vrgere vehementius. Sed qui veritati aures occluserat, non poterat verum audire, sapere, intueri: igitur molestum rogatorem, quem discipulum voluisset non Magistrum, insalutatum reliquit. Mirantur qui aderant viri nobiles hominis vrbanitatem; quia tamen Scholam Caluinisticam meditabatur, quam mox eructaret, datum est aliquid animo aliis curis occupato. Interim inuitamur ad Gymnasium, itur, sedetur, de gratiarum diuisione, & miraculis disputatur, in qua disputatione quæ peccata fuêre contra Catholicam fidem noster palàm, & in triuio ac circulis hominum tanta libertate redarguit, vt Catholici qui comitabantur, tumultum verentur, hæretici ingentes animos satis mirari non possent; ad extremum scioli Auditorculi de Rabini sinu cum thesibus de antichristo auolarunt, ad

X 2 con-

concertationem prouocaturi; quam Sacerdos noster lætus admisit, ipso è vestigio, si diutius in vrbe esse à Magistratibus concederetur. Negatumest, atque ita infecto licet negotio, iudicio tamen bene sentientium, ab vno Iesuitico palæstrita de tota Bezaitarum Synagoga magnificè triumphatum. Sed Pontissaliam redeamus. Hac in vrbe præter communia locis omnibus emolumenta, apprimè vtile concionator noster iudicauit, si Sanctissimi Sacramenti congregatio institueretur. Itaque res suadetur, & magna suscipitur Ecclesiasticorum approbatione, magno assensu Magistratus, & totius vrbis gratulatione, plausuque. Iam Pontissaliam mercatũ diceres animorum, dùm enim hæretici finitimi ad nundinationem veniunt, sæpè accidit, & nonnunquam ex composito, vt ad ægrotos Sanctissimum Sacramentum deferatur, adsunt frequentes è populo, & Magistratu serie longa, cereis accensis procedentes, & Sacramentum ipsum, quod sub vmbella piè ac reuerenter adsportatur, prosequentes: hic mirari primum hæretici, mox approbare, tùm etiam supplices venerari Catholicorum exemplo: nõnulli palàm nullos non Caluinisticę sectę ritus accusare, nostros apertè prædicare, denique Deo sit laus, iam aliqui hoc tàm pio spectaculo inuitati, dimissis lustris & ganeis hæreticorum, nostras epulas alimoniam immortalitatis expetiere. Sed missis hæreticis ad Religiosos veniamus. Accidit hoc primum anno, vt quatuor oppida totidẽ Monasteriis celebrata lustraremus, Fauernẽse, Lutrense, Luxouiense, Gigniacum. Verùm aliud nos, quod posteritas tota mirabitur, ad B. Virginis Fa-

Fauernensis ædem primum euocauit. Miraculum illud fuit toto ea vrbe famosissimum Sanctissimæ Hostiæ. Res propè in oculis nostris gesta, & nostrorum hominum discussione firmata, triplicem habuit admirationem. Nam & illæsum à flammis Sacramentum in magno incendio perseuerauit, & ad horas supra triginta, vnâ cum argentea Lipsanotheca in aëre pependit immotum, & tandem frequenti populo spectante, sponte lapsu facili in subiectam in ara Syndonem, quam corporale nominamus, conquieuit. Laborauit Reuerendissimus Bisuntinus, in cuius ditione gestum est, in indagatione tanti miraculi sanè diligenter, nostrorum vsus opera, quod vbi testatum satis, & confirmatum visum omnibus, qui ei aderant in consilio, placuit tàm insigne miraculam ritu solemni per nostrum concionatorem promulgari. Res acciderat vigesimo quinto Maii præsentis anni 1608. Festo Pentecostes nocte concubia, duoque menses iam excurrerant in examine positi, cum promulgationi dicta dies vigesima quinta Iulii, quæ in Iacobi Apostoli Festum incidebat. Ergò facta supplicatione, cum eo apparatu, qui maximus potuit, in quo Hostia miraculosa circumlata, Theologus noster medio in foro, quòd affluentem populorum multitudinem templum ingens non caperet, pro suggestu miraculi veritatem, religionemque loci, Auditoribus persuadet, tanto omnium sensu, propè vt tota multitudo cibi illius omne delectamẽtum in se habẽtis suauitute perfusa, collachrymaretur. Hactenus de Fauernensi excursione.

Missiones Lutrensis, & Luxouiensis hoc primum

mum anno pariter inchoatæ vberem messem animorum pollicetur. Lustræ parent Illustrissimo, ac Reuerendissimo Principi, Abbati Lutrensium ac Morbacensium: eò nostri, quo casu non facilè dixerim, iam inde à Concilio Tridentino vocati, nōdum ad solitas functiones obeundas penetrarunt. Igitur quasi homines de cœlo lapsi excepti fuimus, fructu maiore, quàm sperare potuisset, sed, vt omittam cætera, ipse Princeps conscientia apud nostrum Sacerdotem deposita, de Monastica disciplina in Lustrensi Monasterio penè collapsa, in antiquum splēdorem erigenda seriò cogitare, & nobiscum agere cœpit, atque vt beneuolentiæ erga nos suæ monumentum extaret, Sacris Sancti Deicoli Reliquiis, qui ante mille amplius annos Lutrensis Abbas hoc Cœnobium primus administrarat, templū nostrum donatum, & exornatum voluit. Non procul abest Luxouium Nobile Sancti Columbani Monasteriū, quod dudùm etiam Societatis concionatorem expetierat, eò profecti duo de nostris, valetudinis causa ad Thermas subeundas, non tàm de propria corporum, quàm de aliena salute animorum soliciti, paucis diebus effecerunt, quod aliquot mensium operæ, laborique respondeat. Nam & frequentes habitæ conciones, & Catechesis explicata magno concursu, & aures pænitentibus datæ à prima luce ad vesperam, omissa Balnei cogitatione: Quæ res incredibile dictu est, quantoperè omnium animos in nostri admirationem, & amorem impulerit.

Religiosi inprimis adiuti, Canonici, Parochi, vt quisq; de Clero rē Christianā maximè promouere posset.

Agni cœleſtis icunculas effictas in cera, ſacro chriſmate delibutas, dici non poteſt, quam appetant, & religioſè colant, & tanquam certa, præſentiaq; amuleta geſtitent. Valuit ad fidem res propè miraculo confirmata. Fortè in turrim campanariam cœlitus, vnâ cum fulmine igne deiecto, non modò templi, ſed etiam totius oppidi incendium timebatur. Id animaduertens vir bene pius, iubet ad trabem proximiorem poni roſarium, cui cereus Agnᵘˢ appendebat, mirum, illicò flamma luxurians quâ lambens, quâ vorãs obiecta omnia, veluti obice poſito conquieuit, nec vlterius eſt progreſſa, atque vt minus de fide miraculi dubites, die inſequẽte inter cineres roſarium cum Amuleto ſanum, & integrum repertum.

COLLEGIVM VIENNENSE.

COllegium Viennenſe hoc anno quindecim incoluerunt, Patres quinque, è quibus vnus Studioſorum Præfectus, partem illam ſacræ Theologiæ, quæ de caſibus ad conſcientiam pertinentibus tractat, frequenti ſatis, vt in nouo ac penè naſcenti Collegio, conſeſſu profitetur: Humaniorum litterarum Magiſtri pari numero, rei domeſticæ Adiutores totidem. Scholæ maiori diſcipulorũ frequentia, quàm ſuperioribus annis celebratę sũt, fructu ſanè non pœnitendo: ex quibus multi Nobilibus orti parentibus, reliqui omnes ingenui; & ſiue cœli ingenio; ſiue naturæ bonitate, ſiue liberali parẽtum educatione, mirum quantum ad omnem pietatem ſunt proni, ad liberales diſciplinas capeſ-

ſendas incitati, & ad Præceptorum ſuorum vel minimum nutum comparati. Quantum verò in vera germanaque pietate promoueant, vel ex vno cognoſce. Venerat ad noſtrum Collegium Adoleſcens quidam, annorum viginti duorũ circiter, hæretica fraude deceptus, & errore depoſito Catholicam fidem à noſtris edoctus, inſciis parentibus complexus erat. Id vbi pater hæreticus ſubodoratus eſt, eũ per litteras ſæpius fruſtra iubet venire, ac tandem miſſo cum mandatis ſeruo, reuocauit; Geneuamq; ſtudiorum cauſa, Miniſtro comite ac duce, mittere conſtituerat. Iamque Miniſter equum conſcenſurus, Adoleſcentem vt vnâ ſecum pergeret, expectans, inclamabat, ſed ille callido, at pio conſilio coruum deluſit hiantem: Nam ſummo mane collectis ſarcinis, iter ingreſſus, Viennam venit inſalutato parente, ſine pecuniis, atque adeò ſine ſpe ſubſidia neceſſaria impetrandi; verum piam ſpem Adoleſcentis in Deum non fruſtrauit diuina prouidentia. Nam vir quidam locuples, audita re tota, ad eũ litteras dedit, bono eſſet animo, ſtudia cœpta pergeret, ſe ſumptos neceſſarios ſuppeditaturum. Itaque certum ille Dei auxilium expertus, alacrius quàm aliàs vnquam, & litteris & pietati ſtudet. Nec tantum in Scholaſticos operæ noſtræ fructus, ſed in omnes etiam ciues, ex conſuetis Societatis noſtræ muneribus emanarunt, vt nonnulli qui falſis imbuti maledicorum ſermonibus, aliquãtulum à nobis ante noſtrum in hanc vrbem aduentum, aut qui poſt eum, exiſtimantes ſe propter nos nouis vectigalibus onerari, alienato fuerant animo; iis perſpectis, & experientia edocti, pecunias illas in no-

ſtros vſus nequaquam cedere temerè, ſuſceptam obtrectatorum perſonam maturè poſuerint, & cum magna pœnitentis animi ſignificatione ſe apud vnum è noſtris Sacerdotem accuſarint, iureiurando, quo ſe minus piè conſtrinxerant, prius ſe nimirum vitam, quàm tectis noſtro Collegio extruendo neceſſariis exceſſuros, ſanctiſsimè diſſoluto. Propenſam erga nos ciuium voluntatem experti ſumus, cum in magno animi ardore, quo noſtris litterariis exercitationibus interſunt inuitati, etiam conſules ac totius ciuitatis primores; tùm in magna diligentia, qua Doctorem quendam repreſſerunt, qui Philoſophiæ ludum in priuatis ædibus aperuerat, & tranquillum Scholarum noſtrarum ſtatum nonnihil perturbabat, maximè tamen in noua Collegii ædificatione, quam ſex antè mẽſes inchoarunt, in loco, quo nihil oportunius tota vrbe reperiri, vel optari poſſet, eſt enim intra vrbem in medio duorum collium leuiter aſſurgentium, in colle ſitus molliter accliui, ac cæteris quidem depreſsiori, eminentiori tamen tota reliqua ciuitate, ſalubri ad ſanitatem cœlo, ſubiectæ vrbis præterlabentiſq; Rhodani aſpectu amæniſsimo: coëmpta eſt magnis impendiis ædificiorum multitudo ad totam ſtructuræ aream neceſſaria, & ſupremæ curiæ Gratinopolitanæ, (quæ mirè ſe erga nos oſtendit) decreto diruta, propriis dominis, accepta prius pecunia, non multùm repugnantibus : vna ſe religioſa familia firmiter aliquandiù oppoſuit, ægrè admodum ferens diſtractionem cuiuſdam domus, in qua publicum torcular ſitum habebat, aliquos ſingulis annis vindemiarum tempore fructus pariens; ſed diuina

prouidentia, ita ſuauiter omnia diſpoſuit, vt hac ſponte ſua collapſa, ipſi Religioſi vltrò eam obtulerint: datæ ſunt illis ædes multò commodiores, ipſorum Monaſterio continentes, ex quo vno coniicere eſt, quàm accepta ſit Deo huius nouæ domus ædificatio. Iacta ſunt magna ex parte fundamenta ea diſpoſitione, liberalitate, feruore, quæ magnam futuri Collegii molem, egregiam, & ad noſtras opportunitates mirum in modum factam, breui tempore conficiendam promittant. Milites duo, qui ſibi ſingulare certamen indixerant, & inire conſtituerant ob rixam in ludo, ſuperueniéte Sacerdote noſtro, magna contentione, reconciliatis animis in mutuam beneuolentiam datis dextris iurauerunt.

Excurſum eſt ab vno è noſtris in oppidum peramplum, ac frequens, Annonæum vocant, vbi media pars ciuium hæreſim profitétur, eò pertinacius, quò magis gloriantur, ſe totius Galliæ antiquiſsimos hæreticos, & Lutherum pri⁹ ſequutos, quàm Caluinum; is Miniſtrum huius loci iuueniliter exultantem intra foſſam vallumque cohibuit; aliquot Catholicam fidem ſunt complexi. Vn⁹ è præcipuis, & obſtinatiſsimis Lutheranis, in feſto Sancti Stephanis Protomartyris, templum ingreſſus concionantem noſtrum audiuit proximus Altari, omnibuſq; palàm, ſumma omnium admiratione. Verùm Miniſtri Caluiniani fulmina metuens, redire ſecúdò non eſt auſus. Præcipuus operæ fructus extitit ex collatione caſuum conſcientiæ, quam cum plurimis Parochis, & Sacerdotibus, cùm vrbanis, tùm ruſticanis ſæpius habuit.

COL-

COLLEGIVM EBREDVnense.

DEgunt Ebreduni Socii quatuordecim: ſacris rebus quinque: Humaniores Scholas cum Rhetorica docendi munere alii quinque, reliqui quatuor opera domi præſtanda occupati. Ex locata domo, in domicilium iamdiù Collegio deſtinatum, magno ciuium omnium Catholicorum plauſu, & lætitia, & non paruo hæreticorum dolore, hoc anno ineunte Octobri eſt cõmigratum, dolorem iſtorum augebat non parum, quòd Miniſtro Caluinſtæ, qui illud multos annos occuparat per vim, fuerit ex eo migrandũ, prius tamen vexatione redempta ducentorum aureorum ſumma. Alii ducenti ad reſtaurationem illius, à Reuerendiſsimo Archiepiſcopo noſtri amantiſsimo, & viro vitæ integerrimæ, pro ſuo in Societatem amore conceſſi Collegio, dùm ædificium, cuius iacta extant fundamenta, ad culmen peruenerit: iſtud & ſalubrius, & conſuetis vſibus noſtris longè commodius eſt. Fateor quidem aliis in locis concionum, aliorumq; Societatis miniſteriorum vberiores percipi ſolere fructus pietatis, hi nihilòminus in medio deprauatæ, & peſtifera hæreſon labe planè pleneque infectæ Regionis, non exigui videri debẽt. Reconciliati diſsidẽtes: iis qui Eccleſiaſticos fructus inique perceperant, remedium datum: adducti multi ad frequentiorem ſacrificii Miſſæ, & Sacramentorum vſum, potiſsimum verò pœnitentiæ & Euchariſtię; qui enim ſemel iterumuè ſingulis annis ea obire

con-

confueuerant,iam folemnioribus anni feftis,& pietatis ardore, & exteriori, interioriuè Reuerentia maiore ad illa accedunt. Multi, quibus ea res aut nulli, aut certè perexiguæ curæ ante aduentum noftrum fuerat, veram confefsionis rationem, non fine magno illorum fructu edocti, & mirum quãta iam cum diligentia, quamque accurata difcufsione peccatorum, animos confefsione foleant expiare. Ad Catholicam fidem ab hærefi adducti nonnulli; ex iis trium maximè pietas, & ardens ad Ecclefiæ vnionem animus illuxit: initium conuerfionis duorum fuit, quòd vnum è noftris concionatoribus falfa illorum dogmata, miferandafque opiniones à vera veri Doctoris Chrifti doctrina penitus alienas declarantem populo, (quod fieri folet fæpenumero) audirent: vtque nihil humanum eorum falutem impediret, aut faltem retardaret, vnus vt Catholico ritu inter Catholicos viuere poffet, patrem hæreticorum fautorem, alter herum præcipuum in his regionibus eorundem ducem & præfidem reliquit, amboque peregrinationem Romanam cum ingenti animi verè Catholici ardore, deteftandaque hærefeos odio fufcepere. Terti⁹ cum negotiorum fuorum cõmodo, vt opinnabatur, fectam hæreticorum fequeretur; non autem ex animo, tandem cum ferio illud Chrifti concepiffet: qui me negauerit coram hominibus &c. & nè periculum effet in mora, ad Catholicos fe adiunxit, & filium recens natum non modò permifit, fed voluit ritu Catholico facra baptifmatis elui vnda. Nec prętereundum puto vnius Adolefcentis è difcipulis noftris ad Ecclefiæ gremium acceffum. Is hæreticis natus

natus parētibus cum lacte hæresim imbiberat, missus ad Collegium studiorum ergò, tùm familiaribus nostrorum collocutionibus, tùm audiēda singulis hebdomadis semel in Sabbatho de more Catechismi, cui adesse iubentur ipsi etiam hæreticorum filii, qui Gymnasia nostra frequentant, explicatione, aliisque orthodoxæ fidei exercitationibus visis permotus, cœpit de relinquenda perdita sua secta, seriò apud animum suum cogitare, ipsoque die Ascensioni Domini nostri recolendæ sacro, ea abiurata, animum peccatorum suorum confessione magno cum animi sensu exoluit, iamque tanta cum alacritate ad rudimenta Christianæ disciplinæ addiscenda fertur, & in vtroque studio, pietatis scilicet & doctrinæ, tantum proficit, vt res sine spiritali gaudio spectari non possit. Ea est miseria & praua consuetudo ab hæretica peste inducta, vt in eadem familia diuersæ à patre, matre, filiisfamiliàs, marito & vxore sectæ colantur, mistique cohabitent, hicq; potissimum, nec permittatur Catholici liberè, quotiescunque volunt, solita Religionis nostræ ministeria exercere. Ex iis Catholica mulier viro hæretico matrimonii nexu ligata, suæ in Deū pietatis & inflāmatæ in sanctissima & Eucharistię pœnitentiæ Sacramēta, deuotionis præbuit argumēta non obscura, namque non semel summo mane, & absente ab vrbe marito, vnum è nostris Sacerdotibus vocari iussit, & elutis confessione peccatis, ad sacram Synaxim accessit, finitoque sacro, & gratiis Deo habitis, læta discessit domum. Alia in extremo vitæ discrimine constituta, ingenti cum animi pœnitudine septem annorum confessionem Sacerdoti

nostro

nostro aperuit, eaque absoluta non multò pòst animam Deo reddidit. Laborabatur magna rei familiaris angustia, nec certus vllus erat, quo angustię subueniretur, modus; en insperatò clara non defuerunt diuinæ prouidentiæ documenta. Quidam ciuis Nobilis in lecto decumbens, diuinitus motus, misso ad Collegium filiorum suorum pædagogo, pecunias, quas quæstori daturus erat, se nobis traditurum, si opus haberemus, vltrò significauit, sicque occursum est necessitati. Et hæc quidem in vrbe, quæ extra? Excurrere nostri toto anno in vicina oppida, nec irritæ fuêre excursiones: cum enim pauci sint extra vrbem Sacerdotes, mirum quanta nostri homines animos externorũ, ad quas excurrunt, afficiant lætitia, quantaque ab illis beneuolẽtiæ significatione excipiantur, apud quos tanta est de Societate æstimatio, vt nõnulli non obscuri nominis palàm ex animo afferant, malle se vnum è Collegio per paucos Quadragesimæ dies, quàm quosdam alios per totam Quadragesimam, quòd non nouerint se ad captum & fructum animorum accommodare. Cum turbæ satis graues inter Parochum & sibi commissos exortæ essent, publicus rumor erat, si Iesuita ad eos accessisset concionaturus, vt speratur, ni iniuria temporis obstitisset, nunquam eiusmodi discordias natas, ad quas sedandas idem ille è nostris tandem vocandus fuit, quò præsente omnia composita sunt sine magna difficultate. Missus est feriis Natalitiis vnus è nostris ad oppidum vicinum, à quo frustra non est laboratum, siquidem Catholici in fide confirmati, & ad studia pietatis, ardoremque Religionis non mediocriter inci-

incitati ſunt, & ferè plerique omnes vltrò, magnoque peccatorum admiſſorum dolore percepto, animos confeſsione expiarunt, eosque Sacro Christi Corpore refecerunt. Sperantur indies ſemper Deo fauente, vberiores fructus.

COLLEGIVM CARPENTORActenſe.

QVindecim, tantùm, vt in noua familia, fuimus: Patres ſeptem, vnus ex his Rhetoricā docuit. Præceptores alii quatuor; totidem Adiutores.

Promouentur feliciter res, licet modò ſurgentis Collegii: habitæ Catecheſes in primo templo, non modò teneræ, ſed etiam prouectæ ætati periucundæ, magno concurrentium parentum ac liberorum fructu. Inuitati ad cogendam Deiparæ Sodalitatem Scholaſtici, plures conuenêre, quàm admitti potuerint. Amplior aula dicata Deo, & erecta in Sacellum: ex omni ordine frequens multitudo ad pænitentiæ Sacramentum accurrunt, etiam ex vicinis locis permulti. Ab Epiſcopo miſsi ſunt ad nos nonnulli, vt hæreſim dediſcerent, & fidem Orthodoxam caperent. Iuſtitiæ munere perfuncti qui deberent, reſtitutione facta. Primarii Venayſini comitatus viri, ad pacem & amicitiam è diſsidiis adducti; vrbis liberalitate conſtratum tabulato lapide impluuium: ſubſtructa camerata porticus ſuperiori & inferiori Odeo, & ornata & vtilis. Extructum Collegium Scholæ, creſcēte docili iuuentute, ſatis complent.

DO-

DOMVS PROBATIOnis Auenionensis.

SOcios excoluit Auenionense Tirocinium duos supra quadraginta, nec non etiam plures interdum: In his lectissimi floris Adolescentes non pauci. Adauctior hîc, augustiorque numerus, animorum quoque extulit, atque exacuit alacritatem. Mirum quantum magnanimitatis specimen in singulis Probationis officiis præbuerint vniuersi. Exempla, quia rerum vulgarium, quanquam non vulgaria, breuitati seruiēs, prætermitto.

Duas certè quasi tragœdias, etsi extra tirocinii nostri parietes, etiam superioribus annis actas, quoniam isto, quo scribimus, exitus habuerunt ad exemplum memorabiles, non sine aliqua posteritatis iniuria reticuerim.

Adolescens genere simul animoque Nobilis, Societatis ineundæ flagrabat desiderio. Id subodoratus parens, vrbem tacitè ingreditur, interceptum domi coërcet, in castrum, quod non longè incolebat, mox abducturus: vtrimque certatur egregiè; reque tandem ad Prolegatum traducta, parens octiduū dūtaxat deprecatur, nostris ipse, si propositi tenax esset, vt fingebat, redditur⁹. Interim dùm spe fugæ fessus miles moras trahit, subitò abripitur. In castro primùm omnia cupiditatum lenocinia experiri, tùm Parisiis, tùm Romæ. Nihil tàm firmum, quod crebra non deiiciat machina: animum cum cœlo mutat. Sed Deo fœcundam sanè atque ingenuam

nuam familiam prosequente, dum ille fugitiuas mundanorum saltuum feras venatur, tertius ab ipso germanus patris maximi benedictionem occupat, primogenitumque supplantat, commutatione non pœnitenda. Hic se Societati adiunxerat cũ redit frater, haudquaquam ille qui prius: attamen Deus non irridetur. Gestit parés, sed perbreuis hæc ipsi fuit tantæ mutationis expectatio. Pauculos menses domi versatus erat, quum suspicione potius, quàm vllo certè Adolescentis vitio, incitatus mulierosus nescio quis, Christi desertorem cum armatis aggreditur, eumque in ipso pagi aditu, in ipso fatalis castri vestibulo, sceleratissimè contrucidat. Res mira! variæ variis explosæ catapultis glãdes, quæ asseclis quatuor, qui sedentem circumstabant, extremum exitium afferre debuerant, irritis cæteris, duæ in ipsummet Adolescentis cor truculenter conspirant, eiusque spiritum à corpore, & ab aduolantis ad tumultum parentis sinu, in momento seiungunt. Tiro noster id dùm rescit, ô Dei iudicia! inquit, si Societati nomen dedisset, & parenti viueret, & Deo.

Non absimilis alterius Adolescentis, aliàs sanè omninò egregii luct⁹. Is dùm in inferioribus scholarum nostrarum ludis pueritiam deponit, incredibili calculi sensu miserrimè torquetur; vix se voto Societati adstrinxit, quum præsentissima B. Patris Ignatii, quam implorauerat, ope subitò sic recreat⁹ est, vt illas deinceps radicati iampridem morbi tædas nunquam persenserit. Adolescentior igitur factus, vt voti compos fieret, ad parenté, virum magnæ authoritatis, benedictionem imploraturus mit-

titur. Sed domi primùm variis illecebris, tùm foris sacer ignis extinctus, antiquas dolorum flammas excitauit: redit calculus, ac nè fœnus deesset, accedit tàm acris tàmque fœda neruorũ labes, vt nunc pedem alterum altero longiorem, nunc semicubito breuiorem, reciproca contractione crearet, ac de coxendice præscindenda medicorum sit habita deliberatio, iamq; effœtus Adolescens, ad lignea subalaria redactus, neglectæ pœnas luat Religionis.

DOMVS PROBATIONIS Lugdunensis.

VIginti tirones Domus hæc excepit, sexdecim in varia Collegia dimisit. Omninò triginta tria capita numerauit, in his tres Patres, duos Fratres Adiutores veteranos, reliquos tirones.

Horum vnus solidè parentibus se nuntium remisisse probauit, nam cognato datus ad priuatum colloquium, audiens prima fronte sibi offerri pecunias, ad euadendum clanculum, ab eo auersus, accessit ad Patrem, cum alio quodam loquentem in secessu remoto, & cum vix sermonem inchoasset, dixit se satis superque protraxisse colloquium, atq; valedixit. Idem factus clauiger domus, per fenestellam ianuæ turbam suorum Prouincialium cum litteris conspicatus, omnibus penè in Collegium nouitiis digressis, ad alterum, qui fortè residuus erat domi, citato gressu contendit, & exorat, vt clauibus sumptis prostãtes ad ianuam externos, quo rum-

rum vultum fugiebat, alloquatur & dimittat. Alius veste culinaria sordidissima indutus, iussus alia meliore sumpta ad ianuam pergere, & suos alloqui, confestim ad genua Patris prouolutus, obsecrat vt lacera opertus lacerna suis se videndum prębeat, quod licet permissũ non sit, quia nõ expediebat, tamen insignis abnegationis exemplum datum. Peregrinis nostris diuina prouidentia fauit; fauit & Catechistis liberalis pietas alicuius ciuis Lugdunẽsis, cum enim videt eos imaginum penuria laborantes, quibus puerorum contentionem exsuscitent, imagines coëmptas ad nos mittit, quá singulis diebus Dominicis pueris puellisque diligentioribus dispertimur.

Nicolaus Malaualeta non mediocris expectationis Adolescens, exacto cum concionatore maximi Ieiunii tempore, solita etiam peregrinatione functus, febre propè continua consumptus est, piè votis nuncupatis, & relicto singularis patientiæ exemplo. Duo item alii medicorum consilio in patriam remissi, vt valetudini suæ consulerent, tandẽ emissis coram Sacerdotibus nostris votis, vita migrarunt. Postremis demum anni mensibus, vnus diù cum pertinaci morbo colluctat⁹, suadente nouitiorum Magistro, voto in honorem Deiparæ facto, molestissima infirmitate leuatus est.

Quinque millia Francorum, quæ nobis ex legato D. Laurentii Malescotii Canonici Aniciensis anno superiore assignata fuerant, sententia Iudicis depositarium numerare coëgit, atque ita opportunè, vt si vna hora serius pecunia numerata esset, prolixioribus litibus eramus impliciti; sic pręsẽs

nobis Numen adfuit. Ex hac pecunia aliisque eleemosynis villa vno milliari plus minus Lugduno distans empta, ad honestam animi recreationem commoda, & ad prouentum remque familiarem fructuosa. Par huic altera villa in Aluernia, beneficio cuiusdam è nostris Patribus nouitiatui attributa: vtraque alendis non paucis tironibus fructus suppeditabit. Datus etiam calix argēteus inauratus, casula holoserica, & nonnulla vela linteaque ad altaris vsum ornatumque. Domestica commoditas procurata, ædificatione Xisti ad fastigium domus pertingentis, quo tribus pergulis infima, media, & suprema, ab vna ædium parte ad aliam quadraginta circiter passuum longitudine commodissimè transeamus. Ad hanc fabricam quingenti aurei collati; Sacellum nostrum media ferè parte ampliatum, atque ad faciliorem nostrorum & externorum vsum accommodatum.

AN-

ANNVÆ LITTERÆ PROVINCIÆ TOLOSANÆ SOCIETATIS IESV Anni 1608.



Olosanam Prouinciam nunc primùm damus, veteris illius Aquitaniæ in duas diuisæ membrum alterum: quæ domiciliis decem partim à prima sua matrice, partim à Prouincia Lugdunẽsi desumptis constituta, Socios numerat ducentos quadraginta septem. Sacerdotes octoginta quatuor: Studiosos septuaginta quinque: Coadiutores octo supra quinquaginta. Tirones triginta. In Collegio Tolosano versantur sexaginta nouem: Sacerdotes viginti, è quibus duo Scholasticas de Theologia quæstiones explicant, vnus casus ad cõscientiam pertinẽtes pertractat. Philosophiam duo: Græcas litteras alius profitetur. Sacris nondum initiati triginta quinque censentur, Ex eorum numero Philosophiam vnus, sex tradũt Humaniores disciplinas. Theologiæ studio decem, Philosophiæ duodeuiginti occupantur, quatuordecim res domesticas administrant. In Billomensi duo & viginti degunt. Sacerdotes nouem, Humanitate iuuentutem erudiunt Magistri sex. Coadiutores ad externa ministeria septem. In Mauriacensi vndecim, Sacerdotes quinque, docendi munus exercent tres, totidem res domesticas curant.

In Rhutenensi duodeuiginti numerantur, Sacerdotes octo, quorum vnus Philosophiam profitetur.

Scholas inferiores moderantur quinque: totidem domesticis ministeriis inseruiunt. In Auscitano viginti, Sacerdotes octo: In his Philosophiæ Magister vnus. Professores Humaniorum litterarum quinq;. Præfecti munus obit alter nondum sacris initiatus, reliqui sex operum sunt Adiutores. In Aniciēsi quatuor supra viginti. E Sacerdotibus decem vnus cas⁹ conscientiæ, duo Philosophiam docent. Humanitatis Magistri sex, octo opera domi præstāda occupati. In Bitterensi viginti tres, Sacerdotes nouem, ex quibus vnus casuum, alter Philosophiæ Professor, Magistri quinque, tres Rhetoricam audiunt. Sex domesticis opportunitatibus inseruiunt. In Cadurcēsi duodeuiginti, septem Sacerdotes, quos inter vn⁹ Philosophiæ docendæ vacat. Litterarum Humaniorum Professores quinque, alter Procuratorem agit nondum Sacerdos. Cæteri quinque rerum domesticarum sunt Administri. In Residentia Albenacensi commorantur quinque; Sacerdotes tres, quibus tres duo Coadiutores administrant. In Domo Probationis Tolosæ triginta septem capita censa sunt. Et quidem Sacerdotes quinq;, quorum duo tertium Probationis annum exigunt. Duo veterani sunt Coadiutores, reliqui tirones. Nullus per hunc annum desideratus est præter vnum, ita Deo penuriæ nostræ bene consulente: admissi tamen qui suppetias in tanta colendorum agrorum vbertate ferrent, septemdecim.

COL-

COLLEGIVM TOLOSA-num.

DIsiunćta ab Aquitanis Occitania, iam Prouinciæ caput eſt hoc Collegium, & Theologiæ ſeminarium. Hæreſim viginti, in quibus tres Nobiles recenſentur, ſanćtè eiurarunt. Vnius illorum memoranda conuerſio, qui tantum peſtilẽtis erroris dolorem atque odium conceperit, vt incredibili deſiderio grauium pœnarum acerbitatem ſitiens, quadragenarii Ieiunii Eccleſiaſtici diebus, cibum ſemel tantùm in die ad horam ſecundam pomeridianam capere, & ab omni piſcium genere temperare, extorta precibus à confeſſario facultate, voluerit. Alius ancipitis fidei fluctibus iactatus, ſacræ confeſsionis, quam antè necdum attigerat, iactâ anchorâ in Catholica fide quieuit. Mali genii laqueis expedita iam irretiti firmiter agricolæ ſimplicitas. Is integerrimam Dei Parentem ſingulari quodam pietatis affectu complectebatur. Hanc religionem peroſus communis hoſtis, ruſtico innocenti, funale geſtans, Domini ſui, qui nuper è viuis abierat, vmbram mentitus, vno & altero conſequenter anno, ipſo Aſſumptæ Virginis peruigilio ſe vidẽdum præbuit. Sed hic acceſſu primo tantoperè exhorruit, vt in vultum pronus, oculoſque manus diligenter obumbrans, nec præſentem videre ſuſtinuerit, nec audire loquentem. Non deſtitit tamen hac repulſa veterator impudentiſsimus, verùm ſecundò clàm & furtim adrepens, albis indutus veſtibus, & molliter arridens, infami oſculo hominem in area ſedentem

impertitus, thesauri latentis indicandi gratia se aduenisse nuntiat, præeuntem vt sequatur, imperat. Hic scilicet, deterso metu, nummis inhians auara rusticitas, caput aurésque tollere, oculos aperire, præstigias non sentire, ducem sequi, designat fraudulentus index locum defossæ, vt mentiebatur, pecuniæ, defodit rusticus, fictilem vrnam corio vestitam eruit: pecuniam tractat, probat, partem aliquã in suos vsus depromit, numeratam in latebras alias recondit. Successu fretus importunissimus dolorũ artifex, per causam pietatis, simplex illud caput in fraudum suarum laqueos impeditius induere meditatur. Pœnas, quas vmbra nimirum ficta tolerat, & tormenta clienti commemorat: horum liberationem, ad mõtem Serratum peregrinatione suscepta vt impetret, iubet: certum sacrorum illic & alibi faciendorum numerum indicit, mandatum arripit rustica pietas, ad nostros adit, vbi solẽnes hostis fraudes exemplis edocetur, vt ab impostoris inferni dolis caueat, admonetur. Ridet ille, & suæ sententiæ mordicus tenax, serena fronte data consilia despicatur. Igitur pœnitentiæ lauacro peccatorum sordibus elutis, cœlesti cibo refectus, ad suum illud iter religiosè obeundum se comparat, cum lætus & incolumis expletis pietatis officiis rediisset, fidem nobis dedit, se quindecim dierum spatio thesaurum repræsentaturum, sed nondum eam liberauit, nimirum diurna nocturnaque spectra formidoloso cursu & recursu obuolantia, suam illi adumbratam lætitiam & personatam felicitatem breui ademerunt. Nec tamen ex tàm claris & euidentibus signis hostiles dolos colligere poterat, bene se nummatum

& pe-

& pecuniosũ ratus, nundinas vmbratili pretio & inani pecunia mercaturus, armenta impigrè circumcursabat, quin etiam nonnullis sociis, vt ipsi affirmabant, refertum nummis sacculum ostendebat, tamẽ multa licitatus nihil vnquam præstinauit. At dæmon commodam iamdudum opportunitatem præstolatus, fictæ pecuniæ cognitionem reformidans, si illius vsu frui commodè velit, infantem filiolam crudeliter iuxta & impudenter deposcit. Hic illi tandẽ lux diuinæ bonitatis affulsit, & se colligens, columbina specie tartarei scorpionis caudam in feralem plagam intentam, non dubio planè, vt arbitror, Virginis Matris, quam coluerat, beneficio defugit. Duo Scholastici Capucinorum instituto se adiunxerũt. Liberalior tamen fuit vtraque Parthenia Sodalitas; maior enim duos aut tres etiam Capucinis, minor quaternos quinosuè variis Ordinibus transmisit.

Ex partitione Prouinciæ nobis obuenit Missio ad Montem Pessulanum, quam prius Lugdunensis Prouincia curabat. In qua licet cultore mutato, non est tamen in deterius seges immutata. Cõuersi quippe ad fidem viginti duo: confirmati duo, qui penè conclamati erant: inter quos vnus vir bene litteratus, quem liberalitas Domini Episcopi sustentat.

COLLEGIVM BILLOMENSE.

Amisit Billomense Collegiũ P. Gerardum Portalẽ, qui morbo iam multis ab annis corpus depopulante ducebat ægrè animam, vir egregiè animatus in proximorum salutem, quibus cum

perenni memoria sui desiderium reliquit. Vnus qui eodem vitæ inter tela & enses conseruandæ studio propinatam à mago instar potionis medicæ chartã stygiis characteribus notatam, cum nescio qua Tartarea commixtione hauserat, huc ad nos conuolauit. Quanquam nulla ferè ab hæresi purgatior est Galliarum Prouincia quàm Aruernia, octo tamen hæreticos cum Ecclesia nostri conciliarunt, vnum è Germania industria & ingenio nobilem.

Institui cœpta est in vrbe Sodalitas matronarum, pauperibus, ægris, & carceri mancipatis, præcipuè subleuandis addicta. Altera item in oppido quodam Beatæ Annæ titulo sacra, legibus & institutis stabilita. Tertia verò duodecim Apostolis deuota in oppido alio confirmata est. Ex quibus omnibus Sacramentorum frequentatio, Misericordiæ opera, mutua ciuium charitas, aliique fructus sperantur. Vir Nobilis religionem in Adolescentia professus, & primis etiam sacris Ordinibus initiatus, abiecto Religionis habitu, & in militarem commutato, etiã Religionis animum abiecerat, & multis pòst annis ad nuptias conuolarat: sed iam seni & cum flagitiis inueterato lux diuinæ benignitatis affulsit, elutis enim, non sine lachrymis vbertim manantibus vitæ suæ maculis, quid opus factu foret edoctus, ad executioni demandanda consilia voluntatem paratissimam præseferens, dimissus est. *Miraculi* speciem habet quod subiungam. Vir Nobilis nostri precibus flecti non potuerat, vt cum inimico rediret in gratiam: Postridie graui corripitur morbo, coguntur medici, in illis hæreticus erat quidam: ac cum morbi causam & vim quauis diligentia periti medici inuestigas-

ſtig aſſent, eorum induſtriam feſellit morbus, & iam penè cum morte conflictabatur æger, cum cauſam ipſe morbi diuina luce præuia melius indagans, impeditæ illi pridianæ conciliationi culpam adſcribit: noſtrum reuocat, eius ſe poteſtati permittit, Sacramentis munitur, (mirum dictu) medico obſtupeſcente hæretico, quaſi morbi cauſa non alia extitiſſet, illicò priſtinæ valetudini fuit reſtitutus.

Studioſi ad mille numerantur, vt ipſis ferme ducentis numerus auctior hoc anno factus ſit. Exciuit eos maximè Pædagogiorum inſtitutio, qua Scholaſtici omnes in domicilia vix duodecim coacti ſunt, quæ ſingula ſingulis reguntur Pædonomis, qui P. Præfecti curæ, & vigilantiæ ſubſunt omnes, vt ferè non diligentius in claſſe Scholaſtici, quàm domi ad litteras & virtutes ingenuas inſtituantur. Sed exilio noſtro in multis Pædagogiorum inſtitutio vetus erat labefactata; & quæ eſt inolitæ ſemel conſuetudinis improbitas, neque dùm potuerat reſarciri, donec R. P. Viſitator coactis in vnum Pædonomis, leges deſcriptas recitari, & in domiciliis ſubinde legendas iuſſiſſet affigi. Dici non poteſt, ex eo quàm non inuita iuuentus libertatis alioqui ſtudioſa, illo regularum ſepto clauſam ſe contineat.

COLLEGIVM MAVRIACENSE.

MAuriaci in quarta claſſe cœpit docere vnus è noſtris Patribus, id impenſius flagitantibus oppidanis, & latè circà incolis, cum antea externus Ludimagiſter rudimentarios erudiret, &

ret, & quidam ſtrenuè & impigrè. Sed enim infinitum quantum intereſſe exiſtimabant, apud quos ſui tirunculi rudimenta Latinitatis & pietatis Chriſtianæ ponerent. Alterum ædium Collegij membrum, quod publicis impenſis ſanè commodum extruitur, ad tectum iam perductum eſt, adeò vt in nouas ſedes & claſſes ſuas Muſæ commigrauerint, cum incommodè & longè extra Gymnaſii ſepta in ruinoſis tuguriis habitarent. Fuit & iam in recens excitato ædificio ſuus nouo Sacello locus, interim dùm pari claſsibus reliquiſque ædibus ſtructura exædificatur. Sacram eius ſuppellectilē certatim multi pro ſuis copiolis augere & exornare contendunt. Hic eſt rerũ domeſticarum ſtatus, foras verò ad pagos vrbeſque viciniores miſsi frequenter noſtri, cũ manipulis lætantes reuerſi ſunt. Sub diem Chriſto reſurgente Glorioſum, alii aliò dimiſsi cum eſſent, Sacerdos vnus vno ex Magiſtris comite, Argentoratum, oppidum & Caluinia tabe infectum, rogatu quorundam Catholicorum profectus eſt. Illic aduentu Patris noſtri Catholici omnes plurimum recreati, Caluini contra ſectatores, & ipſe veneni Caluiniani Miniſter atque propinator, non mediocriter perturbatus. Sed videat hæc peccator & iraſcatur, dentibus ſuis fremat & tabeſcat, non deſinemus certè, Deo nobis vires & animos ſubminiſtrãte, Tartarearum poteſtatum copias, quando ſemel delere non poſſumus, minutatim carpendo paucitate noſtra infirmare. Concionatus eſt in ſemiruto templo, magna frequentia & concurſu, multas multorum confeſsiones audiuit, in iis Matronæ cuiuſdam hæreticæ, quæ decennio toto, nimirum ex quo à fide

Ortho-

Orthodoxa desciuerat, confessa Catholico ritu non fuerat: quam meliora sequentem, & ad suos olim desertos redeũtem, Catholici omnes magna gaudii charitatisq; significatione complexi sunt. Cõtigit etiam ex Patribus nostris vni, cum ad funebrem orationem in anniuersariis honesti cuiusdam viri iustis habendam, Trisacum (oppiduli nomen est) missus esset, vt multarum concionum & reconciliationum segetem nancisceretur. Itaque à mortuis & absentibus ad viuos videntesque sermonem conuertit, & semel atque iterum de odiis deponendis, & amicitiis redintegrandis verba publicè fecit, exitu felici, qui Deo sit laus, consequuto: Etenim octo viri, mulieresque dissutas amicitias resarserunt. Alteri pariter è nostris Patri dimissa concione abeunti, spectaculum accidit gratissimum. Nam curriculo illum vir rusticus subsecutus est, assecutusque iam longi⁹ prouectum, è vestio ad agelli maceriem audiri sua peccata postulauit, &, vt merebatur tàm sincera pietas, impetrauit.

COLLEGIVM RVTHENENSE.

Instituta hocce primum anno quadraginta horarum supplicatio, triduo Bacchanaliorũ, insolentiam temporis ita compresit, vt vix vllæ laruæ comparuerint, & cum paucæ prodiissẽt, pedem referre sint coactæ, quòd penè nullos haberẽt spectatores, & ab occurrentibus exploderẽtur, atque, vt positis laruis ad Iubileum pergerent, piè admonerentur. Videbatur potius tota ciuitas in Sacello

noſtro ſacris operari: refecti enim ſacro epulo ad centum ſupra mille. Septem ex primariis inter canonicos expetiere, vt ſæpius illis diebus facerent in noſtro altari: alii ex eodem cœtu nondum Sacerdotes ſacræ Synaxeos ſunt participes effecti. Pietatem non modicè auxerunt & illuſtrarunt frequentes ſupplicationes, venerandi imprimis Capituli Eccleſiæ Cathedralis, tùm ciuitatis Magiſtratibus, tùm aliarum parœciarum trabeatis conſulibus, nec non Ordinibus Religioſis & pœnitentium Sodalitatibus, cum frequenti populo celebri pompa ſubſequentibus. Neque verò pœnitentium eò ſe continuit pietas, vt ſemel adunato Sodalium vtroque cœtu Sacellũ frequentaret, placuit enim vt ſecundò quælibet Sodalitas, ſeiunctim per horam, ſupplicatum rurſus conueniret. Vbi ſemel atque iterum inter preces, exardeſcēte nimirum pietatis flamma, acriter in ſua terga ſæuierunt. Supplicationes aliæque frequentiores conciones exceptæ, appoſitis cohortationibus, & muſico vocum organorumque concentu, quibus ita demulcebantur aſtantes, vt plerique per horas plurimas, aliqui etiam diem integrum ieiuni pietati ſubſtitiſſe memorentur. Atque in hoc genere pietatis nihil præter amplius templum ab vniuerſis deſideratum fuit. Cum plerique ex honoratioribus ciuibus ter quaterque ingreſſu Sacelli eodem die, ob confluentium multitudinem, fuerint prohibiti. Reliquo anni tempore præſertim ſolennioribus feſtis, vt die Ieſu Circumciſo celebri, maior ſolito numerus ſacra frequentantium obſeruatus. Complures ex remotis locis, & Parochi conſilii cauſa, & alii cōſcientiæ extricandæ vel expiandę gratia, ad nos ventitarunt.

titarunt. Catechesim in altero vrbis templo ab anni interuallo repetitam maior concursus auidus excepit, eamque Coss. ipsi trabeati suâ præsentiâ aliquádò cohonestarũt. Exercitia spiritualia tantâ præ cœlestibus gaudiis lachrymarum suauitate, tantoque fructu delibarũt aliquot Ecclesiastici, vt non solùm deinceps quotidianis institerint meditationibus, sed etiam plures & exemplis, & colloquiis ad easdem delicias allexerint. Iacta sunt ex altera parte tẽpli fundamenta, & accessit ad rem domesticam emptum prædium fructuosum iuxta ac vicinum Priotui nostro suburbano Sancti Felicis. Numerus Scholasticorum tantus fuit, vt cum eis capiendis non esset locus, in areâ subsistere multi cogerentur. Sed, vt huic incommodo prouideretur, exædificata est classis in aptiori loco, quæ etiam futura sit vsui declamationibus menstruis, ac desuper aula Sodalitio maiori aliisque vsibus percommoda, quo etiam factum, vt disturbatis veteribus ruinis, area duplo ferè amplior venustiorque redderetur. Ad hanc ædificationem adiumenti nonnihil publica Prouinciæ Comitia & Parthenici Sodales contulerunt. E nostræ disciplinæ alumnis in familias Religiosorum varias, idem rerum diuinarum amor quinque transmisit. Duo in Diui Francisci obseruantiam, in Capucinorum, Carthusianorum, & Minimorum familias singuli allecti. In minori Sodalitio vsus inuisendorum Xenodochiorum, ibiq; lectos sternendi, nostrorum præsertim exemplo, veluti postliminio reuocatus, in quo genere Christianæ pietatis exercendo prælucebant, qui nobilitate & eruditione inter Scholasticos præibant.

In Missione Aureliacensi (vrbs ea est in superiori Aruernia) Sacerdos è nostris cum socio septem menses versati. Magna frequentia Ecclesiasten agẽs noster è superiori loco auditus est. Feriis enim Aduentus, & verni Ieiunii octingenti supra mille dieb⁹ profestis, festis verò quatuor mille Auditores recensiti sunt. Bacchanaliorum lasciuia inde à Natalitiis petulanter insolescens, freno pietatis coërcita, & praua consuetudo post Carnispriuium etiam in sex dies debacchandi, diuini verbi semente, non sine õnium stupore præfocata, multi statim à concione de cruciatibus diuitis epulonis pronunciata, malè parta restituerunt. Cacoëthes vsuræ, quæ ita grassabatur, vt tertio quoque mense immaniter extorqueretur, salubriori lucri legitimi cõsilio magna ex parte curatum. Vnus ab hæreseos naufragio in portum Romanæ Matris Ecclesiæ liber euasit. Nec minor fuit virtus parta tueri, & labantes animos suffulcire, tùm maximè, cum Presbyter postridie ad Caluini castra defecturus, nostri Sacerdotis industria non solùm nefarium consilium abiecit, sed etiam de tota vita ritè confessus, mores in melius commutauit. Nobilis item fœmina, quæ sub patris hæretici velut libera custodia seruabatur, cautè Sacramento confessionis (parente alia omnia cogitante) in firmo fidei proposito confirmata. Moniales piis colloquiis & adhortationibus ad profectum in spiritu concitatæ. Doctrinâ christianâ non solùm pueri, excitantibus maximè præmiolis, sed etiam grandiores natu, rudes tamen, à socio Patris sunt eruditi, cum omnium fructu & voluptate, nec non primorum vrbis, qui sæpius intererant, gratulatione.

COLLEGIVM AVSCITAnum.

HOc primum anno in hac vrbe cum Deo cœpta eſt fieri quadraginta horarum ſupplicatio, tāto omnium Ordinum ætatumq; concurſu, & pietate, vt vna eſſet omniū vox, nos ſuperiora Bacchanalia, quibus antea liberis habenis omnis impudentiæ licentia effundere ſeſe conſueuerat, in ſanctiores maioris hebdomadæ ferias commutaſſe. Præiuit exemplo ſingulari ouibus ſuis vnicę religionis Archiepiſcopus D. Leonardus de Trapes. Nam & proceſſuras omnium Eccleſiaſticorum & cœnobitarum ſupplicationes in dies & horas ipſe diſtribuit, in Sacello noſtro quoque die fecit, & primus ad populum de inferiori loco concionem habuit, quater in eandem ædem ſolenni ſupplicatione proceſsit, ita namque inſolenti nouæ pietatis ſpectaculo afficiebatur, vt penè ſui immemor, diuelli ſe inde duabus per diem horis vix paſſus ſit, ſub primā verò noctis facem ſtatim à cœnâ cum familiâ totâ & muſicorum cœtu rediret, tacitiſque precibus fundendis, aut proſoluendo cum domeſticis Sacerdotibus officii diurni penſo, ad mediam inibi noctem indefeſſus perſtaret. Hanc piam ſui Præſulis aſsiduitatem & admiratus & imitatus eſt populus. Inprimis vir pius & doctus D. Vedellius Fageti Abbas, qui pro concione lubēs de ſuggeſtu noſtro verba fecit. Prodiit tunc è Collegio noſtro, omnium Scholaſticorum ſupplicatio, bini terniuè progrediebantur, cereum manu prætendentes, è quibus duodecim An-

gelorum ſpecie viſendi,paſsionis Dominicæi nſignia ſingula ſinguli geſtabant. Mirata eſt ciuitas tota non pia cantica, quibus viæ perſonabant, quanquã illud quoque antè inauditum, ſed mutatas in illam modeſtiam & pietatem perſonatorum quondam petulantiſsimas diſcurſiones, bacchantiumque proteruias. Viſi certè ſunt non pauci per hos dies viri grauiſsimi, præ animi voluptate & gaudio vbertim lachrymantes. Idem Reuerendiſsimus Antiſtes vnâ cum aliquot è Canonicis, ſuum erga nos animũ die Circumciſo Ieſu ſolenni prodidit: quo die à nobis prandio exceptus, & veſpertinis horis in Sacello noſtro recitatis religiosè interfuit, & concionatorem noſtrum audiuit perhumaniter. Eiꝰ diei celebritate factus eſt ad noſtram ædem concurſus, quantus antea nũquam. In ea nobilitas è vicinia plurima, quam è variis hinc inde locis non modò celebris feſti diei ſolennitas, ſed peccatorum etiam ad pedes Sacerdotis doponendorum voluntas, in vrbem acciuerat. Numerauimus, qui in noſtra æde eo die cœleſtibus epulis refecti ſunt, octingentos. Hæreſim eiurarunt duo, ex his vnus plus annos quadraginta Caluinum ſecutus fuerat, alter vbi cum Eccleſia rediit in gratiam, tanta perfuſus eſt internæ lætitiæ voluptate, vt alium planè ab illo ſe eſſe prædicaret. Hoc ſingulare habuit vnius publica profeſsio, vt quo ipſe palam fidem profeſſus eſt die, omnes nobiliores oppidi Matronæ, quaſi in gratiarum actionem, ad ſacram menſam acceſſerint. Alios præterea, quibus abnegandæ hæreſeos diuinitus iniecta mens erat, ad nos ſubinde miſit Reuerẽdiſsimus Archiepiſcopus fidei Catholicæ myſteriis imbuendos. Piarum iconum, aquę lu-

ſtralis,

ſtralis, & ſacrarum Reliquiarum quidam in magnis morbis opem experti ſunt præſentiſsimam. Piis B.P.N. commentationibus inſtituti, Nobilis vnus, Eccleſiaſticus alter, vterque non pœnitendâ fruge. Viget vtriuſque Sodalitii Deiparæ Virginis ad omnia Religionis officia recentiſsimus ardor: maioris quidē liberali charitate perfectū, vt ptochotrophii lectis, lectorumque ſtragulis detritis & obſoletis alia ſubſtituerentur. Ex eodem ſinu prodiit ad Capucinorum regulam vnus. Fœcundior hoc anno fuit minor Sodalitas, quæ tres eidem familiæ peperit. Virgo mater illorum ſibi acceptā eſſe pietatem hoc exemplo maximè comprobauit. Vnius è maiori Sodalitio pater, ex morbo repentino tantùm non agebat animam: accurrit pius filius ad Sacerdotem noſtrum euocandum, qui ſaltem moribundum patrem à culparum ſuarum vinculis exolutum, in æternam libertatem emitteret, feſtinus aduolat noſter, ægro de tota vita confitenti aures præbet, filius interim, licet à medicis conclamatū eſſet, non prius domum reuertit, quàm ſpei plenus de via deflecteret ad proximum templum, vbi prouolutus in genua, cœleſtem medicum adhibens ritè concepto ꝓ ſalute patris voto, B. Virgini Garrazoniæ ſe peregrinum vouet: & confeſtim quaſi de patronæ ſuæ prę-ſidio ſecurus, exurgens patrem reuiſit, quem ſanū ac valentem, ac cum Sacerdote impetratum erga ſe Dei beneficium cum gratiis extollentem, offendit. Idemq; voti reus, quò ſe illo piè quamprimum exolueret, poſtridie viam aggreſſus eſt. Poſterioribus Quadrageſimæ hebdomadis conuenerunt in hanc vrbem ad Archiepiſcopū ſuum Suffraganei, de cer-

tis Cleri negotiis Lutetiam homines idoneos allegaturi: ſinguli à diſcipulis noſtris vario carminum genere ſalutati ſunt, & omnes ſimul paſtorali dramate publicè excepti: quod quantoperè ſibi eſſet gratum, & vultu & verbis prolixè ſignificarunt.

Reuerendiſsimus Præſul, dùm paſtorali diligentia diſgregatas per ſuã diœceſim oues luſtraret, Sacerdotem vnum è noſtris comitem & adminiſtrum delegit. Pronunciabat ille de morbo & præſcribebat, noſter mandata exequebatur, & curationem ex præſcripto adhibebat: ita duodenos in hæreſim ante proiectos, in Eccleſiæ gremium admiſit Archiepiſcopus, quos prius Chriſtiana Catecheſi Pater inſtituerat, & ad ritus Catholicos efformarat.

Erat in domo, liberalitate Nobilis fœminæ Collegio nuper attributa (Mirapeſiũ ei nomen eſſe litteræ ſuperioris anni recitãt) hæretic⁹, qui cõtumaciã nouatoribus noſtris innatam diuturna teſtatus erat puicacia, is tandem inter Sacerdotis noſtri man⁹, publica omnium congratulatione iuxta ac admiratione, perfidiam hæreticam abiurauit, iamque eiuſdem ſuæ ſalutis auctoris hortatu, non ſemel pœnitentia purgatus, Euchariſtico cibo paſtus eſt. Secuta eſt exemplum in oppido vicino mulier Caluiniana. Die Aſſumptæ Virgini ſacro, nouo prorſ⁹ exemplo, Mirapeſienſes plerique, haud dubie noſtrorum tùm familiaribus colloquiis, tùm concionibus animati, ad ſacrã Synaxim, ritè peccatis expiati, acceſſerunt.

COL-

COLLEGIVM ANICIense.

ANicii feriis antecineralib⁹, quibus hominum impunitas impuritaſque in omnem laſciuiã petulanter inflammata debacchatur, repreſsi inſolentiores illi tumultus, indicta quadragenarum ho arum ſupplicatione, tantum enim auctoritatis habuit Chriſti Corpus propalàm collocatum, & aſſiduæ piorum ad diuinam Maieſtatem comprecationes, vt illas intemperias non in hunc annum modò ſopitas, ſed in perpetuum extinctas ominemur. Incredibilis fuit ad nos toto illo triduo continenti, tùm ciuium, tùm externorum, fama nouitatis vndiquaq; collectorum, concurſus, vt etiam vias ipſas longè in ædem noſtram deferentes turba, obſtrueret, dificillimoque veſtigio ad noſtrum veſtibulum perueniretur. Multitudo verò eorum, qui ſacris epulis reficerentur, ea vi eoque numero fuit, vt ſacroſanctæ menſæ cancelli, qui ferramentis fortiter ſubnixi loco adhæſerant, preſſu nimio turbæ incũbentis accubantiſque conuulſi fuerint, & violenter fracti. Statas horas ſibi præſtituerant Canonici, parœciæ, Ordines Religioſi, Sodalitates, quibus horis ſolennem ſupplicationis pompam in noſtram hanc ædem ducerent. Catecheſis habita ſingulari planè ſpiritualium frugum prouentu, primò quidem in templo noſtro, ſed ob eius anguſtias & numeroſã Auditorum omnis Ordinis coronam, in principem vnam laxioremque ædem omnium flagitatu fuit transferẽda: vbi videtur cum ſpatio ampliato ſimul

& animorum alacritas se diffudisse, ea certè communis omnium sententia peruulgatur, vel vnam huius disciplinæ Scholam pluribus esse concionibus fructu & emolumento anteponendam. Cœpta hîc erigi feliciter ea Sodalitas, quæ Religioni, præcipuè erga viuificum Eucharistiæ Sacramentum dedicata est. Diebus illis septem, qui diem Christi Corporis sacrum proximè consequuntur, habendarum concionum inducta est hoc anno consuetudo, nondum hactenus vsurpata. Adiutus à Beatissima parente quidam, grauiori, quàm vt simul soluendo esset, ære alieno obstrictus, votum ille concepit, se sacram eius ædem in dies singulos assiduè obiturum, si nomina dissoluere, & se graui nexu liberare posset: ex eo tẽpore rem suam repetere cessarunt creditores, paulatimque ære alieno se expediuit. Duo quidam hæreticæ prauitatis contumacia deposita, suauissimo Ecclesiæ iugo ceruices suas abiecerunt: nec pœnitendus fructus, si illorum hisce in partibus paucitatem aduerteris.

Ab angustiis rei domesticæ tutelaris nostræ, vt illi acceptum ferimus, beneficio emersimus: nam primo auctoritate regia certum nobis vectigal factum est, quod ex mutabili comitiorum annuorum sententia prius pendebatur: ita omnis futuri timor sublatus. Præsentem verò egestatem Reuerendissim^s Episcopus, iniecta sibi diuinitus mẽte, liberali quingentorum aureorum stipe subleuauit, nosque à difficultate domestica asseruit. Sed mirabilitatem habet quod sequitur: dum enim ea laboraremus inopiâ, pecunia (à quo reposita fuerit nescitur) in areæ penitioris angulo nec opinantibus comperta est.

Auguramur diuina manu aut iniectam esse, aut inibinatam, vt conueniret in manus, horrore penè perfusos & hærentes relinqueret: cælati enim argenti bono numero plenus fuit sacculus, quo tàm insperato subsidio vrgenti penuriæ peropportunè subuentum est. Ita nostra paupertas ex spe contra spem sustentata est.

COLLEGIVM BITERrense.

HIc duo Societati accesserũt, inualetudine tẽtati plurimi, & vno tempore Socios propè omnes hinc morbi patientia, inde ægrorum subleuandorum charitas exercuit. Nam cum ante Lucales ferias valuerimus, subierunt illæ nobis insalubriores, donec reuocante simul operarios vineæ Domini, simul confecto sidere serenum rediit, vt in ea tempestate datam nobis virtutum causam intelligamus, depulsoris optimi prouidentiam amemus. Vnus & viginti decussis Caluinianæ hæreseos tenebris, veritatis Catholicæ lucem aspexerunt. In iis fœminas illustres opibus propinqui, blanditiis tentatas, ac minis, contumeliis proscissas, plagis demum sauciatas, ab Ecclesiæ sinu, in quem se receperant, auellere non potuerunt. Nec minor fuit Doctoris Medici in suscepta fide Catholica constantia, insignior ad eam conuersio. Is quadriennio iam Theologiæ Caluinianæ adhibitus, in spem Pseudoeuangelii alebatur. Sensit Deum, ad nostrum concionatorem adit, hæreticorum protrita, suaque, vt erat solers, iterum & sæpius argumenta obiectat. Obti-

nuit tandem veritas,eiuratoq; publicè Caluino, atque elutis per pœnitentiam animi ſordibus,ad ſacrã menſam cum aliquot cõſanguineis deducitur. Domum redierat, ecce tibi repentè agmen muliebre hominem circumſiſtere, machinas admouere, fletus,lamenta,& fœmineos vlulatus,minas per Deũ, per Sathanam.Iſtæ cient alios turbæ. Mirum ni tota Synagoga conuolet ob ingẽtem, vt dicebant, Euãgelii iacturam, & Eccleſiæ offenſionem, vbi nihil agitur lacrymis,nihil clamorib⁹, aliò facta inclinatio, ad prædam ſibi hominis fortunas proponunt, intẽtant lites, domi, foris agitatur. Sed ſtat ſemper in Chriſto immotus, & in ſumma aduerſantis fortunæ iactatione conſcientia fretus acquieſcit. Auſus poſtmodum in arenam prodire frater natu minor, telis à Miniſtro hæretico ſuppeditatis, nact⁹ virum, euanuit, frangique arma ſua impatiens auxiliator latebras occupauit,dolorem ſuum æterno,vt appareț,ſilentio obtecturus. Laboratum vt ſimultates & odia ponerentur:atque perfectum: quo in genere vnum inſigne. Magiſtratus tùm Regii tùm vrbani, vſque adeò à Clero ædis principis diſsidebant,ſeſe vt nunquam eam intraturos iuramento etiam confirmaſſent; triumphabant hæretici; Catholicos huius controuerſiæ ſuppudebat, quæ, nè ad ſupremum quidem Senatum relata,finem vllum inuentura videretũr. Potentior Deus: ea per concionatorem noſtrum dirempta, ſuum malis gaudium reſtinxit, bonis omnibus inſperatam lætitiam attulit. Per idẽ tempus mortem interminatus erat dux quidam quibuſdam ſubditis, iniquis quondam rei ſuæ adminiſtratoribus, ni ſeſe æternum ipſius conſpectu

ſub-

ſubduceret. Confeſsionem Sanctiſsimo Paſchæ die apud vnum è noſtris ad eum profectum ediderat, expiato, ſacraque Hoſtia impertito, occurrit imprudens de illis aliquis; ad quem conſcientia trepidum, mortiſque metu ſubpallidum: eſto ſecurus, inquit: delicti gratiam facio, ſed Domino tuo fidelior poſthac viue. Spiritualibus B. P. N. commentationibus magno ſuo bono exculti Canonici duo, & Epiſcopi Vicarius, qui ipſe Sanctorum omnium die in æde noſtra Sanctorum Domino primùm eſt operatus, ſecutamq; ciuitatem cœleſti pabulo refecit. Scholæ & Auditorum numero & pietate, vt ſemper, floruerunt. Aurei quinquaginta in templi noſtri cultum legati, centum item aureos nobis Epiſcopus ad aræ Principis elegantiorem ornatum dedit.

COLLEGIVM CADVRCENſe, Sedes Albenacenſis, & Domus Probationis Lugdunenſis.

CAtecheſis in æde noſtra ſolenni ritu, non exigua ciuium voluptate & fructu, primum habita; quæ demum in aliud ciuitatis templum tranſlata, cum ſuperioribus viſum eſſet eius loco conciones haberi. Mirus iſque frequens ægrotantiũ, tùm ciuium, tùm paganorum concurſus, aquæ, cui Crucis Diui Thomæ Apoſtoli particula immerſa fuerit, petendæ gratia, cui⁹ virtute & ope plurimis valetudo priſtina fuit reſtituta. Medici præterea noſtri vxor puerpera, cum morbo graui iactata, quietis & ſomni prorſus expers decumberet, Sacer-

dos noster ad eam euocatus, precibus solennib⁹ pro ea de more fusis, propinat aquam, cui immersum è cranio DD.ᵃ Cosmæ & Damiani fragmentum fuerat, hausto poculo non minus efficaciæ, quàm religionis in potione contineri sensit, illa namque velut soporifero medicamento victa, arctissimo derepentè somno correpta est, qui & dolores præteritarum vigiliarum deliniit, & morbum penitus breui persanauit. Alius dysenteriæ torminibus adeò grauiter angebatur, vt pro deposito quasi haberetur, quem cum ab vxore rogatus vn⁹ è Patribus inuisisset, non ita bene ergò nostros antea affectum, ita nihilòminus iacentis asperum animum mitigauit, officiisque in tempore, ægroti ori cibū etiam manu sua admouendo, demulsit, vt, quod inprimis auersabatur, lubens volens illicò conscientiæ sinus explicaret. Ac cum sacrosanctam Hostiam præ virium imbecillitate deglutire integram minimè valeret, particula tantummodò assumpta, mirum dictu! intra horæ dimidiatæ spatium cecidit importuna febris, & profluuium sanguinis quieuit: nec ita multò pòst in firmam valetudinem est redintegratus. Reum multorum scelerum, cum flectere non posset Sacerdos noster, exemplo S. Bernardi oblatâ Hostiâ, ad pœnitentiam adduxit, ea enim visa, dat manus, in genua deuoluitur, solum capite ferit, Dominum adorat, errorem confitetur, veniam deprecatur, & sūma omnium admiratione eiecto palàm perfidiæ suæ veneno, tùm peracta confessione, ad supplicium alacri animo duci se passus est, vbi in fide confirmatior, spe quoque æternæ beatitudinis erectior, acceptum Redēptori suo, quem dæmoni tàm arctè prius man-

us mancipauerat, ſpiritum exhalauit. Adoleſcentes ex diſcipulorum numero nobiles duo, qui cum lacte nutricis Caluinianæ hæreſeos virus exſuxerāt, deguſtata Catholicæ fidei ſuauitate, peſtiferum illud virus euomuerunt. Vterque lenociniorum & pollicitationum à parentibus oblatarum generoſus contemptor, alterius præſertim illuxit in maternas petitiones acriter depellendas conſtantia, mater namque filium in patriam reducem, ſtatim ex moribus & inſtituto vitæ Catholicum factum intelligens, quem neque precibus, nec lachrymis à propoſito potuit dimouere, minis & verberibus aggreditur, ſeque eum, niſi reſipiſceret, patriis ſuiſque facultatibus euerſurum, imò domo & familia penitus interdicturam denunciat, ſed ille diuinis fretus auxiliis, maternæ violentiæ tentamenta omnia diffregit, & Chriſto firmiter adhæreſcens ſuperauit. Extitit huius Adoleſcentuli conſtantiæ argumentum illud non vulgare, litteris, quas ad nos binas dedit, victũ oſtiatim prius ſe emēdicaturum perſeuerans, quàm vt fidem Chriſti ſolenni voto datam vlla occaſione violaret. Addebat inſuper, ſe non mediocriter animo recreari, quoties illius D. Hieronymi ſententiæ in epiſtolis à ſe nuper lectæ meminiſſet. Affatim diuitem eſſe, qui cum Chriſto pauper eſſet. Quatuor præter hos Adoleſcentes in Matris Eccleſiæ gremiũ deſerta hæreſi redierunt.

SEDES ALBENACENSIS.

Albenaci pauci operæ non paucis adiumēto fuêre. Hæreticis ſanè quindecim ad ſalutem & fidem Catholicam, depoſito Caluiniſmo, profi-

pro fitendam auctores fuerunt. In iis medici præsertim voluntas prædicanda, qui tàm serio fidem amplexatus est, vt iam Carthusianorum familiæ adlegi ingeminatis precibus acriter efflagitet. Alter honesto loco natus, vbi contumaciam argumentis vnius nostrorum victus abiecisset, eodem die à patre ad diabolicam cœnam inuitatus, recusauit palàm, testatus quam hactenus Caluini sectam propugnauerat, mendaciis & erroribus scatere innumeris: paucis deinde pòst diebus, data fide in Ecclesiæ album est relatus. Tertius Adolescens, qui nunquam ad impura panis illius Caluiniani pseudomysteria à parentibus compelli potuerat, vltrò confessione peracta errorem detestatus, magno cum pietatis sensu ad mensam Domini, panem Angelorum epulaturus, accubuit. Alii vacillantes & impostorum hinc inde procellis agitati, sic nostrorum consilio perstiterũt n gradu, vt nec obæratos æris alieni gratuita condonatio, nec egentes à potentioribus oblata pericula, à suscepto veræ fidei instituto dimouere valuerint. Vni metu cunctabundo, &, an perficeret, hæsitabundo, iniecti animi, tùm nostrorum oratione, tùm maximè viri nobilis ardẽti exhortatione, qui, vt maius verbis suis pondus conciliaret, & Sacramentorum vsum perutilem alteri exemplo suo suaderet, subiunxit: his ego hodierno die susceptis alter sum ab eo, qui fui hesterno die. Exstirpatæ penitus & conuulsæ in multis prodigiosæ superstitiones: in quibus vna erat, vt mulierem peracto puerperio primùm in templum prodeuntem, tanquam pestilenti aura afflatam, omnes auersarentur.

DOMVS

DOMVS PROBATIONIS TOlosana.

TAmetsi Tolosanæ Probationis Domus res domestica ob diuisionem Prouinciæ non parum imminuta fuerit, coacti tamen sumus vicinas ædes cum horto continentes emere, nè alius eas occuparet, quod per incommodum nobis futurum erat. Eandem diuisionem subsecuta maior paucitas alumnorum, non tamen pietas aut religionis ardor imminutus. Quin etiam animos addidit recens diuinæ bonitatis argumentum, quod per merita B. P. N. Ignatii in vnum de nostris, qui tertiũ Probationis annum exigunt, editum est. Huic totum vltrà triennium alibi atque alibi, & singulis iam ferè noctibus; ex quo verò nuper Tolosam viderat, continuis tribus hebdomadis, nescio quid raucum & importunũ auris altera obtinniuerat, is dùm pro more pijs B. P. N. commentationibus exercetur, in eas & nostrum Parentem ardentior, spem valetudinis repentinus concepit. Ex quo affectu libellus exercitiorum ad affectam aurem applicit⁹, tàm mox compescuit murmur illud, quàm mox tetigit, nec eo tempore negotii quidquam inde illi facessitum.

AN-

ANNVÆ SOCIETATIS IESV PROVINCIÆ SVPERIORIS GERMANIÆ Anno M.DC.VIII.



Enſet Germania ſuperior Socios nouem & triginta ſupra quadringentos: Presbyteros iuſtè ducentos, ex quibus in Scholis docent duodeſexaginta, cum quinque & triginta Magiſtris; quatuor & ſexaginta audiunt docentes. Curant domi centum. In tirocinio Societatis verſantur quadraginta. Deceſsêre quatuor; quatuor & viginti acceſsêre.

Ingolſtadii cum Sede Biburgenſi numerantur tres ſupra centum. Sacerdotes nouem & viginti, quorum tres profitentur Theologiã, Philoſophiam quinque, politiorem literaturam duo, cum quatuor Magiſtris. Auditores Theologiæ ſunt ſedecim, Philoſophiæ triginta ſeptem, domeſtici Adminiſtri ſeptemdecim. Dilingæ nouem & viginti. Ex nouendecim Patribus docent quatuor Theologiam, audiunt duo, tres docent Philoſophiam: duo cum tribus Magiſtris latinam Linguam. Adiutores accedunt quinque.

Monachii cum Oetingana & Eberſpergenſi Domo ſeptem & ſeptuaginta, quadraginta ſeptem Sacerdotes. E quibus nouem cum ſtudioſo vno tertiano Eberſpergæ exercentur. Duo docent Theologiam practicam & cõtrouerſam, quinq; alii, cum totidem

totidem non Sacerdotibus, Scholas inferiores. Student duo, duo & viginti rem familiarem administrãt. Augustæ triginta; Sacerdotes quatuordecim, docent Patres cum tribus Magistris quinq;. Dant operam eloquentiæ sex, septem domi occupantur. Oeniponti duo supra viginti. Patres tredecim, quatuor cum tribus Præceptoribus docent, Adiutores in hoc & quatuor Collegiis infra subiectis, seni. Halæ sedecim, Sacerdotes octo, docẽt duo cum totidẽ Magistris. Ratisponæ vnus & viginti. Sacerdotes duodecim, profitentur Patres duo cum tribus Collegis. Constantiæ viginti: Sacerdotes vndecim; quatuor cum tribus Sociis in Scholis versantur. Lucernæ itidem viginti, ex tredecim Sacerdotibus docẽt septem cum vno Studioso. Friburgi nouendecim; Patres decem, quatuor Magistri cum tribus Sacerdotibus erudiunt iuuentutem. Adiuuant rem familiarem quinq;. Ex his duob9 Collegiis tres Sacerdotes cum domesticis duob9 in Valesiam ad Sedunos missi sũt. Bruntruti non variat numerus à Friburgo, nisi quòd Sacerdotes quatuor litteras doceant. Lãdspergæ sunt Patres septem cum sex Fratribus veteranis, Tirones quadraginta. His addendi RR. PP. Visitator & Prouincialis, cum Sociis duobus Sacerdotibus, & Adiutore.

COLLEGIVM INGOLSTADIENSE.

INgolstadii Pater Gaspar Weinschenck tria vota professus, octauo Calendas Februarii migrauit. Ecclesiasten extra Societatem egerat, in Societatem cooptatus, ad Grammaticæ tirones erudiendos lubens volens descendit; & Græcæ

linguæ rudimenta prouecta iam ætate, magno conatu didicit. Deo, sibi, & muneri suo vacauit diligenter, cæterarum rerum incuriosus, vtque sanus illustria dedit obedientiæ documenta, ita æger in longinquo morbo, egregia patientiæ specimina domesticis reliquit. Vixit annos quinquaginta, quindecim in Societate, quibus plerisque Collegiorum res procurauit, vltra duos Ratisponense rexit. In huius locum quatuor tradidimus Societati, legum & Philosophiæ Auditorem vnum: vnum item eloquentiæ Studiosum, qui ex triplici dicendi facultate trigeminæ iam palmæ imminebat, quam tamen, paulò antè Landspergam missus, voluntati maiorum posthabuit libenter. Duo reliqui domesticis laboribus destinati. Hæreseos vinculis expediti viginti: in quibus nobiles Adolescentes duo, studiorum causa huc Illustrissimi cuiusdam Præsulis iussu, parùm volentibus, conniuentibus tamen tutoribus, in eam spem missi, quam, à Magistris humaniter habiti, & libellis sacris adiuti, minimè fefellerũt. Inter ægros à nobis frequenter aditos, nouennis puer fuit, qui confessionem instituit, qualem ab illa ætate minimè expectares, in grandiore etiam laudares. Dolores suos graues & acerbos, præ doloribus Christi leues esse dicebat, precabaturque Deum, vt ad eos, adderet consũmandæ hîc patiẽtiæ, & augẽdo in cœlo coronæ. In custodia non facinorosi tantùm seruantur, sed alii malè feriati, qui vicos & oppida oberrabant, quos hîc nexos & operi publico addictos Sacerdos noster festis diebus, dùm ab opere cessatur, vnum in locum conductos, fidei nostræ rudimenta diligenter & laboriosè docuit. Erant

enim

enim nonnulli rerum ſacrarum tàm rudes, vt præter nomen Chriſtianum, & ſacram baptiſmatis tinctionem, de Chriſto nihil haberent, aut noſſent.

Parochus alius vir egregiè bonus, & huc ad nos ferè octauo quoque die co fesſionis gratia, excurrere ſolitus, vt puerorum animos quaſi prȩcultos, & ad percipienda fidei myſteria præparatos traderet noſtris, totos viginti & amplius annos inſtructu & exemplo noſtrorum, ſine vlla mercede docuit eos legere & ſcribere, tùm Germanicè, tùm Latinè. Is hoc anno piè admodum mortuus, & hinc ad cœleſte laboris & induſtriæ præmium accipiendum à Deo euocatus eſt. Eius vicem obiit Sacerdos vnus è Collegio miſſus per menſem vnum alterumuè, donec alius in defuncti locum ſuffectus eſt Parochus. Excurſum eſt in alia præterea loca per annum. Auditæ cõfesſiones vno in loco trecentæ. Actum cum Decano quodam, vt ſuę decurię parochis auctor eſſe vellet habendarum Catecheſeon in ſua cuiuſq; Parochia. Ex hoc enim paruo licet, puro tamen fonte, ingentium bonorum promanare riuulos. Curatum alibi, nè in ſacrario, vt adhuc factum erat, ſed in aperto & patente loco, excitato ad eam rem ſubitario ſedili, confesſiones exciperentur. Itum etiam ſumma hyeme rogatu cuiuſdam Parochi, ad quem noſter diuerterat, ad ægrum in vicino pago Parochum. Nec fruſtra ſuſceptus labor; nam is, cuius gratia noſter illuc ierat, generali confesſione expiatus eſt.

Iam qui in Collegio S. Ignatii Martyris noſtris vtũtur ſuorum & morum & ſtudiorum Rectoribus, in vtriſque progreſſus fecére non pœnitendos. Ex

 lis

iis Adolescens fuit Rhetor ille, quem Landspergam abiisse dixi sub initium. Cæterorum pietas velut ex eo satis claret, quòd pars maxima octauo quoq; die Sacramentum confessionis, non pauci etiam Eucharistiæ vsurpant, ingenti cum animi sui bono. Domi coetus habent (ipsi colloquium vocant) quos adire fas nulli, nisi pietatem & modestiam suam cæteris aliquandiù probarit. Capita legum, ad quæ hîc illi, tanquam ad normam, vitam suam ac mores exigũt, descripta secum auferunt, vt alibi ex eorundem præscripto ac formula viuant. Id quidem fecit nuperrimè illustris quidam Comes, Dolam Burgundiæ, imperio suorum iussus petere. Iulio Mense discessit Ingolstadio Franciscus Guilielmus, Serenissimi Ferdinandi Bauariæ Ducis filius, Præpositus Oetingensis; nec multò pòst Romam abiit ad Collegium Germanicum, studia illic absoluturus, in quæ ingressus iam hîc erat feliciter. Vixit in Collegio singulari semper innocentiæ & integritatis laude septem ipsos annos. Cæterum innotuit hæc Domus, probæ & diligentis institutionis nomine, exteris etiam nationibus. Præter enim quàm quòd ex Belgio missi huc sunt illustres Adolescentes duo; ex Italia quoque magnus Hetruriæ Dux, patris sui filium per homines Societatis nostræ (nam duos ex ea viæ duces illi addidit) huc ablegatum nobis in disciplinam tradidit: illum, idem Ducem Franciscum Sfondratum, Prouincialis secum, Roma rediens, adduxit.

RESIDENTIA BIBVRGENSIS.

Biburgi maiorem anni partem quinque habitarunt. Catechiſmum tribus in locis docuêre. Opifex ſuam operam nobis locarat certa mercede, ac præſtitit fidelem, quamdiù Societas hîc morata eſt, & ipſe per vires potuit. Is iam grauis annis conſilium iniit cùm vxore, de reculis ſuis templo B. Virginis Allerſtorfenſi & Biburgenſi trāſcribendis, fecit; atque ipſo die D. Ioanni Baptiſtę ſacro (qui eius Diuus Tutelaris erat) ſummo manè acciri curauit Sacerdotem noſtrum, peracta confeſsione, intra horæ ſpatium ſenſibus integris pefunctus eſt. Nono pòſt die ſequuta eſt vxor maritum. Litem mouerūt nobis de hæreditate conſanguinei. Deuoluta res eſt ad Senatum Principis. Is nobis abſentibus, & nec appellatis quidem, legatum omne addixit.

COLLEGIVM DILINGANUM.

Dilingæ tres Societatis inſtitutum complexi ſunt, Theologus vnus, alter Philoſophiæ tiro, tertius ex opificio adſcitus. Sacris commentationibus eruditi Religioſi decem, Studioſi ſeptem. Solenne Religioſis hîc eſt, vt à ſtudiis domum reuocati, prius abdant ſe in cogitationes ſanctas, vt maiorem domum rerum cœleſtium theſaurum ſecum aſportent, vnde & maior in omnes fructus redundet. Fuit inter hos rerum diuinarum contemplato-

platores Iuuenis Nobilis, qui animum ad vitam Religiosam adiecerat, quem vt certius exploraret, voluntate Antistitis nostri Augustani, has exercitationes est ingressus, quibus piam mentem omninò cõfirmauit. Ad mensam sacram toto anno accubuerunt, extra Studiosos, qui celebrioribus anni dieb⁹ seorsum à ciuibus diuina mysteria percipiunt, decies mille, in solo Iubileo octingenti supra mille, quod ad DD. omnium celebritatem, cum quadraginta horarum comprecatione est institutum. Pueritia in triuialibus Scholis, ad doctrinæ sacræ rudimenta per tres Ludimagistros hoc anno, stipendio à Magistratu impetrato, magno numero coacta & instituta, vt quinquies per annum confessionem obeant, quam sponte animi plerique octauo quoq; die frequentant. A prauis erroribus ad fidem Catholicam traducti duo supra quadraginta, parati Religionis causa omnia fortunæ commoda posthabere. Rogatus inter hos Adolescens (cuius pater olim à Pontificis auctoritate defecerat) quàm esset parenti mutatæ Religionis caussam redditurus? responsurum se dixit; si tibi, pater, licuit à vera fide recedere, cur mihi non liceat à falsa ad veram accedere?

Decumbebat in castro vir Nobilis, & Societatis egregius propugnator, quam vltimis annis etiam donis coluit. Hic viuus sanusque sæpius optabat, vt sibi olim defũcturo gemini PP. adessent, & salutem suam præsentes DEO commendarent, impetrauit ferè diuinitus, quod vouerat; capitali morbo correptus, quem ipse tamen lethalem ignorabat, sed domestici coniectabant, nec tamen, vt alieni periculi

sumus

ſumus negligentes, noſtros monebant. Intellexit hoc aliundè Collegii Rector, & illicò duos Sacerdotes ad Nobilem amittit, qui ſub veſperam arcem ingreſsi, & officiosè conſalutati docentur, ægro pergratum & expectatum eſſe eorum aduentum, ſed meliuſculè tùm habere, & velle ſomnum capere, poſtridie Chriſtiani hominis officium facturum. Non vrſerunt noſtri congreſſum primo aduentu, ſed cubitum profecti quieuerũt. Adulta nocte monent famuli, videri patremfamiliæ animam agere, accurrerent, ſi viuum ſalutare vellent. Aduolant ambo, & luctantem cum morte de pœnitentia appellant: hîc ille ſenſibus omninò deſtitui, animoq; linqui. Inſtillatur iuſſu noſtri medicus liquor, & anima fugiens, cum omnium admiratione reuocatur, ſubleuat ipſe ſe ſine cuiuſquam ope, cum alioqui obeſus Miniſtris magnoperè indigeret. Exponit peccata articulatim, magna cum doloris ſignificatione. Porrigitur expiato ſacra Synaxis, & mox dùm oleo ſacro inungitur, in æternitatem proficiſcitur.

Academia lectiſsimę iuuentutis flore abundat, & ſupra ſeptingentos cenſet; in S. Hieronymi contubernio noſtræ curæ com miſſo, ducentos quinquaginta; Religioſos in his, ex Bauaria, Sueuia, Tiroli, Auſtria, Heluetia ſubmiſſos, centum octodecim. Cęteri plerique nobilitatis fama ſunt illuſtres. Illuſtriſſimus Ioannes Albertus Radziuilus Princeps Olycę & Nieſsioiſii, exacto hîc biennio Italiam petiit, vndè Collegio Philippicos centum, Sodalitati miſit quadraginta, reliquit illuſtria virtutis & modeſtiæ veſtigia in ſtudioſorum animis impreſſa. Pontificis

Maximi viginti clientes, cùm ingeniis, tùm eruditione, plerosque cæteros antistant; emissi in opus excolendæ Ecclesiæ quinque. Prodijt hîc volumen ingenti cum applausu, contra Iacobi Hailprunneri Acatholici Acatholicum, vt appellant, Papatum.

Pontifex noster Augustanus Héricus Knœringius, secundus post Othonem Cardinalem Collegii auctor, non solùm pergit ornare beneficiis Societatem, cui pro templi futuri area coëmptis ædibus contulit hoc anno aureos ter mille trecentos; sed eandem omnibus modis contra obtrectantium virulentos morsus tuetur, optimeque de nobis existimat, & opera Sociorum in iuuanda subiectorum salute vtitur frequenter. Comites itineris adhibet, profectus nuper ad D. Virginem, apud Heluetios in solitudine celebrem beneficiis ædem, Socios itineris ex nostris habuit duos, qui passim concionibus, confessionibusque & adhortationibus, non parùm apud multos profecerunt. Ad vsum templi à variis aurei donati ducenti quadraginta.

Euocati sæpius per annum à sacro Præsule & Principe Elwacensi, & verno Ieiunio ter per hebdomadem magno cum fructu ad populum dixêre. Spectaculum etiam lacrymabile ad Parasceuen datum. Latinè oratio apud Canonicorum consessum, dùm pedes inter se lauant, pronunciata. Ad S. Viti ferias, quæ Mense Iunio peraguntur, impetrata peccatorum à Pontifice pace, abstersit animum generali confessione primus ipse Antistes, quem sequutus Godefridus ab Aschausen, Decanus Comburgensis, à viginti millibus passuum ad S. Viti profectus; hunc imitati tribus tantùm pauciores mille.

Sed

Sed meſsis vberrima fuit Calend is Nouembris hominum mille trecentorum, Iubileo tribus concionibus promulgato, cum aliàs eadem venia peccatorum propoſita, ſummum quingenti cenſerentur. Quatuordecim ad Eccleſiæ noſtræ auctoritatem reuocati, quibus adiungendi quadraginta alii, ex viculis duobus, qui nuper in ditionem Præſulis venēre. Ex eodem loco per Quadrageſimam in vicinos agros & oppida excurſum, & Parochi ægri vices actæ, auditique quingenti.

ALMOGAVIANA MISſio.

ALmogaui, quos putant olim Calucones ſiue Culucones audiiſſe, ſuperioris Rhetiæ vallib⁹ clauſi, Pontifici Auguſtano parent, qui Luthero quondam claſsicum canente, belli ſeruilis auctores nobilitati arma intulerunt. Ante triennium rurſus mota ſeditione, obſequium erga Principem ſuum exuerunt; ſed vix oſtenſo milite territi, maluerunt clementiam Paſtoris, quàm ius vindicis & victoris experiri. Ergò nocentibus punitis, reliqui in officio fuēre, & fide vltrò citròque data & accepta, ad priſtinam concordiam rediēre, quamuis multis illos Deus prodigiis à prauis initio conſiliis auertere poterat, cum ipſius Principis coniurationis vxor ſibi laqueo gulā fregit, & trib⁹ oppidis exorta flāma, totos vicos depopulata vaſtauit. Quibus, vt pro ſua erga ſubiectos cura, quemadmodū ſuperioribus annis fecerat, Religioſiſsim⁹ Præſul Auguſtanus, viam in cœlum muniret, miſit Sacerdotes duos à Socie-

tatę impetratos, Ebersberga alterum, alterum Dilinga, qui per Quadragesimam disiectum hoc ouile colligerent, & ad meliorem viuendi rationem reuocarent. Nouendecim Parochię erant lustrandæ, sed temporis angustiæ suaserunt, vt dimissâ mediâ parte, frequentissimam quamque excoleremus. Exceptæ confessiones bis mille tres & triginta. In his sex septemuè Parochi, cum oppidorum Rectoribus & totius Prouinciæ Præfecto, à quo bis in arcem euocati, totam familiam Sacramentis lustrauimus. Mira nobis ille beneuolentiæ & amoris argumenta exhibuit, quando per alta niuium viam aperiri per operas curauit, & primus, ac nonnunquam propè solus, cæteris niuium montibus exclusis, aures concionantibus dedit.

Et sanè, quod plerosque in stuporem vertit incolas, & diuinæ clementiæ iure totum in acceptis referendum est, post tot itinerum incommoda, post luctas lapsusque continuos, inter implacabiles furias ventorum, niuium, pluuiarum, in tàm acuto frigore, quale ab hominum memoria non fuit, quo tàm multi hominum animantiumque pessundati, ieiunio Religiosè culto, totis Quadragesimæ hebdomadis, absque vlla remissione interposita, in templis populo ingruenti aures oraque commodasse, & neutrum Patrem vllo vnquam grauiore morbo ita tentatum, quin cursum sumpti laboris prosequi potuerit. Nimirum, quanquam membra gelu rigerent, superabat tamen calor, quem Spiritus Sanctus, & tot affluentium animarum salus, in eorum pectoribus suscitarat. Hæc, præter multa alia, efficiebant nostris Prouinciam difficilem, vt quod etiam dùm

exul-

exulcerati essent incolarum animi ex præterita clade, quam miles vastator intulerat, cuius auctores habebantur Iesuitæ, qui vt aliàs, ceu exploratores ingressi terram, si quos conspirationis manifestos incidissent, velut perduelles Principi suo proditum irent; & verò alicubi ante hoc temporis cum nostri salutis illorum gràtia præsentes Iubileum edixissét, posita statim consilia in medium, rogatæque sententiæ à rustico Senatu, an eo tempore esset confitendum. Visum omnibus confessionem in aliud tempus differendam, ne rei maiestatis, ab indicibus istis ad Principis sui aures deferrentur. Deniq; cùm iam felicis laboris initium fecissent nostri, nulla difficultate inferiores, gratique populo, post vnam aut alteram concionem, audirent; en tibi supremus Magistratus, cui tota regio permissa, cum imperio adest; coguntur rustici ære campano, fiunt sessiones, imperantur pecuniæ, nominaque absoluenda. Ingens extemplò rerum omnium conuersio; hic metuere, isti queri, non nemo desperare; Patres etiam deseri paulatim, sed non à DEO, ad quem ardentissimis precibus, & sacrificiis accesserunt, itaq; experti propitium præsentemque, vt præter spem plurimorum repentè omnia mutarint; nulliusque hominis officium, vel in curia, vel in templo deinceps fuerit desideratum. Idque non solùm illic loci, sed etiam in omni reliqua effectum regione; qui scilicet hoc primo euentu victoriaque fracti, cùm aliter se posse desperassent, studio quodam satisfaciendi, cùm Principis, tùm DEI sui legibus, inter se quasi decertabant.

Sed nunc res postulat, vt quædam seorsim con-

signem, quæ & fauorem Numinis erga hanc gentem, & nostrorum in ea excolenda diligentiam, amplius commendent. De paruulis scribam principio, sed non parua esse debent iis, qui hanc ætatem iamdiù cum iudicio arbitrantur. Præcipua religionis Christianæ elementa (nam illa maximè exposita, quæ ad omnium salutem spectant, & scire & facere) tàm fœlici progressu hauserunt, ferè omnibus in locis, vbi nostri illis nauare operam potuere, vt publicè commissi in templis ad disputandum, nostris lætitiam singularem, parentibus sæpè lacrymas, cæteris summam admirationem suscitarent. Primario in oppido formam ritè confitendi, intra triduum adeò examussim perdidicêre, vt confecti in annis homines, quod nunquam nouerant antè, à pueritia iam sponte audèque acciperent. Videre erat, illos ad discendum ex æditissimis montibus pagisq;, perfrigido cœlo, pannosas depexasque tunicas indutos, eluctari per alta niuium, properareque ad hospitium nostrum, inde ad templum, ac velut innocentes quosdam Angelos adstare, consertis inter se manibus, irretorto situ aspectuque; multos etiam fixis in terram genibus, tantaque alacritate & candore pectoris interrogata absoluere, vt vel hoc solum spectaculum, omnes præteriti temporis molestias demulserit. Hinc quoque effectum, vt simul ac nostri institutionem illis in Scholis, aut doctrinã in templis propinassent; illicò omnes declinare à Parochis, & ad nos per longissima viarum ac niuium confessionis gratia confugere sint soliti. Proinde vt voti sui fierent compotes, aliquandò à meridie, vsq; ad alteram noctis horam patientissimè præstolati acces-

accessum in templo; cum interea parùm vestitos, fames etiam & frigus affligeret, & denique sesquihoris celsissimas suas rupes, horrentibus vmbris, & soli deberent repetere. Parentes itidem in more habebant, non tantùm ad Catechistam ducere liberos, sed etiam mittere ad sacræ confessionis Tribunal, in summa felicitate numerantes, si ex omni parte salutem docerentur, & quam senectus non posset exhibere lucem pietatis, deinceps à pueritia vtilius mutuaret. Quadrimula infans, cum chartas lusorias proscribi in Catechismo audisset, repetito confestim lare, demirantibus domesticis, omnem eiusmodi instrumentorum infamiam flammis aboleuit. Recensuit domi mater, quæ à nostro memorata exempla pro concione, quemadmodum parentes cum liberis ob execrabilem iurandi consuetudinem, dirasque alternandi, non raró metuendis à DEO suppliciis fuissent mactati; tùm liberi ex metu: caue igitur sis mater, de reliquo huiusmodi in nos deuotiones iaculari, nè etiam ipsi nos inferorum monstris præda ac supplicium debeamur. Musicam sacram alicubi in Scholas templaque introduxerũt nostri, in qua ediscenda tantùm operæ impenderunt pueri ac puellæ, vt etiam ad quartam noctis vsque apud Magistrum in ludo perseuerarent; eoque parẽtes multam lactis copiam deferri curarẽt, dummodò eorum liberi dictatos à nostris modos penitus comprehenderent. Et verò, quod vehementer admirandum, grandes natu ex vtroque sexu homines, quos domus capere non poterant, foris sub dio, quasi frigoris expertes viderentur, aut contemptores, arrectis auribus animisque, tanto etiam noctis tem-

tempore aſtiterunt, adeò in illis præualuerat amor noui concentus. Itaque in breui non ſolùm templum, ſed etiam ædes ac plateæ paſsim diu noctuq; canentium vocibus perſonabant, vt iamtùm ſermone iactaretur, Ieſuitas eliminato luctu & mœrore, gaudia in eorum terras reuocaſſe.

Nunc de adultiore ætate iuuat quædam ponere. Conciones & Catecheſes adeò ipſis grata vbique & ſalutaria fuêre, vt, qui finis erat, maximum inde fructum, ac rerum cœleſtium cognitionem perceperint. Superſtitiones, quas vel tradux conſuetudo, aut ignorantia apud multos iamdudùm altiſsimis radicibus defixerat, noſtri diligenter extirparunt. Erant, qui tumores à corpore, anguſtias à pectore, defectiones à membris, ſanguinem à vulneribus, vermes à pecore, lupos ab armentis gregibuſque, & neſciò quæ alia incommodorum, ridiculis planè & fatuiſsimis verborum formulis arcere poterant. Poſteaquam verò noſtros ſuper ea re ediſſertantes audiuêre, quomodo ſcilicet ab impoſtore malo dæmone eorum ſimplicitati illuderetur, quantumuè periculi & culparum ſuſciperent illi, qui talibus impediti faſcinis, tàm indignas damnataſque merces in ſuam aliorumque perniciem venditum irēt, haud difficulter abiecerunt, profeſsi nunquam, dùm viuerent, repetituros.

Priuatis quoque colloquiis, vbi occaſio tempuſque indulgerent, inſtituti; præcipuè illi, qui cùm morbis, aut ſenio conflictabantur. Vix ingreſsi noſtri pagum aliquem aut domum, extemplò à ruſticana plebe circumfundebātur: itaque non poterat incaſſum mitti diuinum ſemen, quando terra adeò benigna

benigna apparebat. Adoleſcentem decem & octo annos natum tabes diuturna exederat, putreſcente corpore, & tetrum olente, membra in mortem lapſa, viuum cadauer magis, quàm hominem oſtendebant: huic noſtri cùm prius ſuam dediſſent, à concione dein publica, eleemoſynam emendicarunt. Virgo decimum quartum diem intolerabili, & capitis & oculorum dolore vrebatur, vt periculum eſſet, nè hinc viſu, inde mente priuaretur, iuſſa B. noſtrum Ignatium precibus appellare; concepit preces, atq; eo ipſo momento conualuit, quod illa poſt aliquot dies Patri noſtro gratulabanda retulit. Virum Inferni Lemures triginta ipſis annis fatigarunt, per diem ac noctem, varia ſpecie ac terrore inceſſentes, & ad mortem ſibi conſciſcendam impellentes, quem hoc anno demum noſtro Patri de peccatis confeſſum, & in libertatem & quietem vindicauimus. Multa omninò ſcribi poſſent de huius populi in DEVM ac DEI Matrem religione. Familiæ non paucæ, præſertim quæ magis recedunt ab oppidis, atque in iugis eminentioribus ſparguntur, in more habent quotidiè, ſubmiſsis in terram genibus, non ſolùm vnam D. Virgini coronam, ſed etiam, quod verè mirandum, & imitandum magis, ternas, quaternas orando percurrere. Atque huic inſigni fortè pietati ſalus, vitaque tot mortalium, qui à præſenti diſcrimine, atq; adeò ipſa pernicie tàm propè aberant, tranſcribenda videtur, quæ etiam ardentius in illis aucta eſt & confirmata, poſteaquam noſtros audierunt, vel ab iis ſacra munuſcula acceperunt. Non eos cœli tempeſtas, non corruptelæ viarum, non interualla locorum, monteſq; abrupti impedire potuêre, quò minus

minus, cùm aliàs, tùm hoc ipso tempore, templa sua atque officium diuinum frequentarent. Non nemo tres quatuorue horas confecerunt, per immensa frigorum niuiumq;, dummodò nostros adire, atq; super salutis negotio audire possent. Sæpenumerò solida crusta stiriarum, molesque crystallinas subire templa dixisses, ita omnia dirigebant, crepitabãtque. Iussi quandoque abire ad Parochos, quòd surdastri essent, cum lacrymis postularunt à nostris expiari, nimirum se tantam itineris difficultatem emensos, vt documenta Christiana & salutem à PP. indipiscerentur. Exiuerant domo sub orientem diem, vt rei diuinæ interessent: & quia aggeres niuium omnem peruadendi viam ademerant, facta inter se coniuratione, aut viuos penetraturos ad tẽplum, à quo horæ duntaxat spatium eos diuidebat, aut sepulchrum inibi habituros. Itaque cum sibi inuicem acuerent animos pedesque hortando, post insanum denique laborem pugnamque, exhausti & defecti, ad meridiem primùm Ecclesiam attigêre: eò aduocantes Parochum deprecati sunt culpam (si tamen vlla poterat hærere, & non potius insignis in Deum ac diei sanctitatem religio, illos fecerit immortales) q̃ in tempore cum aliis adesse ad sacrum officium nequiuissent. D. Sebastiani minuta tela attactu capitis consecrata, nũmosq; vultu illius insignitos, & præcipuè cereas Agni Dei imagines, postquã huiusmodi rerũ cõsecratarum virtutes cognouerunt per nostros, tanto ambitu precibusq; efflagitarunt, vt etiam plenas pecunia manus pro illis offerrent; obstupefacti sine precio donari, q̃ tãto precio cõmendaretur. Eam ob rem passim graues ab vtero

tero fœminæ in rhedis ad noſtros aduectæ, aut cum eluctari niues illæ non poſſent, miſsis viris, qui vicariam operam apud PP. obirent, votorum participes effectæ ſunt. Quin etiam cum fama cœleſtium donorum manaſſet longius, vndique locorum ad noſtros adducti & comportati homines, quos aut pręſtigię, aut morbi, aut alia malorum implicauerât, ſanctiſsimè ſperantes, eam fore optimam medicinam, quam noſtri aut conſulerent verbis, aut reipſa in ſacris amuletis præſtarent.

Per ſacram hebdomadam, & ſolemnia Paſchatis, plus temporis ac laboris tribuendum oppido cuidam, quod hactenus ferè neglectum, & in quo abhinc tribus annis geminum incendium, alterum rebellionis, alterum totius oppidi eruperat. Huius loci inquilinos, quâ concionibus, quâ Catecheſib9, diligenter noſtri percoluerunt. Peracta prima concione, Iudex cum primariis viris ad hoſpitium præſtolantes, conceptis verbis noſtrorum ſibi aduentum populoque gratulati, ſe inſuper dolere aiebât, quòd domeſtica & communi calamitate circumuenti, minus erga PP. benefici eſſe poſſent, voluntatem interea pectuſque pronum exhibituros. Itaque vniuerſi, qui necdum Parocho confeſsi fuerât, ad nos deinceps acceſſerunt. Conciones de patiente Chriſto (cum aliis temporibus nihil audiſſent, niſi aliquid ex Euangelio lectitari) tàm attentis auribus animiſque acceptarunt, vt licet continuaret ſæuities frigoris, ipſumq; templum incendio corruptũ, ſine tignis ab omni parte ventos ac niues admitteret, tenui ad hæc veſtitu intecti, etiam in multas horas audire parati eſſent. Certè cum intellexiſſet noſtrum

ſtrum die Sabbathi Sancti ad Crucifixi imaginem quædam prælegere & dicere de cruciatibus Christi, re vulgata per oppidum neglecta cœnula, homines ad templum conuolarunt, atque in multam noctem flexis genibus, ad ea quæ docebantur, attendere voluerunt. Edocti, vt aliis quoque in locis, neutiquam religiosè facere eos, qui opertis capitib⁹ tremendo officio adſtarent. Eam in rem noſter etiam pro Catechiſmo omne ſacrum inſtrumentum, & maximè quod ad ſacrificium pertinebat, ab ara oculis coram oſtendens, cum ſumma audientium & videntium approbatione, myſteria ſingula cum ipſo ſacro, quod nunquam didicerant, ordine explicauit.

Ad extremum humanitate erga eoſdem PP. & bene merendi ſtudio ſeipſos vbique ferè ſuperaſſe videntur. Nam cùm Princeps & Pontifex noſter ſuis ſumptibus vellet PP. viuere, atque in hanc rem cùm publicas tùm ſignatas tabulas addidiſſet ad præfectos ſuos, nihilòminus tamen vbique ferè oppidani inuitis noſtris, & quiduis contrà tendentib⁹, in ſe expenſas ſuſcepêre. Quodam in loco ſecundū primam concionem noſtri Patris primores ſenatum habuêre; ſententia fuit, vt Parochus hoſce PP. bene liberaliterque tractaret, facturos ſe rationibus ſatis; cùm enim in Principem peccarint ſuum, cupere ſe vel tenui modolo delere culpam veterem, & nouam apud illum gratiam accendere. Et licet iidē præ cæteris indigenarum minus à diuitiis inſtructi ſint, auſi tamen ex vnaquaque familia duos florenos polliceri in ſingulos annos, & præſtantiſsimas vaccarum, ſi tales Sacerdotes apud ſe retinere poſſent,

ſent, & ab illis bene ſanctèque ad pietatem Chriſtianam informari. Certè in illa vna Parochia ſexcenti ſexaginta tres, intra quinque dies & medium, ſeſe noſtris aperuerunt: diſcedentes per quinque millia paſſuum proſecuti, cum fletu valedixerunt. Familia quædam ſe ſingulari beneficio donari, gratiaque à Deo ditari affirmauit, quòd iuſſu D. Præfecti per octo illic dies manſerimus, malle enim aiebat, habere tales pauperes in domo ſua gratis, qui tàm diligenter in preces ac ſalutem animarum incumbant, quàm vel pecunioſiſsimos hoſpites, qui diuinum Numen perpetuis ſceleribus offendant. Denique vt finiam, in ambitione vbique locorum propemodũ, effuſi in lacrymas, cani decrepitique ſenes in colla noſtrorum inuaſerunt, præpedita in vocem lingua, ac ſi liberi parentes, ac parentes liberos amitterẽt, ægerrimè à complexu aſpectuque noſtrorum diuelli potuerunt; hi comitabantur, alij in viis, quà iter ducebat, ſublatis manibus precationibus, votiſque abitum & reditum acclamabant. Laudetur DEVS; cui æternùm noſipſos, & hunc laborem dedicamus.

COLLEGIVM MONAcenſe.

MOnachii poſt longa religioſæ militiæ ſtipẽdia miles veteranus, & emeritus in cœleſtem coloniam deductus eſt, Pater wendelinus Völckius, domo wirtenbergenſis, vir omnibus virtutum ornamentis, præſertim caſtimoniæ grauibus periculis egregiè probatæ, manſuetudinis

item & prudentiæ insignitus. Contraxit aliquid diuini spiritus ex ore auctoris Societatis B. P. Ignatii, quem viuum mortuumque vidit, faustaque precatione ab eo impertitus est. Laborauit multis annis hernia & calculo, venitque sæpius in vltimum vitæ discrimen, gemina ramicum sectione discruciatus, sed perinde mortis ac dolorum cõtemptor, in omnem euentum paratus, optare lethum magis quàm fugere videbatur. Vixit annos duos supra septuaginta; duos & quinquaginta in Societate, tria vota professus, Augustæ P. Petri Canisii sanctę memorię multis annis socius, non mediocriter cũ aliis PP. Collegii molitionem adiuuit. Monachii rẽ familiarẽ procurauit. Ratisponæ ante conditum Collegium fundamenta iecit pietatis, vti & Oetingæ. Rexit & Oenipontanum & Ingolstadiense Collegium. Habẽt Socii quod in eo viro imitẽtur, qui pondus & æstus diei in nostra Prouincia tulit, in cuius labores nos ingressi sumus. Alter ex eodem Collegio ad Societatem Cœlitum migrauit Fridericus Dicker, gente Liuo, bono loco natus; è Polonia Romam, inde studiorum, aut potius valetudinis causa, Ingolstadium profectus, demum medicos consulturus huc Monachiũ. In Societate octo annos religiosè transegit. In mortuorum locum successẽre octo, ex quibus literarum optimi cultores quinque, alterum iam annum Eloquentiæ studebant. Duos ex his Germanos Fratres parens ipse Societati coram obtulit, & lubens volens consecrauit.

Hæresim exuerunt vnus & quinquaginta. Notabilis fuit ad nos transitio Nobilis Matronæ & senis venerandæ, nam septuagesimum excesserat. Huius filius

filius apud Ducem Boiorum in aulicis officiis erat, venationibusque præerat, & Magistrum equitum agebat. Huius, ex Lutherano Catholici, videndi desiderio huc olim profecta mater, semel & iterum audiuit nostrum Ecclesiasten, hamoque scrupulorum concepto post reditum, domi diu noctuque cogitabũda, quem hauserat aculeum, cõuellere ex animo potuit nunquam. Fusa sæpius in preces & lacrymas, infimis obtestationibus clementiam Numinis solicitauit, vti, sicubi a veritatis tramite aberraret, nè pateretur se in erroribus hærentem vita defungi. Visus audiisse DEVS supplicia fœminæ vota, monitaque per nescio quem sibi subinde parentem, Monachium rediret, ibi salutis viam edoctum iri; paret illicò monenti, rebusque domi compositis, & nepte ex filia, duabusque ancillis sequi se iussis, reclamantibus licet necessariis & propinquis, & modò itineris longinquitatem, modò vltimam senectam, modò periculum viarum & latronum obiectantibus, obfirmato animo proficiscitur, & miliaria centum quadraginta nostratia, hoc est septingenta millia passuum ab vsque Holsatia Daniæ emensa, Deo duce salua huc reuenit, & cum comitibus, filio enixè per nos pro matre laborãte, fidem palàm ex P. IV. præscripto sub sacro, magno cum sensu pietatis professa, Lutherum execrata, lacrymantibus præ gaudio circumstantibus, cum Ecclesia Catholica reconciliata est, quæ nunc perennes Deo gratiarum laudes persoluit, & spes est eius exemplo plures ad idem Ecclesiæ gremium esse confugituros. A Schwenckfeldio quoque hæresiarchã mulier illustris ad Catholicã pietatem traducta est.

Vii item Pragæ nobili loco natus, & studiosi duo, quorum alter ante nouem annos wittenbergæ laurea Philosophiæ coronatus erat, alter Hessus, inconstantia suorum, & toties mutatæ confessionis Augustanæ formula offensi, Catholicis adscripti sunt. Alia virum hæreticum ex Vngaria Monachium secum, vt illam, quam paruula fidem olim ignorans deseruerat, ille susciperet, perduxit. Duo pagi pulso Lutheri præcone, penè toti post septuagesimum demum annum, ad priscam Catholicorum Religionem retracti. Frequentarunt apud eos Sacramenta hominum millia quinquaginta, exclusis Scholis, & quotidiè peregrè aduentantibus, solis Bacchanalibus ter mille ce tum viginti octo; quatuor supra quinquaginta ad castam viuendi rationem reuocati. Alia in ægros, vinctos, egentes officia Sociorum tàm frequentia fuêre, vt labor sit numerare.

DOMVS EBERSPERgensis.

DVo ab hæresi absoluti; tertius nè ad eam pestē animi rediret, documentis seruatus. Cōiuges cum filio paruulo, illi capitis dolorib⁹, iste mortis discrimine ereptus, cum B. P. N. Ignatii opem implorassent, reliquias attigissent, duoque noster sacrificia pro illorum incolumitate obtulisset. Vnde mater certa indies prece eundem vt patronum veneratur, & in noui partus fœlicem successum propitiare studet. Foris fructuosè laboratū, ab animi maculis purgati octingenti. Dùm pueritiæ elementa pietatis in oppido non ignobili explicarentur,

rentur, perinde senes ac pueri didicêre frontes Cruce signare, idque tàm alacriter, vt cùm institutor ad horam fugientem modum faceret, quidam publicè exclamaret, rogaretque, vti porrò noster in opere tàm sancto pergeret, iucundius hoc esse sibi colloquium apparatissimo couiuio. Dùm vicos nostri per hyemem obeunt, à duobus Parochis per ineluctabiles niues equis ad aliquot milliaria sunt deducti; quorum alter aiebat, non se suos, sed Societatis equos dare vtendos, vt, à qua probè instructus ad has ex infima sorte ascendisset fortunas. Delzi alio oppido Bauariæ sub Quadragesimæ tempus audìti amplius mille, multaque alia partim piè instituta in Scholis, partim vitiosa correcta.

MISSIO BERTESGADENSIS.

Bertesgaden in Bauariæ finibus, censu & agro prædiues, & illustre cœnobium, S. Augustini alit Canonicos, eosque nobili duntaxat stirpe oriundos. Præfectus inter imperii Principes colitur, qui hodie est Ferdinandus Guilielmo Boiorum duce natus, designatus Coloniæ Pontifex, qui vt numerum perexiguum Religiosorum integraret, & collapsum vetustate, & temporum iniquitate disciplinam restitueret, petiuit è Sueuia Religiosum, in Dilingana Academia eruditum, qui, dùm abesset, suo loco sex Religiosis & tironi, (nec enim plures tùm censebantur) præesset; ad eamque rem petiuit Socios in auxilium, qui non solùm Monasterio succurrerent, sed oppidis duobus, cum plurimis præ-

diis & villis opem ferrent. Missus est primùm eò Sacerdos, & mox in subsidium alter, ibidemque tres anni partes commorati, primùm ex ipsa domo Religiosa eliminatis vitiis, multa ad melioré viuédi rationé reuocarunt, curarũtq;, vt vnꝰ ex Canonicis in in aliud asceterium amandaretur, & tirones sex, cooptarétur, qui ad D. Augustini præscriptũ viuerent; in triclinio, siquid errassent, publicè, quod antea visum auditumque nunquam, corrigerent. Extinguitur interim morbo ille, qui Canonicus iuxtà ac Curio fuerat, & princeps causa, cur nostri primo aduentu prioribus annis, triduo pòst quàm aduenirent, re infecta, domum redire coacti fuerint. Hic ergò morbo correptus, cùm indies deterius haberet, nec esset vel ex amicissimis eius, qui hominem de suscipienda salutis cogitatione auderet commonefacere: Noster solus re DEO commédata, ægrum adit, explicat morbi periculum, monet confessionis parandæ; nec frustra; paret monenti, seque id iam cogitasse dicit, sed hactenus multitudine ad seviscentium fuisse impeditum. Quare Pater singulis diebus certa hora ianuam obserat, vt nulli pateat accessus. Suscepit deindè etiam curam morbidi corporis, sternit lectum, cibos ac potiones à medico missas parat, leuat iacentem molestia lecti & dolorum, omniaque alia obit officia seruientis. Quibus rebus ægrum adeò sibi conciliaui, vt non solùm illi confiteri voluerit, sed se totum eius curæ commiserit. Ter ei confessus est, & monitus à Patre, vt dolores, qui erant graues & acerbi, quot diebus expreßè ad Dei gloriam suorumque peccatorum expiationem referret; quod ille fecit sedulò, nec sine magnæ pati-

entiæ emolumento. Omnia voluit ex arbitrio Patris facere, nè inungi quidem sacro oleo, nisi quando ei visum esset. Iussus à Patre peracta vnctione exhortari circumstantes, obtemperauit eo animi affectu dicendique vi, vt omnibus audientibus lacrymas excusserit. Vltimis diebus noluit nostrum à latere suo dimittere, neç interdiù nec noctu, petiitq; subinde sibi pium quidpiam iam legi, iam dici. Hora antè, quàm moreretur, monitus est à Patre spem omnem in Christi Cruce ac morte constitueret, quod dictum tàm altè animo inhæsit, vt paulò ante expirationem Crucis se signo munierit. Piè defunctum noster funebri concione honorauit. Bibliotheca Monasterii lustrata, libri hæretici concremati. Diebus Dominicis ac festis populum ante meridiem concionibus, post, pueros adultosq; frequentes & alacres vtrosque doctrina Christiana imbuerunt, idque per Aduentum & Quadragesimam, duobus plerumque in templis longè disiunctis. In festis tamen aliquandò etiam Catechesis in concionem pomeridianam mutata. Per Cineralia etiam profestis, Mercurii & Veneris, ab vtroque concio habita, & ab altero etiam Catechesis; etsi Catechesis aliquãdò per occasionem etiam sæpius n plateis, aut æditui domo instituta est. Per Aduentum non modò in templo, sed etiam domi suæ patres matresque familiàs, & eorum dómesticos per alta montium dispersos, magno cum labore sigillatim ad cõfessionem communionemque Natalitiam inuitarunt, rem hîc omninò insolitam. Sed humanitatis officiis, & grauibus rationum momentis facilè cesserunt. Eademque opera nostri per domos ferè sin-

gulas, imaginibus ab se donatis oratoriola excitarunt. Alter in tertium vsque mensem absentis Ludimagistri vicem suppleuit, pueròsque rationibus armauit, quibus parentes ad suscipiendam ante Christi Natalitia, pœnitentiam & Eucharistiam permouerent, quorum industria postmodum sacris munusculis in Scholis remunerata est. Socii labores suos fructu confessionis solati sunt, septingenti enim septuaginta duo expiati sunt, plures vtique futuri, nisi immanitas frigoris, niuium altitudo, & locorum longinquitas volentes retardasset, vt in Paschali postea confessione retulerunt. De tota vita confessi amplius ducenti. Mirum est, quantum apud eos pecuniæ ob confessiones audiendas valuerit recusatio, à qua vulgò nostros designaturi, Patres pecuniæ contemptores appellitabant. Actum aliquandò pro concione fuerat contra impias execrationes. Postridiè Iudex, qui concioni interfuerat, deprehensum coniecit in carcerem. Datus dialogus feriis Natalitiis spectatoribus octingentis, plerisque omnibus lacrymas excussit, fuitq; rogatu multorum iterandus. Comprecatio cum sacro & cõcione vltimo Hilariorum die, solemni frequentia & ritu celebrata. Ad Pascha pœnituerant hominum amplius millia quatuor. Introductus extremæ vnctionis vsus, sacrorum Cinerum ad initiũ Quadragesimæ, rosariorum, aquæ benedictæ, Agnorum DEI, quos magno in pretio habere populus cœpit, vim eorum expertus in puella, quæ appenso Agno consecrato, è Sontico morbo persanata fuit. Alicubi paganis Catechismus ita probatus, vt à Magistratu Ludimagistrum petierint, à quo iuuentus

lege-

legere doceretur, tantùm vt Catechistæ plenius ſatisfieret. Nec tantùm pueri, ſed & grandæui ſenes inter ſe certarunt, vtri ad quæſtiones propoſitas rectius reſponderent, & imaginem victoriæ teſtem auferrent. Puerorum quoque feruor erat incredibilis. Non pauci, qui longa via ad Parochiam acceſſerant, finito ſacro & concione, impranſi, & panis cruſtulo contenti, pomeridianam Catecheſim exſpectabant, & Patrem abeuntem per horam comitabantur. Alii nulla ratione aut minis detineri domi potuerunt à parentibus, quin ſumpto tantùm modico pane, aut neglecto, aut cum parentum incommoditate anticipato prandio, ad Catechiſmum properarent. Impetratum à Senatu ſtipendium Parocho, qui cœptam Catecheſim Dominicis continuet diebus. Dictum ſemel de vtilitate ſigni Crucis, & mox aliqui ianuas domorum & cubiculorum Crucibus præornarũt. Pauperibus ſubuentum eleemoſyna, quam Monaſterium dedit, atque ita eos ad animarum ſalutem admittendam induxit. Cippis & columnis, viarum antea tantùm, nunc pietatis indicibus, additus pius ornatus. Vicennes diſcordiæ penitus inter coniuges abolitæ; ſacra Synaxis, vt nunquam incomitata ad ægros deportaretur, effectum.

DOMVS OETINgana.

ECcleſiaſtes, & Catecheſeos inſtitutor vtilem Oetingæ operam fecêre, mores prauos emẽdarunt, odia ſopiuerunt, chartas magicas aut

veneno Lutheri tinctas,exuſſère.Senatus Neottingenſis edicto ſanxit, vt quantum eſſet pueritiæ infra quintum decimum annum, mitteretur ad Catecheſim, ſi quis hora,qua ſacra lectio explicaretur, in viis aut compitis errabundus deprehenderetur, rectà in publicam Morodochii cuſtodiam daretur, quod genus ergaſtuli eſt humi poſitum,forum, & viam ſpectans, clathris & cancellis duntaxat circũdatum,cætera patens, vt clauſi viatoribus ſpectaculo ſint & ludibrio. Ducti aliquot & viſui ſpectantium expoſiti,ſalutarem cæteris terrorem iniecêre. Quatuordecim millia, quadringenti octoginta diuinum Synaxeos epulum celebrarunt, tredecim Lutherum deſeruêre,inter quos tres virgines cum generoſæ nobilitatis vidua;cœtus B. Virginis Summi Pontificis auctoritate probatus, & Romanæ Principi Sodalitatum inſcriptus, centum aureis à viro nobili donatus eſt. Sereniſsimus Maximilianus Boiorum Dux nobis de quingentis butyri libris annuatim conferendis per litteras cauit, Albertus pietatis cauſa D. Virginem ter inuiſit, ædi noſtræ lipſanothecas argenteo emblemate elaboratas dedicauit. Sereniſsimi Fratres Leopoldus Auſtrius Põtifex Argentinenſis, & Batauienſis viginti octo cados vini, Ferdinandus triginta miſit.Ratiſponenſis Antiſtes & Augiæ Cœnobiarcha, nos ſacris Diuorum pignoribus auxerunt, ex quibus S. Felicitatis Martyris tibia eſt.

MIS-

MISSIO BRVNDVI-ana.

Brundunum ſeu Brunduium, vt hodie appellant, oppidum Bauariæ publica peſtilentiæ lues inuaſerat, & à cæterorum commercio publico edicto proſcriptum erat. Vocati PP. iam antea per conciones Quadrageſimæ commendati, in populi deſtituti auxilium, opportunè ſanè duo, Menſe Octobri, exeuntis anni milleſimi ſexcenteſimi ſeptimi aduenêre. Parochus enim lecto affixus fungi munus ſuum non poterat. Alter ex Adiutoribus laborantibus ſuccurrebat, alter ſacris deſtinatus erat, cathedræ tacebant. Hîc primùm conciliata cum Magiſtratu pro cōcione obmurmurans plebecula. Itaq; populus nouis in templo conuentibus, in foro ſupplicationibus, aliis ſtudiis pietatis didicit cœleſtia curare. Funera nè ſpectantes terrerent noctu elata, quibus funebria hebdomadatim perſoluta, vti & pro auertendo malo in D. Sebaſtiani ara ſacrificatum. Sodalitas quoque deſita, eidem Diuo inſtaurata. Menſe Februario ciuitate metu & periculo mortis exempta, & in cæterarum vrbium communionem admiſſa, cùm noſtri, vnde venerant, redire vellent, per litteras impetrauit Senatus, vti totam Quadrageſimam iuberentur manere, quo tempore bis mille ducentos quinquaginta à peccatis liberarunt, quinque hæreſi laborantes perſanarunt, omniaque officia Societatis magna charitatis ſignificatione obierunt, vt ſecundum ferias abitum parantes, necdùm dimitterentur. Vouerant in com-

muni grasſantis mali incendio geminam ſupplicationem ad D. Bennonis Monachium, & D. Sebaſtiani Eberſpergam, quibus noſtros non ſolùm adeſſe, ſed præeſſe etiam voluerunt, inſtituerunt has Menſe Maio magna frequentia, ordine & religione, noſtri paſsim vbique ductores, adhortatores, & publici quidam Magiſtri morum omnibus ſuccurrebāt. Vbi ex longo itinere domum redierunt, noſtros oblata munera conſtanter repudiantes, cum ingenti gratiarum actione Oetingam remiſerunt. Fuit ea res plena optimi exempli, quo nobis mirificum amorem & Principum, & ciuitatum conciliauimus.

EXPEDITIO DONAVVERdana.

DOnawerda, ſeu Tonauerta oppidum Sueuiæ liberum, Monachio quinquaginta millibus paſſuum, Auguſta triginta diſtat. A Catholica religione ad Lutherum, in cōmuni per Germaniam hæreſeos incendio, paucis admodum in fide Pontificis manentibus, defecit, Catholicis iura, templa, ſacra denique abſtulit, vt vltimis annis in publicum ſupplicandi cauſa nemo auderet ſine capitis periculo prodire: auſos enim corripuerunt, & ad necem vſque multatos tantùm non occiderunt. Qua de re queſti apud Imperatorem læſi, Fœcialem impetrarunt, qui nomine Cæſaris iuberet reos Imperatori dedere, quòd niſi feciſſent, in hoſtium numero futuros; ſed nec præconem Cæſareum, proſcriptionem publico ritu proclamàntem, audierūt, nec pa-

nec pacati quidquam reſponderunt, ſed ad arma & vim, ſi inferretur, propulſandam ſe compararunt. Imperator ergò rem Maximiliano Boiorum Duci, vt in refractarios animaduerteret, commiſit; hic ſub primam anni hyemem, bello, niſi iuſſa capeſſerét, denunciato, ſimul exercitum, quantum ad vrbem capiendam, & hoſtium auxilia, quæ à Tonauertanis expectabantur, arcenda, ſufficere putabat, ſcribit, & omni armorum genere inſtitutum, agmine compoſitiſsimo, ita vt paſsim velut ad ſpectaculum concurreretur, in oppidum ipſo Decembri Menſe immittit; quatuor è noſtris impetratos adiungit, qui militi in omnem euentum adeſſent. Quĩto poſt ſuſceptam expeditionem die, cùm ſe miles noſter in conſpectum vrbis dediſſet, & inſtructus equitatus pro ipſis penè portis ſignum expectaret, conſternati hoſtium animi, & præſenti patriæ periculo attoniti, in medium conſulere cœperunt: ſed quòd parum inter ſe conuenire poſſe cernerent, colloquium petiêre, ac dùm neſcio quibus vltrò citròq; dictis, longas ſanè inducias rei deliberandæ poſtulant, Boii, quòd dolo malo trahi tempus nolebant, quartam non amplius horæ partem concedunt; intra quam referrét, vím hoſtis, an clementiam Principis experiri mallent? Circumuenti hoſtes vltima denunciatione fore ſe in Cæſaris poteſtate reſpondent. Ita ciuitas firma, & propugnaculis tormentiſque maioribus, & flumine Danubio munita, quam Imperator olim iuſto exercitu per triduum obſeſſam occupare non potuit, à non amplius ſeptem millibus, ſine oppugnatione & ſanguine, expugnata & occupata eſt, quam victoriam, qui humanis tan-

tantùm consiliis, & non præsenti potius auxilio Numinis partum diceret crederetq;, næ ille parùm aduersus DEVM gratus memorque esset, si temporis præsertim, & tempestatis, sub vltimum Decembrem rationem attenderet. Nec enim obsidione tùm cingi ciuitas propter frigoris immanitatẽ, nec vno momento expugnari potuisset, si vel modicum defendere hostem, ciues à mœnibus cœpissent, adeò diuina mens nostris patrocinata partib9, omnem aduersariis mentem eripuerat.

Dùm hæc aguntur, plus ducenti, quos vel odium nostrarum partium, vel meritorum conscientia exercebat, per auersam vrbis portam se eiiciunt, atque aliò in tutum transfugiunt. In his fuêre rabulæ seu hæreticos præcones, qui nè linguas solum in perfidiam conductas, sed etiam pedes ad fugam exercitatos habere viderentur, fugitiuorum agmen ducere, quàm claudere maluerũt. Cum deinde ab ea fuga animaduerterent, honestissimi sui nominis, ac tanto mendaciorum vsu parti, iacturam se aliquam fecisse; in ipsa penè fuga, sui memores, eam maculam egregii fabularum fullones eluere aggrediuntur. Nam Principi Palatino Apologeticum inscripsere; & quòd fugerint, haud de nihilo fuisse; territos enim se, nequaquam illo Martialium tubarum classico, neque ferocientium equitum aspectu, neque armatorum legionum aduentu, de statione decessisse: quis enim Heroum olim hæc terriculamenta non spreuit? atqui quòd comperissent, non modicum Iesuitarum manum, cum illis copiis ingruere, hîc verò commorari vltra non libuisse, sed salutem in exilio quæsisse, quam in patria, vt desperarent,

Iesui-

Iesuitas (aliorum etiamnùm cruore insignes, & à barbarica immanitate sæpè laudatos) effecisse.

Oppido in potestatem accepto, supremus belli Dux, alas equitum duas, totidemque cohortes delegit, quas secum in vrbem induxit; cæteras vt maleficio abstinerent, castris continere se iussit: iis copiis forum curiamque occupat. Ibi primò omnium infamem iubet furcam publicè erigi; deinde ad sese omnium ciuium tela armaque comportari; quod quidem adeò non recusarunt, vt etiam festinarent. Nec potuit in tàm tristi vrbis fortuna, non ridiculum esse, quòd videre erat laniones mirè trepidos rogare, iuberetnè inter reliquam armaturam ipsos etiam cibarios cultros ponere; vsque adeò iam non ii erant, qui pridie Cæsarum Principumque ingratiis omnia se posse iactitarant. Post hæc compedes nonnullis primariis iniectæ, donec liqueret, quid fieri illis Cæsar vellet. Exarmata in hunc modum ciuitate, præsidioque vrbi imposito, quanta maxima potuit celebritate, solemnis supplicatio per vrbem indicitur, deduciturque, qualis post hominum memoriam id loci spectata non fuerat. Debuit enim vel irata ciuitate fieri, quod peragi olim se propitia non sinebat; cumque vrbs perire etiam maluerit, nè supplicantium agmen videret, par erat, vt postea saltem, quàm periisset, videre id cogeretur. Sacra templi supellex (quæ incorrupta & supra expectationem erat) & claues ad nostrum Patrem deferuntur, quas profugi curiones reliquerant. Accepta tantisper à nostris ea conditio, vt quoad Serenissimus vellet, conciones illic haberent; vt duo item tresuè Socii interim in vrbe degerent, mi-

liti

liti pariter populo, quę auxiliares. Inde ea nostrorũ mora iam amplius annua est. Cæterum euenit, vt Pater è ciue honestissimo natus, ex illo tùm suggestu primus omnium Catholicorum diceret, ex quo meminerat, quinquaginta duobus retrò annis, non nisi funestam coruorum vocem esse missam; quem & longo antè tempore, quàm de bello aduersus Tonauertanos cogitaretur, inter ioca dixisse compertum est, sperare se, res illorum eò venturas, vt ex eodem illo loco ad populum olim peroraret. Vertit ea vox in præsagium, cùm euenta responderunt. Et quoniam is dies D. Thomæ Apostolo fuit Natalis, tempori ab illis Christi verbis est exorsus: Quia vidisti me, Thoma, credidisti. Quæ quàm appositè ad ciuitatis habitum, quamque vtiliter dixerit, testantur viri primarii, qui frequentissimo templo eam Ecclesiastæ orationem approbarunt, certatimque vt describerent, contenderunt. Ad hanc ergò frequentiam accesserunt etiam magno numero hæretici, sed cùm alteris, alterisq; concionibus plerique omnes adfuissent, sensim super alios alii dilapsi, quòd sua deliria, & somniantium præconum ridicula in nostro desiderarent, ad pagos, quâ poterant, eruperunt. Redeunt nonnulli tamen etiamnum; quos fateri palàm non pudet, probare se nostra quidem scita, ac suis longè antehabere; sed eadem nè sequantur, audacia carere. Quanquam nihilòminus septem & octoginta saniori consilio locum dederunt, ex quibus est, qui summa nunc animi constantia, vt gloriatur, cupere se Catholicũ, vel auctione fortunarum suorum facta, oppido patriaque excedere, si quo rursus infortunio in vete-

tem

rem perfidiæ pestem ciuitas prolabatur. In eadem re non fortior extitit alius, etsi planè felicior. Loci consul is fuit, iam defectus viribus, & grandis natu, octogesimum agebat, qui Sacerdote nostro accersito, gaudere se aiebat, cùm in ea ciuitate, in qua olim Catholicus viuere cœpisset, rursus & mori posset. Inde noxis per pœnitentiam procuratis, sacro epulo accumbit, dieque sanctè obito magna omnium ordinum frequentia effertur.

Impensius laboratum in viro nobili, reique militaris probè experienti, & quod luctuosissimum fuit, nostrarum copiarum non infimo Duce. Commiserat ille nescio quid in leges belli ac disciplinam, quam sancire debuisset, inter primos violarat: Qui reus proinde apud Principem factus, nè exemplo impuniti sceleris, licentiam suaderet, in vincula iubetur duci. Cumque post cognitam causam supplicium instaret, rogat sibi nostri colloquendi fieri copiam. Accersitur Pater, qui hominem haud sanè optimè affectum inuenit, & à supremæ necessitatis nuncio nimis quàm alienum: multa insuper militari libertate dictitantem actitantemque. Eum Pater primùm blandè affatus, mox duriorem sensit, vehementius, demum seuerè adhortatus est, vti sibi ipse consultum vellet, Numenque precibus eniteretur propitiare; etiam se suosque domi facturos, quod res posceret. Secundum ea verba, quæ horam tenuêre, disceditur. Reuersus postridie reum lacrymis confusum, & superioris diei impotentiam gemitibus excusantem offendit; dicta, factaque ea à turbati animi æstu, non à liquida mente exiisse; cupere illa indicta & infecta esse. Expũgere se omnem

 simulta-

ſimultatum memoriam, beneque etiam ipſis hoſtibus precari. Laudauit & mentem Pater, ac dein ordine de peccatis confeſſum luſtrauit. Cōfeſsionem ſecuta eſt ſacra Synaxis; quam tanto pietatis ſenſu participauit, vt eum cibum mortali ſibi diceret fore ſupremum; à quo dicto impranſus deinceps, & incœnatus, ſeſqui alterum diem inter aſsiduas preces exegit; tantum enim vitæ reliquum fuit. Vbi fatalis demum lux appetiit, nouus populo incuſſus eſt horror, cùm ſub dio iudicium militare, plenum antiquæ ſeueritatis, circumfuſa armati militis corona, conſtitueretur. Iam reus ad horum Iudicum ſubſellia citatus, ſiſtitur; inter quos ipſe principes partes, ni reus eſſet, obtinebat; data in eum actione, cùm accuſatio defenſioque duas horas & ſenis exceſsiſſet, ritu caſtrenſi magis quàm forenſi, ſententia capitalis in eum pronunciatur, vt mutilata prius dextera, vita denique exuatur. Damnato ex belli diſciplina vnius horæ vſura conceditur, qua ad ferrũ excipiendum ſe comparet. Inter hæc ſeducitur è publico reus; quem tātiſper comitatur Pater, quoad alii aliique fiant pro damnato Magiſtratui ſupplices; dùmque ille lenior nonnihil de ſupplicii rigore remittit, perſuaſum populo eſt, vitæ gratiam fieri: it repentè clamor tota vrbe, damnato viuere licere. Aduertit ea vox hominem, & à præſenti funere in vitam reducit; circnmſtant frequentes alii, alii accurrunt, nuntiant, prehenſant, gratulantur, iubent vitæ ſecurum eſſe. Abſcedit & noſter lætus euentu. Nondum è foro prorſus diſceſſerat, & iam à Magiſtratu reuocatur; iubetur ad damnatum reuerti, certum eſſe mox luiturum; vulgi eum errorem fuiſſe;

ſe non

se non sanè capitis pœnam, sed dexteræ solius multam supplicibus condonasse. Pater eo dicto fulminatus, ad rediuiuum funus parat redire, præmissis tamen nouæ cladis indicibus. Vbi in mutuos conspectus ventum est, vtrinque triste silentium, & communis duorum gemitus aliquandiù tenuit: sibi bibat nimirũ parum fuisse, si semel oppetiisset, nisi etiam iteratò exanimaretur. Noster tamen prior sese colligere, hortari, vt forti animo etiam hanc alteram plagam perferret, & quando viuere fœliciter non liceret, mori saltem piè disceret; Deumque sibi certè propitiaret, si fortunam nequiret. Paruit monenti; iamque erectior, animum iterata lustratione detersit: pòst precibus è libello pronunciatis, Marianum Rosarium de collo suspendit; inde ea vultus incessusque hilaritate in forum iit, vt negares ad supplicium ire: sed quas ille apud se lacrymas compresserat; eas ex omnium occurrentium oculis exprimebat, ita de integro post infelicẽ hunc errorẽ, sui miserationẽ cunctis iniecit. Cõscenso pegmate, quod altius in foro conspiciebatur, se ipse vmbilico tenus renudat, grauique & diserta oratione milites appellat, prmam præcipitii sui originem denarrat; rogat, ab eo exemplo, vt viuere aliter discant, si mori aliter velint. Demum osculis Christi pendentis imagini piè impressis, brachiisque in Crucem compositis, ferro occubuit. Coërcuit gregarios milites seuera hæc in ipsum Ducem animaduersio. Etsi coorta lite fuit aliud quoque militum par, quod mutuis vulneribus, se penè confecit, antè tamen, quàm eorum alter ex plaga decederet, nostri vni⁹ opera fuit alteri reconciliatus. Superstiti dies eodem, quo su-

prà ritu dicitur;atqui is iudicio absolutus, vxorem, quam ad id temporis hæreticam retinuerat, per nostros ad Religionem perduxit.

Serenissimi iussu seuerè arcentur à præsidio scorta, si qua initio fortassis irrupêre; aut profectò ipsi eorum amasii militia exauctorantur. Quæ quidem res plurimis Auctor fuit, vt fœtidos amores in nuptias honestas coalescere sinerent. Indidem pari lege dimittuntur præsidiarii milites hæresi aliqua afflati, nisi cùm spem faciunt, re porrò meditata fore, vt resipiscant: Cæterum vniuersè tanta inter plerosque est nostris adnitentibus morum honestas, vt negetipse eorum ductor, maiorem aut illi geminam vllis in præsidiis vel castris, ante hunc diem se meminisse. Disputant passim aduersus impias Lutheri leges, & pro Ecclesiæ placitis acerrimè propugnãt. Sed nimirum vna est plaga, ad quam elingues confestim redduntur, quòd Lutherani perperam prolatis in medium diuinis literis velitantur; ei' armaturæ quia rudes ferè sunt militum animi, accidit subinde, vt à litteris ad pugnos appellent, suosq; patresfamiliàs pro immodico in Religionem studio non defunctoriè depalment. Habent igitur nostri laborare, vt nimium hunc æstum opportunè contemperent.

Vniuersi, quibus cura fuit, vt se confessionibus piarent, censi sunt, circiter sexcentos octogin ta duos. Verno tempore, agmen Catholicorum cum elatis fidei nostræ signis explicatisque vexillis in pagum suburbanum processit, Deoque ex ritu patrio supplicauit: vbi & nostrum pro concione verba facientem audiuit, armata interim cohorte ad forum

rum præſtolante. Pompā deinde in Corporis Chriſti honorem deductam, quæ poſt graſſantem Lutherum prima fuit; cohoneſtauit cœnobitarum ad Sanctæ Crucis in hac vrbe Antiſtes; qui ſuis manibus ferculum cœleſte per vrbem (neſcio an liuentibus hæreticis, certè quod vnum olim, & nequidquam cupiebatur, tacentibus ac trepidantibus) geſtauit. Iamque eò perducta res, vt huc exteræ etiam ciuitates ac pagi ſupplicationes decernant, ductaq; per medium forum felicia Eccleſiæ arma ventilent. Rainenſes primi, Boii, quarto à Tonauerta lapide, cum vniuerſa vicinia id tentarunt; quos præſidium exploſis militariter fiſtulis, obuiam ſalutauit. Alteri ſubierunt mille circiter; quos pietas ſacri Iubilei tēpore, inſtructa acie in vrbem contendere, ibique ad omnia Diuorum templa inuiſere ſubegit. Iā quod omnium propè caput eſt, & Catholicæ rei acceſsio inprimis magna, id abs re eſſet non attingere. Conuenit intetaliquot probioris notæ ciues (quinque adeò ſuper viginti erant) vt tempore & rei nauandæ occaſione vterētur. Nam vbi ſe illa Lutheri alluuies in vrbem infudit, ſumma æde exturbati pauciores, iidemque meliores; eius vice acceperunt templum aliud longè humilius, atque extra mœnia ſitum. Viſum eſt ergò ipſis id temporis, quo Princeps Catholicus rerum illic potiebatur, vindiciarum litem aduerſariis intendere, & templum primarium iure recuperatorio ſibi vindicare. Quare ſuper eo negotio libellum ſupplicem conſenſu ad Sereniſsimum Maximilianum mittunt; qui pro ſuo in Rempublicam Chriſtianam affectu, magnoperè ſtuduit apud Cæſarem, id vt impetraret. Data ſecundum

Catholicos ſententia, nihil fuit potius, quàm vt tẽplum tot rabioſis Cerberorum declamationibus, ac prodigioſis cœnis, aliiſque iniuriis, etſi non planè exauſpicatum, re tamen vera cõſpurcatum, à Proëpiſcopo Auguſtano poſtliminio luſtraretur; indeq; nouo curioni ſolemni formula committeretur.

In eo dein Confirmationis Sacramentum multis, quâ iuuenibus, quâ adultis iam recens fidei auctoratis, impertitum. Ludimagiſtris Lutheranis ad vnum omnibus data miſsio, nè clanculò vice Prædicantium eſſent: iis ſucceſſores dati è meliorum numero, qui cæreos pueritiæ animos veræ pietati inſueſcere docerẽt. Inſtitui etiam doctrina Chriſtiana cœpit: vbi etſi ad primum aſpectum veſpertiliones horruere; comperto tamen dein, quàm liberaliter aliorum liberi haberentur, quodque icunculis donati abſcederent, etiam ipſi tandem ſumpsêre animos, vt accedere vellent; nec verò conſilii pœnituit, quando cum libellis dimitti ſe conſpexerunt. Præter ea, quæ ciuibus militibuſque impenſa ſunt, ruſticanis etiam conſultum eſt. Suſceptæ enim in ſuburbanum agrum excurſiones; quarum alteris ſupra concionis, & puerorum rudimenta, auditæ fuerunt confeſsiones ad trecentas ſeptuaginta; alteris expiati homines quatuordecim & ducenti. In vicinia Virgines ſacræ à noſtris pias identidem hortationes flagitarunt; morem importunis precibus iteratò geſsimus.

COLLEGIVM AVGVSTAnum.

DVo ex Sociis, poſt ſacrarum meditationum exercitationes, ex quibus magnus in omnes fructus promanauit, ancipiti morbo tentati in dubium nos vitę metum coniecerunt, ambo tamen & ope Numinis, & medici cura reualuêre. Tertius inter menſam fragmen oſsis peracuti, ſub pulpa carnis imprudens hauſerat, quod obliquum in gula hærens, nec deiicere nec reiicere poterat; ſurrexit illicò de menſa, vt extra triclinium conatu maiore tranſuerſum egereret; cum fruſtra eſſet, & iam de vita metueret, voto B.P. Ignatio patroniſq; concepto, explicatam repentè cruſtam oſsis, quod mirabundi poſtea ſpectauimus, expuit, & ſe menſæ reddidit. Cùm publica morbi lues in vrbe graſſaretur, decreta eſt ſupplicatio ad D. Bennonis Sacellum, quod ſexto ab vrbe lapide abeſt, & domi quotidiè ad aram D. Sebaſtiani, octauo quoque die publicè res diuina facta, placuit diuinæ pietati ſeruare Socios omnes, quamuis & confeſsionibus audiendis publicè expoſitos, & ad decumbentes accerſitos, placuit & noſtros ſcholarum alumnos, inter medium ſæpè incendium mali verſatos, tueri omnes. Ciuium funera numerata centum ſupra mille, ex quibus plerique ex Lutheri Schola prodierant, vt ipſi aduerſarii obſtupeſcerent, tàm raró Catholicos efferri. Remiſit vis mali ipſo die D. Sebaſtiani, quod ab ipſis ciuibus diligenter obſeruatum, nec ab eo die quiſquam amplius correptus, ægriq;

post hunc diem plerique omnes cura publica Senatus restituti. Scholę, quod iuuentus nostra per oẽs vrbis angulos sparsim haberet, ad quartum mensem intermissæ; conciones, Catecheses, Sodalitates nũquam. Sacris meditationibus exercitus Patritius è Senatu, ingentem fructum fecit. Ab hæresi absoluti quadraginta sex. Septuaginta serui & ancillæ cum Ecclesia, quam propè deseruerant, confessione reconciliati. Pagus Lucelburgensis totus præter filium Prædicantis, & numerantur sexcenti, ad fidem rediit. Seruis & opificibus, huc ex Catholicorum oppidis agrisque missis, à Principibus cautum, nè in hæresim prolaberentur, prolapsis manus porrecta, vt extraherentur. Ciuibus futuris ius opificii sui exercendi, vxores extra Sodalitium & tribum non hæreticas ducendi, magno labore impetratũ. Fraus perfidorum opificum detecta & punita. Pupilli, viduæ, orbi ab inopia & periculo hæreseos defensi. Catholicus inter hæreticos apud ægros in Nosocomiis versantibus, de sacris prouisum, sepultura sancta impetrata. Iubileum ad omnium Sanctorum celebratum, in quo cẽsi communicantium bis mille sexcenti.

Supplicationibus consuetis in triumpho Corporis Christi accessit nouũ & præcelsum pegma, trecentorum aureorum, in publica via ad forum tabularium Fuggerorũ excitatum à Generoso D. Marco Fuggero, in quo & Christus in sacro & gemmato ferculo deponitur, dùm Euangelium à Diacono solemni ritu decantatur. Machina erat rotunda, & in tholum desinebat, suprà cancellata pergula totum opus ambitu cingebat, in qua ex nostro Gymnasio

nasio ſex cultu Angelorum ephebi, ſenſim accedẽtem Sacroſanctam Hoſtiam modulato carmine ſalutarunt, præſentem adorarunt, & abeuntem voce geſtuque proſecuti ſunt. Spectauit hunc Chriſti triumphum ſingulari cum animi voluptate Sereniſsimus Guilielmus Boiorum Princeps, & in Collegio nobiſcum religiosè prandit, Prouinciali reditum ex vrbe perhumaniter eſt gratulatus, ægrumque ex morbo, & ex grauiſsimis colicæ, calculique doloribus reualeſcentem inuiſit. In reliquis ſupplicationibus mutauit nihil, niſi quòd numerus quotannis maior cenſeatur. Quadraginta horarum preces vltimis Bacchanaliorum diebus feliciter hoc anno cœptæ, quas Sodalitium Corporis Chriſti, quod nobilitatem Auguſtanam complectitur, magno numero, & frequentia ſimul condicta hora ſub ſigno cohoneſtarunt. Interuenit & Sereniſsimus Leopoldus Auſtrius, Argentinenſis & Patauienſis Pontifex, qui bis ad nos ex itinere diuertit, & primum quidem, quod mirere, cum lues publica vrbẽ vaſtaret, contubernium tamen noſtrum non horruit, & nobiſcum Natalitia peregit, de nocte ſurrexit, tria ſacrificia audiuit, & Virginis filium religioſiſsime ſumpſit. Inter publica Religionis noſtræ opera hoc maxime ſolemne fuit hoc anno, quod ſexto & octogeſimo anno reuocatum inſtauratumque eſt. Antequam exitioſi Lutheri ſecta exiſteret, ex omnibus Parœciis & Cœnobiis vrbis, ſacri Diuorũ cineres, à maioribus noſtris ſanctiſsime culti in ædem principem B. Virginis pridie D. Michaelis, quo die ſummum templum à Cælitibus ipſis initiatum conſecratumque eſt, quotieſcunque in Do-

minicum incidebat, conferebantur, atque ex edito loco, qui in campum seu forum Marianum prominet, frequentissimo populo ex vrbe tota & suburbano agro cōfluenti, summa cum religione, non secus ac hodie in Antexensi monte, spectandi proponebantur. Anno Christi secundo & vicesimo post millesimum quingentesimum, grassante iam pestifera Lutheri corruptela, & rempublicam Christianam turbante, totoque clero post paucos annos ab vrbe proscripto, desitus hic mos sacras reliquias ostendendi, & octoginta sex annis, vt dixi, intermissus, hoc demum anno est restitutus. Inchoauit celebritatem R. P. Prouincialis solemni concione, qua de cultu & veneratione reliquiarum copiosissimè disseruit. Et cùm aliàs gratissimus populo eius esset aspectus, quem sex & triginta annos antè docuerat, tùm gratiorem fecit orationem commodissimam in eam ingressus, cùm diceret, par esse & decere, vti de re perantiqua & annosa, annosus & incanus senex (septuagesimum enim superarat) verba faciat. Exposuit deinde antiquissimum & ab omnibus retrò seculis sacrorum pignorum colendorum vsurpatum ritum & vsum, quem amplissimis sacrarum litterarum tabulis, ac PP. priscorum auctoritate confirmauit. Secundum coucionem in veteri Odæo templi, tabulatum ac veluti tribunal extructum, noster ordinarius in summa æde Ecclesiastes conscēdit, & cœpit de re præsenti pauca præfari. Deinde recitato ex scripto primæ DD. classis elogio, quæ pœnitentium fœminarum viduarumque & virginum ordinem continebat, prolata sunt earundem ossa è sacrario, & populo infrà stanti ostensa,

ſtenſa, quæ noſter ex charta docebat, cuius Diui Diuæq; eſſét, quæ videnda exhibebantur. Primum omnium Sacroſancta ceruix Mariæ fuit Ægyptiæ, quæ in noſtro templo colitur, ac deinceps ordine eodem reliquiæ aliarum. Finita prima claſſe, chorus Muſicus interualla & diſcrimina Sanctorum diſtinxit. Mox rurſum Anagnoſtes celebres confeſſione Patres laudauit, eorumque ſacros pulueres aureis argenteiſque arcis & ferculis clauſos, populo verbis aperuit. Secuta eſt hos purpurata Martyrum phalanx; deinde D. Apoſtolorum Collegium: tunc Patronorum ac Tutelarium vrbis, Lucij, Vdalrici, Afræ, Hilariæ, Narciſſi, Symperti, & qui hîc vixerunt, aut pro Chriſto occubuerunt. Habuit & D. Virgo poſt hos ſingularem locum, ac poſt illam S. Crucis, & æterna Chriſti tùm vitæ, tùm necis monumenta. Demum ab infulato Præſule Sacroſanctæ Euchariſtiæ(quam in æde S. Crucis colim') memorabile prodigium, ter inclamato ſalutari Ieſu nomine, videndum & adorandum populo propoſitum. Tenuit hoc ſpectaculum viſores amplius tres horas, & quod obſtupeſcas, nihil ſequentibus feriis obſtrepuerunt Lutheri blaterones. Obiti quoque extra vrbem vici, luſtrata oppida, expiata ſacrarum Virginum cœnobia, conciones & adhortationes habitæ, pacificationes factæ. Pagus eſt oppido Bauariæ proximus, in quo Lutheranus declamator, non ſolùm commiſſa ſibi ouilia peruerſa doctrina corrumpebat, ſed in oppidum etiam ſemina impietatis occultè ſpargebat. Effectum per litteras, vt non ſolùm lupus à caula Chriſti arceretur, ſed etiam Catholicus paſtor immitteretur. Gymnaſium

nasium V. Calendas Februarii extincto prorsus infami morbo auditoribus patefacto, collectæ discipulorum reliquiæ cetum septuaginta, nunc quem ante morbum habueramus, numerum plenum quadringentorum recensemus. Ad disciplinam Gymnasii nostros Auditores studiosè reuocauimus, quam dùm vnus quidam ex Rhetorum cætu contumaciter refugeret, ferulæque manum subduceret, eodem die, quo pœnas fugit, ab ignoto linteone semipotus lethalem plagam accepit, ex qua postridie decessit. Aperta Numinis vindicta simul & clementia adolescentem prosequente, quæ minus pium, nec enim Sodalitium B. Virg. vnquam est ingressus, & refractarium morte multauit, & tamen passa non est, eundem inexpiatum è vita abire. Accersito enim Sacerdoti nostro omnes conscientiæ labes aperuit, viaticum ad cœlum, sacram Synaxin sumpsit, & in votis ac precibus animam Conditori commendauit. Multa animo rectè destinarat alius, sed destinata tardius exsequutus, in vltimum vitæ discrimen incurrit. Missus erat ab hero negotiorum causa in pagum quarto ab vrbe lapide remotum. In itinere cùm in vmbrosam conuallem circa occasum solem incidisset, à latronibus exceptus iussus est dare pallium; negantem vrgere illi, minari, circumsistere. Expedit iuuenis ferrum, vestem pedibus premit, opem Dei, Deiq; Matris magno clamore implorat, venitur ad manus, pugnatur ad semihoram, perstrictus leuiter extremo sicarij mucrone secundum supercilium noster bellator dùm in pectus aduersarii telum infigere conatur, coxendicem traiicit, atque in solum deponit. Restabant

ſtabant duo, qui non tàm pro veſte iam, quàm ipſa vita pugnam inſtaurant, ſed ne Hercules contra duos; graue fuiſſet quamuis valenti diutius certare duobus, niſi in vltimo diſcrimine vidiſſet equo vehentem cum pedite ſeruo accedere, cuius opem non vanis precibus expertus eſt; ſubitò eques fiſtulas ferreas promit, ictum in prædones deſtinat, & occidiſſet abſque mora, niſi proiectis armis ambo in pedes procubuiſſent, ſupiniſque manibus, & infimis precibus veniam ſceleri vitamque, ipſo noſtro milite deprecatore, impetraſſent. Solis ergo pugnis ad ſatietatem contuſis ac depoſitis; noſter viator cum viro nobili, qui ſuppetias illi venerat, cœptum iter proſequutus feliciter abſoluit. Fuit haud immemor neglecti propoſiti ſui iuuenis, quod nouis votis confirmauit.

Iuerat quidam ſupplicatum ad ſuburbanam Virg. Lauretanæ Ædiculam, vt ægro & iam in vicinia mortis verſanti ſalutem impetraret; impetrauit, & domum reuerſus ſaluum inuenit. Prodiit hoc anno ex Collegio noſtro Aula ſancta, vitas S. Pulcheriæ, Theodoſii iunioris, & Eudoxiæ coniugis complexa, & Sereniſsimæ Eliſabethæ Maximiliani Boiorum Principis coniugi dedicata. Hortus Collegii geminis vtrinque muris clauſus; erectum à fundamentis valetudinarium, impoſitum eidem hybernaculum & Muſeum, in communem hyemis vſum; tota moles octo conclauibus abſoluta eſt. Tēpli quoque ſupellex aucta ſtatuis duabus ex argento factis, D. Martini Pontificis, quam centum aureis curauit ad D. Mauritii Canonicus, vir ſingulari erga nos & pauperes ſtudioſos liberalitate; & D. Lucii, ex

cii, ex Britannorum Regibus oriundi, qui primus cœleſtem Euangelii legem Auguſtanis promulgauit; hanc Collegium ex piorum collata ſtipe, eadem cum illa magnitudine & precio Diui reliquiis incluſis adiecit.

COLLEGIVM LVCERnenſe.

LVcernæ R.P. Theodorus Buſæus Viſitator, Prouinciam luſtraturus, cæpit ipſe primùm ſacrarum meditationum ſilentio ſe committere, dein præſcriptum à R.N.P. Generali munus feliciter inchoauit. Adfuerunt extemplò proceres Lucernenſes cum lautitiis, quibus & venientem liberaliter excepere, & abeuntem adiecto comitatu, prolixoque viatico, proſequuti ſunt. Idem Magiſtratus erga alterum Patrem valetudinis recuperandæ cauſa miſſum, ſe munificum exhibuit, cùm in medicos & medicamenta ſumptus copiosè fecit. Sacra apud nos obierunt amplius viginti millia; hæreſin execrati tres & triginta. In templo noſtro hoc primùm anno à recens creato Rectore, doceri cœpta capita doctrinæ Chriſtianæ. Quod adeò placuit Magiſtratui, vti Senat⁹ edicto cauerit, ne quis ꝑ id tēpus ſuos in foro liberos vagari pateretur. Quin & ſubſellia & cathedras ad concertationem fieri curauit. Veſtiario quoque ſacro locum nobis conceſsit, cùm adhuc è Collegio Sacerdos rem diuinā facturus per templum, qua longiſsimum eſt, perq; confertū populū penetraret. Ægris oratio, morborum lenimētum, adhibita prope quotidiè. Quintum

tum annum iacebat miser humi in arborum folia abiectus, & omni membrorum vsu, præter brachium dextrum & caput, destitutus. Tanta patientia, vt exemplo posset esse seculo. Peregrinus duplici malo hæresis & mortis vicinæ laborabat, quam leuiter aggressus noster cepit, & in cœlum post alteram horam expiatum transmisit, vsque adeo nulli⁹ est salus desperanda. Capitis reos & ad triremes damnatos inuisimus. Reus ad supplicium raptus & fractus animo, ita mox cõfirmatus est, vt non mortem, sed mortis causam, malefacta horruerit: Deoque ac Magistratui nullum finem agendi gratias fecerit, quòd tam breui & leui supplicio, tam grauia piacula expiare posset: mouit lacrymas & admirationem repentina hominis immutatio, vt beatum prædicarent, qui per eam infamiam famam corrigeret, & cum cœli optima spe decederet.

Foris nostri audierunt trium hebdomadum excursione mille ducentos nonaginta quatuor. In pueritia quoque instituenda multum operæ positum. Etiswili, propter Sacram Eucharistiam olim à grege pecudum adoratam, celebri loco, sexcenti per confessionem Deo, quatuor per fidei professionem Ecclesiæ reconciliati. In eremo D. Virginis ad dedicationem tẽpli à Cœlestib⁹ hierarchis quondam consecrati, intra quartum decimum diem nostris illuc à Præsule Cœnobii accersitis, sua peccata millia quatuor aperuere, quinque se Catholicis adiunxêre. Denique variis in oppidis, cœnobiis, castris præter conciones, Catecheses, adhortationes, à Sectis alienis ad Catholicam disciplinam extrà superi⁹ enumeratos, eruditi quinque, animos confessione purgarunt millia nouem & trecenti. Pu-

Puellæ coniugum ſortiendorum curioſæ, humi ſpeculum defodere iuſſæ, & poſt triduum effoſſum inſpicere: ægrè tertiam lucem præſtolatæ bene manè ad locum egrediuntur, deſtinatorum ſibi maritorum facies cupidæ videre; cùm ecce tibi monſtrũ immane, ingens, cornigerumque, Amonem Ægyptium dicéres, intuentur; nec diutius moratæ, abiecto vitro trepidæ domum recurrunt, & Sacerdotem noſtrum ſuper eo facinore conſulunt, qui cœleſtem illis ſponſum oſtendit, quem amarent, æternumque poſsiderent. Sacerdos officio & oculis & opibus defunctus, in Xenodochio morabatur, quem oppreſſum mœrore, & triſtes animo cogitationes voluentem, de nocte forma præpotentis amici aggreſſus dæmon, ad ruinam & præcipitium inducere conabatur, triduo ante apud noſtrum labes animi exterſiſſe, rectà cœlum ſubiturum, ſi ex alto ſe in terram ſaltu daret, cùm ille non deorſum, inquit, ſed ſurſum ad cœlum itur. Senatus argumentis haud vulgaribus ſuam erga nos beneuolentiam commonſtrauit, cùm ſimul Collegii, templi, ſcholarum, & horti ſuburbani certam & ſtabilem poſſeſsionem publicis tabulis confirmauit. Ciues rem familiarem ducentis aureis ſubleuarunt.

COLLEGIVM FRIBVRgenſe.

DVo Candidati Eloquentiæ ad Philoſophiam Chriſti in tirocinium Societatis Landſpergam profecti; vnicus alter viduæ, alter item vnicus vidui; vtrumque parentes ipſi à filiis inducti

Socie-

Societati lubentes volentes conſecrarunt. Doctrina Sacerdotum ſuſcepta diſputationibus illuſtratur. Societas B. Virginis augetur indies & numero, & virtutum exercitatione. Senatus auctoritate publica ſcenas in foro conſtituit, in quibus Patientia hoc anno triumphauit. Templum proxima æſtate tegetur, cui duo millia aureorum ab vno ex noſtris aſsignata: decem millia Collegio, ciuibus, quorum offenſam timebamus, non inuitis. Alii quingenti triginta nouem ab aliis donati.

MISSIO VALEſiana.

AD Sedunos in Valeſiam præter duos Patres & Miniſtrum, totidem in oppidum Siderenſe ſubmiſsi, cùm Pater Viſitator viciniam obiiſſet. Sed hîc alter Sacerdotum Pater Ioannes Fontanus Friburgenſis Noithonum, cùm Scholam aperuiſſet, & primæ ætati literarum elementa tradere cæpiſſet: mox didactrum in cœlo recepit. Vixit in familia Societatis ſedecim, extra decem & nouem. XIV. Calendas Nouembres inter viuos eſſe deſiit; morti eius totus populus illacrymauit, cui gratiſsimus, vti & ipſi Epiſcopo Sedunenſi fuit; ſemel duntaxat concio perorantem audierat, & mox curionem poſtulauit. In dicendi elegantia, quam aliquot annis docuerat, egregiè exercitatus, poſt Philoſophiæ & Theologiæ ſtudia cum laude decurſa. Claſsis Auditores numerat quinquaginta. Mirè gẽs capitur ſacris ſpectaculis, quæ ad pietatem augen-

 dam

dam subinde magna cum spectatorum voluptate dedimus; hanc æmulatus indigena quidam cùm vincere nos apparatu studeret, & in scenam cum grege suo prodiisset, feliciterque actum inchoasset, & verò ad finem propè perduxisset, accidit, vt sub ipsum ferè plausum res tota verteretur in luctum, quando proscenium malo tibicine fultum corruens, puerum interceptum elisit, & comœdiã in tragœdiam mutauit. Circa Soteria Christi sacra mensa excepti nongenti, libri malæ notæ flammis emendati, aliaque Societatis officia sanis, ægris, pro more præstita.

Studium Antistitis & populi mirum erga nostros inde discitur, quòd cum Visitator Prouinciæ cum Sociis adueniret, quærerent quid id hominum esset, quid sibi vellet? Si veniret Iesuitas auocatum, velle se aduentores lapidibus exigere. Bonæ profectò spei minæ optandæ iis, quos mala fides in nos armat, per quos hactenus stetit, ne lues hæreseos tota è medio tolleretur.

COLLEGIVM OENIpontanum.

OPportuno hîc consilio factum, vt Euangeliorum, quæ pro concione explicantur, vsus, ordini Romano cùm in vrbe, tùm in agro conformaretur. Obtulit & charitatis exercendæ nobis ansam excitatum alicunde incendium, cùm pulueris nitrati pistrinum subitò conflagrauit, quo in tumultu flammæque furore, dùm eiiciendæ supellectili impensius incumbitur, quatuor igne

origne correpti. Præfectus ipse molæ cum minimo natu filio. Pater intra biduum absumptus, natus ad duas tresvè hebdomadas prouixit, qui post acerbissima corporis vndique ambusti tormenta, morti iam propinquus, Christi de Cruce pendentis imaginem admodum piè exosculatus, manibusque sauciatis arctissimè complexus, nihil æquè sibi dolere ait ac peccata, vt præsentibus innocentia perspecta, ruborem incusserit simul, & lacrymas excusserit, qui ob maiora fortè crimina minùs se nouerunt sollicitos. Bis nostris cura demandata à supremæ curiæ Senatu inspiciendorum & censendorum librorum, qui Augusta Venetias vehebantur, an hæresis veneno essent infecti, aut meritò aliàs prohibiti. Quos nostri reiecerunt, eos & ipse suo calculo improbauit, nec passus est in Italiam deportari, idque iussu Serenissimi Archiducis. Pietatis opera conatu nostrorum promota. In quibus haud iniuria illud numeratur, quòd indulgentiæ iis impetratæ, qui Eucharistiam, dùm ad ægrotos defertur, publica religionis significatione prosequuntur. Ab hæretica prauitate ad Catholicam veritatem traducti sunt tredecim.

Auctum donis Collegium aureis sexcentis, templum sacra veste, & pecunia trecentorum aureorum.

COLLEGIVM HALLENSE.

HAlæ ad Oenum concionibus effectum, vt in rogum efferrentur hæreseos damnati codices. Statua Christi de Cruce pendentis sa-

era intra oppidum & ædiculam Lauretanam haud procul inde sitam, & ad exemplum Archetypæ factam, collecta piorum stipe aureorum quinquaginta, erecta, viatoribus & commeantibus pietatis monumentum. Degener filius parentem ad vltima properantem solus affligebat, pro cuius ingenio emendando salutarem litari hostiam à nostro petiuit: Nec eo promisso contentus, quem viuus ad officium reuocare non poterat, mortu⁹ incurrit, terruitque tamdiu nocturno strepitu, quoad ille positis vitiis virtutis iter ingressus, nouam viuendi rationem institueret. Ita alius triplici sacrificio manibus inquietis pacem impetrauit, & suam simul cōscientiam persanauit. Correctus error quatuor hæreticorum. Templi nostri fundamenta festa cum cærimonia S. Gregorii Cœnobiarcha, præsente nobilissimorum procerum corona, IV. Calendas Maias collocauit. Sacra Diuorum pignora, quæ in Parochia seruantur, præterito anno è situ & sqalore protracta, & auro argentoque vestita, hoc iterum (intra octogesimum nunquam visa) sunt populo pro exedra in forum prominente, magna cum religione, eodem ferè ritu, quo Augustæ, spectatum exposita. Sacræ vestes futuro templo consecratæ non paucæ, aliaque Collegio dona, beneuolentiæ argumenta data. Serenissimæ Ferdinandi Archiducis sorores illustrarunt idem, quando ad nos viserunt. Serenissimi Principes, magni Pontifices, Leopoldus Austrius, quatriduum apud nos, velut Sodalis diuersatus: diuertit & germanus eiusdem Maximilianus ex Italia redux: Cardinalis item Melinus Pontificis Max. legatus, cum minoribus Pontificibus

tificibus duob⁹; ſalutauit nos etiam, eiuſdem Pontificis nuncius Epiſcopus Vercellenſis. Qui omnes omnia nobis officia humanitatis exhibuerunt.

COLLEGIVM BRVNTRVtanum.

BRuntruti ad ampliſsimorum beneficiorum fructum in cœlo metendum, abijt Iacobus Chriſtophorus Blarer, Pontifex Baſileenſis, Templi, Collegij, Gymnaſij, Syntrophij Auctor, conditor, altor. Lecto affixus, vbi de vita medicos ſeuerius iudicare ſenſit, enimuerò publicas curas vigiliamq; communem putauit remittendam, vt Deo ſibique vacaret vni. Patrem noſtrum, cui conſcientiam credebat ſuam, noctu diùque ſibi adeſſe voluit, ſæpius in illius aures peccata depoſuit; ſæpius de illius manu SS. Euchariſtiam cepit: Semper eius nutus ſequutus omnes. In morbo nulla conquerentis animi ſigna, nullam dolorum ſignificationem præſetulit: hoc tantùm, vbi de more Princeps appellatus eſt, reſpondit, ô me Principem, ô qualem modò Principem! mortis, inquam, mancipium, terram, puluerem, vmbram, nihil. Interim conuerſus ad vitæ auctorem Chriſtum, de Cruce pendentem religioſiſsimè complexus pectori apprimebat, oſcula figebat, monebatque lectum adſiſtentes, ex lege Chriſti: Operarentur dùm lucem haberent; omniumque preces & vota expoſcebat. Signabat etiam ex libello certas preces, quas in ſupremo vitæ tempore à noſtrate cuperet ſibi pronunciari. Erant eius pij libelli non tantùm hora-

rum Canonicarum, ſed tres alij, adeò vſu detriti, vt exeſæ literæ oculorum fugerent aciem, teſtes aſsiduarum precum, quibus impetrauit à Deo, vt maximarum rerum molitiones feliciter exequeretur. In ſumma enim temporum iniquitate, difficillimam Epiſcopatus prouinciam ſuſcepit, anniſque tribus & triginta ita adminiſtrauit, vt rem illic Catholicam tantùm non ab interitu vindicarit. Multa paſsim oppida pagoſque vel recuperauit, vel ab hæreſi repurgauit: quæ omnia ſigillatim in laudatione funebri in litteras publicas miſſa copioſius enarrantur. Vixit annos LX. XIV. Calendas Maij à morte ad meliorem vitam eſt profectus. Octauo poſt obitum die ex arcis ſacrario in ædem noſtram funebri pompa delatus, & cryptæ, dudum ab ipſo Principe ad gradus ſummæ aræ deſignatæ & conditæ, illatus. Ter vario tempore optimo parenti eſt parentatum, ter dictum à noſtris elogium tribus linguis, Germanica, Gallica, Latina. Parietes templi lugubri carmine ſuum conditorem fleuêre. Lacrymæ typis conſignatæ, & in orbem ſparſæ, benefacta Principis æternum teſtabuntur. Enimverò vt læta plurimùm triſtibus contaminantur; ſic & ſubinde triſtia lætis temperantur. Occaſum fundatoris noſtri vt ferremus moderatius, fecit eiuſdem Principis nepos Guilielmus Ringgius, communibus ſuffragijs in mortui auunculi locum ſuffectus. Non antè ſanctius Canonicorum Collegium in ſuffragia ire, punctiſque nouum deſignare voluit præſulem, quàm vniuerſi apud noſtros contractas in animo noxas emaculaſſent. Magnam hæc noui Antiſtitis optata ſperataque creatio, bonis omnibus

bus

bus aſperſit quidem lætitiam, neſcio tamen qua liquidiore noſtros Sociorum animos perfuderit voluptate. Lectus enim ille eſt, qui pluribus annis Dilingæ, Herbipoli, contubernalis noſtra formatus manu, eas præ ſe magni ſemper tulit animi notas, ex quibus prudentes magnam futuræ dignitatis amplitudinem præſagirent. Tertia à Sacrorum Comitiorum die, cum Collegium Gymnaſiumque non ſine beneuolentis animi ad nos inclinatione luſtraret, quod facere debuimus, nouos titulos nouo Præſuli ſumus gratulati; ſtudia, ſicubi opus etiam, opellam noſtram in animorum procuranda ſalute detulimus. Et Gymnaſij ephebi claſsium diſtincti ſymbolis ſuas partes non paſsi ſunt deſiderari, noui honores nouo Principi vt bene eueniret, bene ſunt precati. Princeps paucis gratulanti ſic reſpondit noſtro, vt quàm præclaram de Societate in animo foueret opinionem, facilè emineret, illumque vt dignitate Pontificia, ſic virtute beneuolentiaque in Societatem ſingulari defuncto Antiſtiti ſucceſſorem gauderemus. Poteſtatis habenas incepturus moderari, à Numine felix putauit principium eſſe captandum. Quadraginta horarum comprecationem hunc in finem inſtituit, cùm per vniuerſum Diœceſim, tùm in noſtro templo; ſex ipſe horas, Canonicis, Patribus, Aulicaque comitatu ſtipatus, in oratione poſuit. Sæpiuſcule in æde facit Societatis; ſacraſque Chriſtianorum populo, diſcipuliſque epulas diſpenſat. Sui imperij luſtraturus fines, quando ſubiectos ſua in verba iuraturos auditum ibat; de noſtris Patrem habuit ſecum, quem pro ſuggeſtu dicentem audire, cuique conſcien-

tiam credere consueuit.

A mortis discrimine duo propius abfuere, non morbo sed fulmine, non tàm icti, quàm afflati. Quę res vt acciderit, cùm haud careat Numinis prouidentia, exponam. Diu cœlum æstiuis caloribus arserat, tandemque in nubes coactum, horrendo tonitruum fragore, mugire, crebris fulgetrarum ignibus micare, maximo turbinum impetu imbres præcipitare, inter diem noctemque vix discrimen cernere, cùm ecce tibi procella repentè detonat, templumque nostrum petit, & Christi pendentis effigiem altari imminentem ferit, caput reuellit, reuulsumque disijcit, corpus hiante rima ita findit, vt à Cruce tamen, quamuis solutis brachiorum manuumque clauis, non remoueretur; pegma altaris inauratum passim lambit, & turpes inurit notas, delabitur inde in Sacerdotem, (tùm sacris operantem & Dominicam precationem pronunciantem) turbinisque vapore inuolutum corripit, & humo leuatum ab ara quinque pedes, in cancellos altaris ingentes abijcit. Ruentem prostratus antea minister porrecto brachio nescius excipit. Populus Sacerdotem in fumante flammanteque globo iacentem spectans conclamat, accurrit, magnamque lactis copiam ad opprimendam flammam, qua putabat ardere omnia, adfert. Pater exanimatus, vbi parumper se colligit, solicitus de SS. Hostia, quærit an salua sit, leuatusque inter brachia Sacerdotum, cernit omnia integra, nisi quòd vis tempestatis pallam ab immoto calice decusserit: rem ergo diuinam peragit, & peracta reductus ad Collegium, posita veste, videt à medio pectore, quà Virginis

ginis imago cum Agno conſecrato deſinebat, rubentem conſpicit lineam ad imum vſque dextri pedis veſtigium pertinentem, quæ intra paucas hebdomadas è rubro in album conuerſa penitus euanuit. Nulla etiam in turri, quam icerat, flamma hæſit, nulla in templo: totus cœli furor intra metum & timorem ſtetit; an Pater qui tum ſacrificauit, ſuo pectore irati fulminis & Numinis telum excepit, ne in populum aut vrbem graſſaretur? Certè quo die de cœlo tactus eſt, vti & præterita nocte dieque, veluti quod accidit ominatus, & ne quid grauius eueniret, deprecatus, facilè centies illa Chriſti ſupplex ingeminauit, dimitte nobis debita noſtra. Et illa, ex Litanijs, A ſubitanea & improuiſa morte, libera nos Domine: Per Crucem & Paſsionem tuam, libera nos Domine.

Adiectū octiduum ante ſtudiorum reuocationem, vt cum ijſdem redeat ſpiritus ardentior pietatis. Ijſdem aſceticis, præter noſtros exculti duodecim, Parochus & Parochi Vicarius, Barones duo, Religioſi octo ſuo cum Præſule. Conciones ad populum, ad Principem, ad iuuentutem noſtram, ad pueritiam in Catecheſi locum & fructum tenuêre. Duodecim Luthero renunciarunt. Puella vſum vocis aqua luſtrali hauſta recuperauit. Ex agro quoque vicino collecta ſeges. Marchionis vicini vxor cum toto gynæceo Cœleſti epulo poſt elutas confeſsione maculas, refecta: nobile Parthenotrophium cum Antiſtita ijſdem ſacris expiatum. Noxii tres, & ex tribus dæmoni vnus deuotus, ad ſpem vitæ melioris excitati, oſsifragium pectore conſtanti pertulerunt. Mimus ſeu momus, qui petu-

tulanti lingua bonos publicè verbis & verberibus malè multabat, improbos laudibus, ex more, die DD. Innocentibus sacro extollebat, proscriptus; nonnulli deserta hæresi se Pōtificis auctoritati subiecerunt.

Matrona religiosissima templo candelabra duo præalta, trecentis aureis comparata dedicauit, quæ nomen suum libro vitæ inscribi, non chartis illini voluit. Calix vestisque sacra ab alijs collata.

COLLEGIVM RATISPO-nense.

DVm hic conuentus imperij Principum per Legatos ageretur, nunquam hospitibus Collegium caruit: admodum viginti in ascetica P. Ignatij se volebant abdere, si Collegij angustijs non fuissent exclusi. Ferdinandus Austrius Styriæ Carinthiæque Princeps, Cæsaris loco Comitiorum loco Præses, veluti publica mundi lampas, omnes in sui admirationem, vitæ morumque sanctitate conuertit; octauo quoque die contractas animi labes, apud ordinarium Societatis Patrem, quem secum adduxerat, confessione abstersit, rem diuinam omnibus modis procurauit, siue cum anni exordio apud nos in templo & triclinio versatus est, siue cùm publica templi celebritas ageretur, symphonia cœlesti nos populumque exhilarauit, & cum socero Guilielmo Boiorum Principe ad religiosum prādium nobiscum accubuit. Verno Ieiunio talia edidit virtutis documenta, quæ meritò posteritas in æternitatem mittat. Pridie Parasceues

cœ-

cœlesti pastus alimonia magno animi sensu, vt semper, cùm in summa æde quaternas admodum horas in diuinis rebus posuisset, domum rediјt hora ante meridiem, vbi cū tredecim pannis & annis obsiti viri præstolabantur. Ingressus, eos sedere iussit: tùm singulis in mensa perpetua collocatis, orbem ligneum, cochleare, cultrum, salinum, vini congialem fideliam cum cyatho itidem impleto apposuit. Quaterna fercula solus singulis anteposuit, eleganter ordinando, & curiosè ecquid rectè parata essent, inspectando. Missus autem fuit non vulgaris, & Principi non fastidiendus. Postquam senes è quatuor illis catinis, quod commodum fuit, carpsere, sublatæ sunt è mensa scutellæ à dapiferis, inque lignea panaria seu arcas ad singulorum genua sedentium, sub mensa positæ, studiosè cum ciborum reliquijs collocatæ: mox alia quatuor fercula Princeps, intulit & assurgere sæpius reuerentiæ causa volentes, humanissimè quietos esse iussit. His eadem ratione remotis, alia quinque adstituit, & vbi visum fuit, condi iussit: tredecim accubitoribus dena trina fercula sunt apposita. Postquam exempta fames epulis, tibialia iussi sunt exuere. Tum Diaconus Attalica veste fulgens Euangelium decantare: Princeps verò, cùm ad ea verba, quibus Dominus vestimenta posuisse, captoque linteo se præcinxisse memoratur, peruentum esset, & ipse gladium discingere, linteum sibi circumdare, humi pronus procumbere, astans in genua, pedes pauperum senum lauare, extergere, osculari, omnia verè & seriò. Quid assidentes senes, cæterique circumstantes aulici? stupebant admiratione: etiam

ijs Dy-

ijs Dynaſtis, qui adhuc procul erant à regno Dei (nam ſunt in ea familia ſpe emendationis) lacrymæ proſiliebant. His ita peractis ſurgit Ferdinandus, ſingulos nigro in veſtem panno donat, inijcit eorum collo folliculum, in quo argenteus nummus recens, aurei precio conditus fuerat: dextram porrigit, ea vultus ſerenitate, vt veriſsimis ex affectibus ea data donata fuiſſe facilè ſit intellectum. Ad hoc duos ſingulis ſatellites attribuit, qui ciſtas pinguibus donis oneratas domos portarent, ſenibus ſequentibus viamque monſtrantibus. Hæc iſto die: ſequenti, ſolennis ſupplicatio pro more eſt habita, tempeſtate ſatis aſpera. Hunc pium cætum decorauit quoque Sereniſsimus cum familia & Dynaſtis, Crucem præferente (quod hîc non amplius nouum) ſummi templi Præpoſito, vtraque congregatione B. Virginis comitante, & cætum Angelorum lugubria canentium ductante. Princeps autem in omnibus templis nuda humi contempto puluino genua fixit, & aliquamdiu precatus, imaginem Chriſti in Crucem acti, ante ora omnium eſt oſculo veneratus. Eodem die noſter quoque Epiſcopus ad ſepulchrum duodecim ſenibus lauit pedes, annuo ſoleınnique pietatis exemplo. Ad Principis ſui mores compoſita aulica officia, nos docuerunt, quantum in virtutibus progreſſum feciſſent, & quanto animi ardore Numen colerent, cum ne nobis quidem in contentione pietatis concederent. Noſter Orator Eccleſiaſticus de Eccleſia pro concione non ſine victoria diſputauit, quando ſeptem ſupra triginta manus dedêre, noſtraque ſigna relicto Luthero ſunt ſecuti, inter quos nobiles

duo,

duo, Saxo alter, alter Boius. Ad eandem rem libelli quatuordecim in vulgus editi, erroresque aduersariorum refutati. Quo nomine postularunt ream Societatem apud Serenissimum Ferdinandum Comitiorum arbitrum Saxones, & horum consortes hæretici, nostros esse pacis & publicæ tranquillitatis perturbatores, vulgare perniciosa & seditiosa volumina, quibus Rempublicam perturbemus. Serenissimus Ferdinandus non parùm Societatis causa solicitus, vti sibi auctorum seditiosorum nomina sigillatim in scripto ederent, vt in hos pro suo iure animaduerteret, petiit. Nominarunt illi defunctos Ederum, Pistorium, & Fabricium, & alios omnes, nullum è Societate. Itaque tota in illos calumnia cum ingenti Principis gaudio recidit, nostrique absoluti, & Societatis innocentia declarata. Qui ad sacrum Tribunal rei sistuntur, non antè absoluuntur, quàm confessionis tabulam à nobis testem vitæ prioris correctæ auferant. Eadem tabula petitur ab iis, qui singulis anni quadrantibus ad sacros ordines confluunt. Sacrum Eucharistiæ ferculum non solùm ad ægros, quod hoc anno singulari cum veneratione in contiguo vrbi oppido institutum, sed etiam ad custodias, comitantibus è Senatu duobus, quod ex antiquo vsu reuocatum, magno exemplo publicè defertur. Habent Christo honorem non Catholici tantùm, sed Lutherani quoque passim in viis in genua procumbentes. Omitto depulsa à desperatis, aut alioqui à malo genio diu noctuque vexatis, vltimis proxima pericula. Fœminæ duæ, altera domus & patriæ, altera cum patria etiam hæreditatis opimæ iacturam facere maluerunt,

luerunt, quàm ſalutis & religionis, ad quam deſe-rendam aſsiduè impellebantur. Gulam alius laqueo frangere tentarat. Ruptoque fune aut ſoluto, caſu planctuque corporis vxorem excitabat, quæ iacentem ſolata dum in pedes erigit, ille de manibus elapſus, in hypocauſtum properat, & arrepto cultro iugulum iteratò ferit, largoque ex vulneribus cruore manante, infelix defectus viribus in terram fluit. Vxor exanimata vulnerarium accerſit, ac demum, vt omnia apud hoc hominum genus præpoſterè fiunt, animi quoque medicum, qui in ſanguine volutatum ſuo offendit, mente ſenſuque deſtitutum. Inclamanti tamen ſæpius, & ſigna bonæ mentis poſcenti annuit tandem Patri, & à noxiis liberatur, ſacroque oleo imbuitur; altero die recepta ſpe vitæ etiam ſacram Synaxin ſumit. Omnia hæc in hæretica domo apud inquilinum perfecta ſunt. Noſtri ergo Sacerdotis dicta carpere nonnulli auſi, & à Patre refutati, è conſpectu ſe velut elingues & victi, vt olim, qui infelicem adulteram ad Chriſtum detulerant, ſubduxerunt. Noſtro recedente inuadunt rurſum ægrum, & ſermonibus deprauant, vt non niſi magno labore potuerit in viam reduci, qui ſaluus iam & integer nullum facit finem noſtræ pietatis deprædicandæ. Collegio Sereniſsimus Ferdinandus Auſtrius vinum obtulit, quod trecentis triginta aureis erat emendum. Leopoldus Ferdinandi Germanus, Argentinenſis & Patauienſis Pontifex, vas item quinquaginta aureorum. Illuſtriſsimus Princeps Leuchtenbergius nobis geminum epulum inſtruxit, & conuiuas Epiſcopum noſtrum, Cæſarique primos à conſiliis adhibuit;

hibuit, idemque templum ſerica veſte & ſigno ſacro ornauit. Vota ſacra fuere diuerſorum ſupra aureos ducentos. Vicit tamen omnium liberalitatem non precio, ſed animo ciuis Ratiſponenſis annos nonaginta natus, qui abiturus è vita nos ex aſſe hæredes ſcripſit, omneſque opes ſuas, hoc eſt, quinque florenos, templo conſecrauit.

MISSIO IN SILVAM HERcyniam ſeu Bauaricam.

NOn hocdemum anno itum in antiquam ſiluam, ſed reditum ſæpius etiam per annum. Incolæ confeſsione luſtrati ter mille quadringenti nonaginta quinque. Diſputatum cum Lutheri diſcipulis, victi tres & viginti ſuos errores agnouerunt & damnauerunt. Æternis addicti cuſtodiæ tenebris, cum Præfecto carceris & familia à vinculis peccatorum exſoluti, præter infœlix & agreſte mancipium, quod nullam cõfeſsionis mentionem ad aures vnquam admiſit: ſed non diù pòſt luit infami morte pertinaciam. Pridie Paſchæ fauces tibialibus eliſit, & inimicum ſpiritum excluſit. Sub veſperum Paraſceues ſupplicatum eſt ſolenni ritu, noſtro præaltam & grauem Crucis molem præferente, quem alii ſequuti humeris magna trabium pondera vectarunt. Argumenta dolorum tulere pueri habitu Cælitum fulgentes, quos candidatus Sacerdotum ordo cum ſymphonia comitatus eſt. Clauſit ſupplicationem magna ciuium frequentia. Hoc mirum videri poteſt, alterum è Sacer-

cerdotibus nostris ante misſionem morbo laboraſſe, & peracto foris labore, ad morbum velut ex compacto rediiſſe, cùm interim inter intempeſtiuas ſæpè vigilias, incommoda tecti & lecti bellè valeret. Vnde intelligas excurſiones huiuſcemodi Deo minimè ingratas eſſe.

COLLEGIVM CONSTANTINENSE.

TAntus populi fuit hîc ardor & cura ſalutis, vt exhomologeſes cenſæ fuerint centum ſupra millia triginta. Lutherum damnauere tres & quinquaginta. Publicè vnus quidam in noſtro templo, & quòd rarò vſu venit, apud Marchionem Principem imperii, verbi præco, quodq; prodigii loco habetur in hoc hominum genere, cœlebs, idemque Philoſophiæ laurea inſignitus, & Græcè Latinèque bene doctus. Venit is primùm, vrgente conſcientia, duce Deo, Friburgum Briſgoiæ, inde Conſtantiam à ſacrarum literarum Doctoribus, ad Pontificis Conſtantienſis Vicarium miſſus, ab illo ad nos, vt eliſis omnium errorum fibris, ſolida religionis fundamenta iaceret. Impenſus huic negotio ſolidus menſis, quo tam altas egit veritatis radices, vt veræ ſtudio Religionis incenſus, ſolemni actu in fidei noſtræ leges iurare, abſterſis prius omninò anteactæ vitæ maculis, expoſitis etiam mutatæ voluntatis rationibus, voluerit; ne quid temerè aduerſariis, ad quos fama id vbique iam differens detulerat, inceptâſſe, aut ſpe præmii aut dignitatis adductus, Religionem mutaſſe argueretur.

gueretur. Rem effectam dedit, die quodam sacro secundum concionem, incredibili omnium ordinum accursu & frequentia, constanti prorsus animo & voce; ita articulatè, disertè, & dilucidè, vt omnium in se oculos animosque conuerteret, cum summa Catholicorum omnium gratia; hæreticorum verò, quorum plurimi aderant, odio. Fidem professus statim sumpsit Eucharistiam. Patronum inuenit singulari in se voluntate Reuerendissimum Episcopum, cuius sumptibus, vt hactenus liberaliter vixit, ita post hoc ad Academiam Theologiæ discendæ gratia ablegatus, aletur. Hoc facto hæreticorum inuidiam in se concitatam, vt & parentis duorumq; fratrum, itidem Lutheranæ sectæ præconum facilè superauit, in quibus ad saniorem fidei doctrinam reuocandis totus iam est, vt & in rationibus suis euulgandis. Fuit & fœmina sexagenaria, quæ hæreseos imbuta veneno persuaderi nunquam potuit, vt fidem Catholicam amplecteretur, quam tandem filia sedecim annos nata, & ipsa à nostris religionis præceptis informata, ad meliorem mentem deduxit. Tribus vltimis Liberaliorum diebus supplicatio quadraginta horarum felicius successit, quàm sperare potuimus. Spectata fuit tùm Constantiensium pietas magno omnium ordinum accursu. Sub cuiusque diei finem adornata supplicatio, qua SS. Sacramentum circumlatum fuit Proëpiscopi aut Canonicorum opera, multùm populi commouit animos. Interfuere ciuitatis Principes, Senatores, & alii nobiles frequẽtes, vices inter se quasi ex composito partiti. Antemeridianis horis sacra fuerunt continua externo-

rum etiam Sacerdotum, atque adeò rure venientium. Parochi ipsi ciuitatis quà verbis, quà exemplo, rem adeò piam non parum promouerunt, maximè primarii duo; quorum alter toto triduo sacris apud nos operatus est, paulò antè à nobis, quod publicè constat, alienior. Pœnitentiæ Sacramentum obierunt illo triduo octingenti viginti tres. Catechismus in duobus ciuitatis templis haberi solitus, non exiguum incrementum cepit, cumprimis in suburbio ad D. Iodoci, confluentibus sæpius tàm pueris quàm puellis ad quinquaginta suprà ducentos, inter quos facilè censeas centum hæreticis parentibus natos, ipsorummet parentum iussu & ductu; à quibus etiam domi Crucis signum efformare docentur, vt in templo postea imagunculam aliquam auferant. Terni sese nobis sacris meditationibus exercendos dedere: Proëpiscopus, Parochus ex vicino oppido, & vir nobilissimus ex perantiqua regionis huius familia; qui, cùm in sanctiore hebdomade peregrè adueniens, publicè etiam constare vellet, quod minùs commodè latere posset, cui rei in Collegio operam daret, neque verò intermittere posset officii causa, quo minus Episcopo sacra per eos dies in summa æde munia administrãte, ad officia adesset: adeò se piè in Deum gessit, vt aulicis exemplo esset, neque quidquam à tempore aut suo instituto faceret alienum, cùm peracta re diuina, nusquam moratus statim ad Collegium rediret. Aliorum præterea Ordinum Præsules, eorumque Fratres nostris suas credunt conscientias. Conciones apud Reuerendos Patres Capuccinos habitæ ter eorum rogatu, pariterque in eorum tem-

templo confeſsiones auditæ.

Gratis demum animis proſequimur beneficia à Pontifice Conſtantienſi accepta, qui templum peripetaſmatis veſtiuit, domum ſuppellectili non exigua inſtruxit. In Apollinari ſtudioſorum certamine victoribus ad Lucalia præmia librorum propoſuit, & ſe dum viueret, propoſiturum recepit. Quod & ciuitas & nobilitas de nobis optimè exiſtimet, hoc argumento ſit. Vir illuſtris & auctoritate ſumma præditus, in quorundam nobilium hæreticorum, nomen Societatis maledictis & mendaciis onerantium, conſeſſu, lepidè ſimul & ſeuerè criminationes falſas eludens; in Germania, inquit, paſſim videtis ſenem quendam depingi, qui ſiquid domeſticarum aut aliarum rerum, quæ vſui ſint, frangatur, culpam pręſtare cogatur; Polyphemo Ο'ὔτις, aliis Nemo dictus; & ſi cupitis ſcire, quiſnam Germanorum ſit nemo ille, noueritis Ieſuitas eſſe, cui omnia facta infecta, dicta & ficta adſcribantur. Sereniſsimus Leopoldus Argentorato reuerſus ab itinere nonnihil deflexit, vt nos inuiſeret, pranſuſque nobiſcum excluſit omnes extemos, ipſum adeò ciuitatis Gubernatorem, qui eum ſalutatum pro officio ciuitatis nomine acceſſerat. Augeſcit indies & efflореſcit magis D. Virginis Sodalitas, quam duo ſummæ ædis Canonici; alter Proëpiſcopus diu egregiè adminiſtrauit; alter ad D. Stephani Præpoſitus olim Vicarius Generalis, etiamnùm adminiſtrat. Canonicus alius ſectionem corporis periculoſiſsimam paſſurus, priuſquam eam aleam ſubiret, petiit ſupplex in Sodalium numerum referri, eorumque precibus commendari, cùm ſe velut è

vita abiturus sacris omnibus auxiliis expiato animo muniisset, omne periculum euasit. Foris auditæ confessiones ad bis mille & quadringentas. Diuertit quidam Pater in itinere ad illustrem Comitem, cuius coniux pluribus iam diebus pariendi difficultate periculosè laborabat, offert is pro parturiente Comitis rogatu sacrum, adest vnà sacrificanti Comes ipse; vixque finit, cùm adest lætus nuncius de felici coniugis enixu, & prole mascula. Quæ res omnibus admirationem, Comiti maiorem de Societate opinionem peperit. Vxorem hæreticam duxerat nobilis, quam, vt & religionis, quemadmodum tori haberet consortem, multùm per eundem comitem, suum Parochum & alios Religiosos viros, diu nequicquam laborauit, vbi semel iterumque cum eadem noster Sacerdos egit, facilè manus dedit. Gymnasii noui surgit paulatim substructio, prima iam contignatione perfecta. Murus horti absolutus, eique porticus satis spatiosa ad ambulandum adiecta, cum infirmorum domicilio à Collegio aliquot spatiis abiuncto. In suprema domus parte sub tecto æquè cubicula perfecta. Quibus hoc anno quinque aureorum millia impensa & septingenti. Summam templi aram illustres Domini Truchsessii ponunt. Proëpiscopus ad alia in nos plurima beneficia adiecit etiam lampadem pensilem ex argento, pro templo, ducentis amplius florenis æstimatam. Accesserunt & aliquot casulæ nō vulgaris precii. Pontifex Augustanus cùm nos hàc iter faciens salutaret, templo nostro statuam Christi flagellati argenteam obtulit. Antistes Monasterii cuiusdam, iuxtaque imperii Princeps, nostri ædificii

dificii maturandi perſtudioſus, tantum apud ſuos Parochos, quorum ſexaginta habet, ad ſe euocatos effecit, vt non paulam pecuniam Collegio abſoluendo conferrent. Tantum idem potuit apud aliorum Monaſteriorum Præſules, quos exemplo ſuo ad liberalitatem prouocauit, qui præſens aliquando dùm templum luſtrat, delectatus operis elegantia, ſermone ad ſuos conuerſo: Iam, inquit, video labores & ſumptus noſtros præclarè eſſe poſitos.

Finiam cum longinquiore excurſione. Neoburgum oppidum eſt ad Rhenum vltimum ferè huius Diœceſeos, cui vt patriæ ſuæ, clariſsimus vir LL. Doctor, negotio cum Parocho prius communicato, hanc vltimam putauit in meliorem ſtatum reſtituendo afferri poſſe opem, ſi noſtri accerſiti auxilio venirent. Miſſus eò Pater cum ſocio; cùm initio (vt plerumque ſolet noſtris ſtrenuè laborantibus) parùm proficere ſibi videretur, tandem ſingulari Dei fauore, ad medium Quadrageſimæ confeſsionis cauſa, paulatim acceſſere, & indies pòſt plures, eo ſtudio & voluntate, vt non niſi ſub finem ſolennis Ieiunii alii neceſsitate coacti aliis confiterentur, nec dies eſſet, quo non à ſacrificante noſtro aliqui SS. Euchariſtiam acciperent. Ita abundè prioris temporis iacturam, ſi qua facta, meſsis conſequentis vbertas compenſauit. Eo tempore hæretici, inter quos aliqui aliunde aduenerant, quindecim cum Eccleſia in gratiam redierunt. Data etiam opera, vt à Matronis templi altaria ornarentur. Catholici alii non pauci confirmati in fide, qui è vicinis locis hæreſi infectis aliàs clàm, aliàs palàm ad cō-

fessiones aduolarunt. Quem fructum omnem Magistratus tandem ipse adeò gratum habuit, vt à se expensis pro nobis factis vellet factum satis, nisi ipse Doctor, hospes nostrorum intercessisset, qui nostros domi suæ quinque hebdomadibus familia eius rei causa instituta, liberaliter tractauit, aluitque.

DOMVS LANDSPERGENSIS.

EX hæreticis in gratiam cum Ecclesia redierunt nouem. Marianus ciuium conuentus indies maiora pietatis & numeri incrementa sumit, tabulis publicis Antistitis Augustani confirmatus, & gratiis Pontificis Max. auctus; leges editæ. Facilè Princeps ciuitatis, natu grandis & consularis, in creatione Præfecti, præsentibus primariis ciuibus, multis cum lacrymis, & copiosa vehementique oratione in cætum Parthenium admitti postulauit; quæ res non mediocrem Sodalitati existimationem peperit. In supplicatione Parasceues, hoc memorabile: hominem à Catholica doctrina alienum, cùm in se tam acriter flagris sæuire nonnullos cerneret, adeò fuisse eo spectaculo motum, vt vltrò diceret: Vos quidem rectè videmini intelligere ac seriò perpendere illam Christi sententiam, Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud; nos verò nihil agimus, quod vel aliquod pietatis aut religionis vestigium ostendat. Maria Anna Guilielmo Boiorum Duce nata, Ferdinandi Austrii coniux, huic ipsi Sodalitati vestem ad sacrificium

ficium faciendum, centum aureis factam, Græcio vſque, nobile donum miſit.


Solemnis quadraginta horarum ſupplicatio ante initiũ maioris Ieiunii fœliciter cœpta eſt, quamuis magnæ initio difficultates ſe oſtenderent. Nam & hiberno tempore lubricus & arduus eſt ad ædem noſtram aſcenſus, & populus à conſuetudine Liberaliorum ægrè auellitur, & paucitas hominum noſtrorum in quadraginta horas partiendorum concurrebant. Sed omnia procul habita ſunt impedimenta. Senatus publico decreto, omnem bacchantium licentiam coërcuit, & primus ipſe inſtitutum noſtrum comprobauit. Numerati ergo, qui ſacram etiam Synaxin conuiuiis permutarent, triginta quinque ſupra trecentos. Manè per tenebras ad templum adrepſere, priuſquam fores paterent. Damnauerat alius temporis importunitatem, qui tamen ipſe cùm aliud agens circa veſperum templum eſſet ingreſſus, hominumque pietatem confitentium cerneret, occulta vi tractus, ad ſacrum Sacerdotis Tribunal ſe abiecit, quòd ſentire ſe diceret, ſibi illo die vitæ cedendum, niſi aliorum exempla ſequeretur. Nec multum diuerſus ab hoc alius, cui venit in mentem cogitare de damnatis ad inferos, quibus ſi cœleſtis aliquis nuncius eam veniæ gratiam promulgaret, quantopere ſibi gratulaturi eſſent. Parauit animos ciuium hæc pietas ad Iubileum, Septembri menſe ex auctoritate Pontificis promulgatum, quo ingens confitentium ſeges collecta; domi foriſque cenſi bis mille ſeptingenti.

Euocati variis anni temporibus, aut miſsi in varios agros, oppida & cœnobia, magnos ſemper la-

borum manipulos ſecum retulêre. Schongauij oppido Bauariæ viginti millia paſſuum hinc remoto, vehementer mouit hominum animos recuſatio ſolennium per Natalitia epularum, quas vterque Magiſtratus inire ſolet, quo tempore noſtri, vel rudibus in templo inſtituendis, vel confeſsionibus audiendis magno exemplo operam dedêre. Finio cum beneficiis Domui præſtitis. Venerat huc inuiſendæ filiæ cauſa, vir æquè nobilitate clar⁹, quàm canitie venerandus, ſed diſciplinæ militaris peritior, quàm Religionis, & à Catholica etiam alienior, qui dùm hîc moratur, filia ſolicita de ſalute patris, identidem noſtros in ædes accerſit, vt molli affatu primùm cicuratus, non inuitus noſtros audiret. Accidit interea, vt annis ſimul & morbo feſſus in lectum abiiceretur; adeſt illico noſter Eccleſiaſtes, & ægrum ſimul à vinculis hæreſeos exſoluit & peccatorum. Ille tanti beneficij memor, filiam ex aſſe hæredem ſcripſit, vt nobis tria ex argento paria cādelabrorum fieri curaret: curauit diligenter, etſi paulò ſerius, quòd ob æs alienum ſatisfacere extemplò non potuerit. Sereniſsimus Guilielmus, & Senatus Landſpergenſis ſinguli centenos aureos Domui liberaliter obtulêre.

AN-

ANNVÆ LITTERÆ PROVINCIÆ RHENANÆ SOCIETATIS IESV ANNI M.DC.VIII.



Rouincia Rhenana censuit hoc anno, si tirones sexaginta quatuor annumerentur, personas quadringentas, nonaginta quinque, distributas per Collegia quatuordecim, vnam Probationis Domum, & quatuor Residentias: in his Sacerdotes, quorum tres nondum ad vota admissi, centum nonaginta sex, non Sacerdotes, qui studiis destinati, centum viginti septem, è quibus nouitij quadraginta quatuor; reliqui centum vndecim, rei familiaris administri, in quorum numero probationem nondum expleuerunt septendecim: mortui sex: admissi triginta duo.

Coloniæ Vbiorum degunt triginta quatuor: Sacerdotes octodecim: Magistri litterarum Humaniorum quatuor: studiosi Philosophiæ tres: Coadiutores nouem. Bonnæ tres, Sacerdotes duo, Coadiutor vnus. Treuiris viginti octo: Sacerdotes quindecim: Magistri quatuor: Coadiutores nouem. In Domo Probationis octoginta: Sacerdotes veterani quatuor: Coadiutores vndecim: reliqui tirones. Moguntiæ sexaginta quinque: Sacerdotes viginti octo: studiosi Theologiæ triginta, è quibus octo Sacerdotes: Magistri quinque: Coadiutores decem. Herbipoli quinquaginta & vnus: Sacerdotes septendecim: Magistri quinque: Philo-

ſophiæ ſtudioſi viginti: Coadiutores nouem. Spiræ viginti & vnus: Sacerdotes duodecim: Magiſtri tres: Coadiutores quinque. His accedunt tredecim Sacerdotes, qui tertium probationis annum agunt. Fuldæ viginti ſeptem: Sacerdotes duodecim: Magiſtri quatuor: Coadiutores octo: ſupra hos, qui ad docendum hic inſtituti, eorum numerus aliquando ad quatuordecim excurrit, plurimum intra ſenarium ſtetit. Heiligenſtadii octodecim: Sacerdotes nouem: Magiſtri quatuor: Coadiutores quinque. Erfurti quatuor: Sacerdotes tres: Coadiutor vnus. Molshemii triginta ſex: Cōfluentiæ viginti: Sacerdotes ſeptem: Magiſtri ſex: Coadiutores ſeptem. Padibornæ octodecim: Sacerdotes octo: Magiſtri quinque: Coadiutores ſex. Monaſterii viginti duo: Sacerdotes duodecim: Magiſtri tres: Coadiutores ſeptem. Hildeſij ſedecim: Sacerdotes ſex: Magiſtri quinque: Coadiutores quīque. Embricæ viginti: Sacerdotes nouem: Magiſtri quinque: Coadiutores ſex. Aquiſgrani duodecim: Sacerdotes quatuor: Magiſtri quinque: Coadiutores tres. Hagenoæ ſeptem: Sacerdotes tres: Magiſtri duo: Coadiutores duo. Altenæ quatuor: Sacerdotes tres: Coadiutor vnus.

COLLEGIVM COLONIENſe.

DVo Sacerdotes etiamnùm cum morbis pertinacibus luctantur: cæterorum valetudo tolerandis laboribus par fuit. Eccleſiæ Catholicæ abiuratâ perfidiâ reſtituti ſunt quinquaginta

ta ſex, quos inter nobilis à puero in hæreſi nutritus, magnum etiam ad aliorum conuerſionem momẽtum habiturus ſperatur: alterius verò reditus miraculo propior fuit. Mercator erat Religionis iam decennium deſertor, negotiorum cauſa vnâ cum vxore in Batauiam hàc iter habebat, cum fœminam grauis morbus detinet, qui tamen vtrique coniugum ſaluti fuit: illa enim deſperata valetudine, cum animæ per Sacramenta conſulit, ſubitò, & ſupra omnem ſpem, integram etiam ſanitatem corporis recuperauit, quo Dei beneficio motus maritus, malè relictam fidem & Sacramenta poſtliminio lætus repetiuit. Conſilia profugiendi ab Eccleſia multis erepta; quidam in aula Comitis hæretici impiorum hominum conatibus ſpectrorumque multitudine & diritate exagitatus, non modo in fide nutabat, verùm etiam afflictis corporis viribus ad inſaniam propè, deſperationemque redigebatur; tot dæmonis, hominumque machinationes conſilio noſtri Sacerdotis vſu ſacrati Agni, & luſtralis aquæ, & maximè frequentatione myſteriorum diſcuſsit, tranquillitatem, conſtantiam, vires recepit. Duorum orphanorum certamen in doctrina ſacra vniuerſum Senatum mouit: commendati erant ab adulto fratre, cuius in poteſtate erant, ludimagiſtro Caluiniano, iuſſo, vt eos à Ieſuitarum catechiſmo procul haberet; illi eluſâ cuſtodiâ ad diſcendam ſalutarem doctrinam, & quotidianam cũ magiſtro luctam acrius inſurgunt. Conuiuio agnatorum adhibiti, & iuſsi ad menſam recitare, quas didiciſſent preces, Cruce frontes muniunt, & reliquis orationibus Salutationem Angelicam adiungunt;

gunt;irrisu,minis, promissis, contumeliis nequicquam tentati, à magistro, quòd Catechismo eos non arcuisset increpito, abducuntur, & cognatis feruidioribus Caluinismi Zelotis corrumpendi traduntur: miseri dum vndique auxilia conquirunt, nec satis expediunt, amicorum potētia, & iure tutelæ oppresſi,rem ad magistratum deferendam cēsent;itaque alter Consuli rem cum multis lacrymis explicat, consilium, opemque contra vim fraternam implorat: re in concilio deliberata, frater hæreticus reddita administratæ rei ratione, tutela abire cogitur, cui duo spectanda fide & pietate senatores substituti, & educationem puerorum, & patrimonium curant. Celebriorem laudem habuit Adolescentis philosophi disputatio, is non modò pietatem, sed Zelum etiam hæreticos impugnandi in nostris Scholis hauserat: vocatus à parente in patriam, vt nuptiis cognati interesset, super mensa Prædicantem de erroribus quas concioni insperserat,admonuit; orta disceptatione, conuersis in duellum omnium conuiuarum animis, noster fiducia veri, ille ira,pudore,mero promptus,magnis clamoribus rem gerunt,donec, & ratione destitutus Prædicans ad Scripturam prouocat;nec abnuit in illa controuersia Iudicem Adolescens, rei forum secutus, allato in conuiuium grandi & peruetusto codice bibliorum,hominem conuicit,& planè elinguem reddidit,frementibus doctoribus iuris,aliisque honoratis, qui præsentes aderant: at sex tubicines,qui more gentis mensæ astabant hactenus spectatores, iniussi victori epinicion cecinēre; actum cum parente, vt filium traderet doctoribus mitioribus

ribus imbuendum (ita enim loquebantur) sed Adolescens ad nos Coloniam, deinde Treuiros ad tirocinium profectus, laqueos eorum fœliciter euasit. Tribus Sodalitatibus adiuncta est quarta trium Regum. Ipso Epiphaniæ festo prima è ciuibus, aliisque studia litterarum non tractantibus, congregatio habita; ea nunc 140. capita numerat: tres, qui huic primi nomina dederunt, in Societatem recepti sunt, cum aliis quinque artium liberalium Magistris. Tres instituta missiones, quarum prima Arweilerana præter vsitata Societatis exercitia effectum est, vt constituto in sacellani operam certo stipendio, explicatio Catechismi sit perpetua: altera Nouesiana ita paulatim ciues informantur, vt Coloniensium pietatem æmulentur: nam per Aduentum & Quadragesimam plures mille quingentis Christi Corpus sumpserunt. Tertia primùm hoc anno cœpta est Kempenensis; est Kempena oppidum Rhenum Mosamque inter medio ferè spatio, centum quinquaginta villis cinctum, quib⁹ sacrorum vsus in vrbis Parochia cum ciuibus est communis; magna nunc vastitas vicinitate Belgarum, Sacramentorum confessionis, Eucharistiæ, extremæ vnctionis rarus vsus, cum negligentia curionum, tùm hæreseon inualescentium multitudine & peruicacia; magno labore actum, vt ager tot annos incultus bonam sementem reciperet, nec frustra, magnus ad conciones & Catechismos concursus, noxij libri eliminati, nè alii similes inferrentur edicto cautum, Scholæ hæreticorum principis iussu clausæ, Catechismus perpetuus institutus, certis reditibus in donariola & Catechistam decretis: ritu Ca-

tu Catholico communicarunt in Paschate 3400. in Pentecoste 400. altaribus viginti redditus suus nitor, Sodalitas B. Virginis instituta; hæc populi alacritas plurimum Sereniss. Coadiutorem recreauit, qui cum primis procerum eò aduenit, & miratus est populi ad concionatorem audiendum concurrentis multitudinem, quæ tanta fuit, vt templo capacissimo magnam partem excludi fuerit necesse. Mos fuit veterum Germanorum, ad vrbium suarum portas septem dimensis per certa interualla spatiis Cruces ita collocare, vt septima, eaq; à mœnibus remotissima, educto ex aggesta terra monticulo, vndique conspicua imponatur, adiecto ferè templo, aut sacello, collem hunc Caluariæ locum nominant, frequentes huc supplicatum eunt, maximè Quadragesimæ diebus, cum Christi dolores, & Crucem meditantur; fuerant hœc apud Kempenenses, sed primùm per socordiā neglecta, deindè euersæ Cruces, & omnis penè sanctorum monumentorum per Caluinistas memoria abolita, noster verò exoratis operis ad gratuitum laborem, & collata materia liberalitate piorum, omnia restaurauit, supplicationes ducētorum, trecentorum, quadringentorum capitum deduxit, post Pascha supra mille adfuere, inter quos Magistratus ipse & Clerus; Sanniones duo Caluiniani, qui recens conuersos conuiciis exagitabant, tota Prouincia exacti. Vir consularis, & potens, cùm omnia pro Catholico simulans clam Caluinistas foueret, aliò profectus seditionis agitandæ causa, post biduum mortuus reuectus est, multo enim furore & baccho ebrium, nè cuncta euerteret, Deus repentina morte oppres-

oppreſsit. Albertus Bauariæ princeps, cùm Fratrem Ferdinandum nuper inuiſeret, egregii in nos animi indicium dedit, poſt inſpectas enim amplißimæ vrbis reliquias, cum paucis procerum in noſtro triclinio humaniſsimè pranſus eſt.

COLLEGIVM TREVIrenſe.

DVos æui maturos & cœlo dignos in vitam beatiorem præmiſimus, P. Paulum Leuslerum, Coadiutorem ſpiritalem, & Collegii Rectorem, vixit annos quinquaginta ſex, in Societate triginta ſex, quos pleroſque aut in Collegiis, aut domibus conuictorum regendis poſuit. Fuerunt in eo virtutes eximiæ, & virtutum comes authoritas, prudens ſimplicitas, & candor, gubernatio ſuauis & fœlix, exemplo magis, quàm verbo promouens, orationis, & ſilentii indefeſſum ſtudium, laborum tolerantia ſupra ætatem & vires; ad laborioſam concionem, quam in ſumma æde ſtatam habebat, ſæpè eodem die alteram, tertiamque adiiciebat, cæteris diebus eandem operam monaſteriis & parochijs impendebat, ab omnibus expetitus, quòd eius conciones ardere dicerent; à ſuggeſto ſudore adhuc diffluens ad confeſsiones audiendas ſe recipiebat, a quo labore, nè triennali quidē morbo retrahi potuit, quo verò fructu, vel hinc coniectura capi poteſt, quòd in vno parthenone triginta virgines, in alio omnes, ſcilicet quadraginta, ab eius diſciplina profectæ magna laude degant; ita certantem athletam ſuum difficili morbo ad exemplum

exemplum raræ patientiæ diù exercitum, cœlestis agonothetes è stadio ad coronam euocauit. P. Rectorem præcesserat P. Ioannes Socrius, & is Coadiutor Spiritalis, nat⁹ annos sexaginta quatuor, quorum egit in Societate quadraginta duos, vir magnę sanctitatis, sed in quo nihil fuit admirabilius perfecta demissione animi, qua tota Prouincia & notus & charus fuit. Rhetoricis studiis modicè imbutus ad Societatem venit; partes Marthæ elegit, & nauiter administrauit, donec nihil tale suspicantem admodum R.P. Mercurianus eum ad Scholasticos transtulit, quam status sui mutationem ad cumulum laborum, & meritorum vir obedientissimus accepit; annos enim quatuordecim in Schola infima pueros ita instituit, deinde in proximorum spiritalem curam incubuit, vt ab officiis, & administratione rei familiaris nunquam cessarit, imo semper studiorum, & rerum spiritalium tractatioi, vnius aut duorum Coadiutorum labores, quasi auctarium adiunxerit, vt verè superior aliquandò dixerit, vnicum illum esse instar plurium Coadiutorum: ordinarium illi erat ambulacra domus bis quothebdomadis verrere, hortum colere, museum commune curare, obseruare si quid officii domestici vacaret, vt laborem præriperet; pauperibus, vel in Nosocomio decumbentibus, vel per vicos sparsis, spiritali & corporali eleemosyna subuenire, elephantiacis inprimis, quos dominos suos vocare solitus erat. In confessionibus audiendis ita erat impiger, vt morbo attentus, circa festa celebriora vigore spiritus corpus erigeret, atque ad tribunal suum adreperet: si quando vrbem, vel Collegium

gium

legium peſtilentia inuaderet, ſe maximè eius prodebat charitas, ſummos,infimos adibat, curabat, aſsiſtebat,noſtros infectos in ſuburbano plus quam paterna cura proſequebatur, defunctis omne funebre officium exhibebat, corpora ſepulchro ſuis ipſe humeris inferebat, & cum ipſe quoq; lue corriperetur, præter vnum chirurgum, & Sacerdotem,tantiſper dùm ſacro viatico reficeretur, & oleo vngeretur, admiſit neminem, quo celeriter ipſo vrgente perfecto,probè(ait Sacerdoti)munere tuo functus es, gratias tibi & ſuperiori referat De⁹, nunc porrò faceſſe hinc,nè des locum contagio,atque ita Collegio ſis nouo dolori & oneri, Patribus & Fratribus ſupremum dic vale, veniámque offenſarum, & preces impetra: ita quidem ille in vitam beatam anhelans,aliter Deo viſum,à quo reddita ſanitate in alios, atque alios labores, quos in multos deindè annos produxit, vocabatur. Hoc demùm anno grauis morbus, & contra remedia contumax,eum abſtulit inſigni tolerantiæ,& fortitudinis documento, nunquam enim in ſummis plurium, & acutorum morborum in vnum confluentium acerbitatibus hilaritudinem vultus, aut ſermonis iucunditatem mutauit: inter ſancta verò de cœleſti gaudio colloquia magna conſolatione animam Deo Creatori reddidit. Adiungere his eſt viſum mortem præcipui poſt Fundatorem noſtrũ benefactoris D. Bartholomæi Bodegemij, qui Archiepiſcopali curiæ triginta annos magna integritatis & æquitatis laude Iudex præſedit, vir multarum linguarum, & ſcientiarum peritus, ſobrietatis & caſtitatis cultor eximius, iuſtitiæ tenax, noſtram

inopiam sæpè viuens subleuauit, & moriens ex asse fecit hæredes: itaque insignis supellex, bibliotheca locuples, annui reditus mediocres, pecorum & vini magnum auctarium Collegio accessit; tumulatus est in templo nostro funere honorifico; extremo eloquio cauit, quod alius eius collega iam antè fecerat, nè sibi funerale conuiuium exhiberetur, vt magnoperè sperandum sit abusum illum sublatum iri, quo nullo defunctorum solatio, magno propinquorum malo, luctus exequiarum in commessationes vertitur. Ab hæresi quinq;, à turpi quæstu sex se ad meliorem vitam transtulerunt.

DOMVS PROBATIONIS TREVIRENSIS.

HInc ad varia Collegia dimissi viginti quinque; admissi triginta tres. Vni⁹ vocatio memorabilis fuit, & diuinæ bonitatis efficaciter suos ad salutem promouentis insigne documentum. Filium pater religioni destinarat, & mater verita eum auertere, studiis nauare operam sinit; verum auus iam primæ Philosophiæ laureæ vicinum à litteris abstractum mercaturam facere cogit; Adolescens tamen monitis amicis discessum parat, & per aduersam portam, qua minimè obseruabatur, euasit in oppidum suburbanum Brulam, interim tota vrbe quæritur, monentur portarum custodes venientem exciperent; mater postera die hora quarta matutina fores Collegij pulsat, & audito filium abesse animo linquitur, Brulam ipsa

præ-

præmiſsis famulis & equo contendit, omnia blanditijs, fœmineo eiulatu tentat, ſed irrito conatu; itaque dimiſſum viatico, & cæteris itineri opportunis donat, non tamen hic quieuit malè conſultus aui ſiue amor, ſiue temeritas, equites enim, qui eum ex itinere retraherent miſit, ſed ille euitatis inſidijs Chriſto duce Treuiros appulit, & ſperamus tam bonis initijs parem fore conſtantiam. Contra quã factum hiſce diebus in eo, qui infœlicem mortem obijt Coloniæ, hic admiſſus ad tirocinium, quod perpetuam ſui vincendi conſuetudinem ferre non poſſe ſe diceret, diſceſsit, & ad intermiſſa iuriſprudentiæ ſtudia ſe retulit, ſtimulos tamen conſcientiæ nec cælare, nec ſupprimere vnquam potuit; nec verò ſanare etiam ſæpè à Sodalibus monitus ſtuduit, longioris vitæ ſecurus, ſalutaribus conſilijs aliud tempus deſtinabat. Tandem pranſus vegetus, nec quicquam incommodi ſuſpicatus, tantam vim ſanguinis euomit, vt nulla medicorum arte ſiſti potuerit, ſed tùm quoque exhauſtis cum ſanguine viribus, fiduciæ nimius, confeſsionem in alteram diem differendam reſpondit; nocte demùm per dolores exacta aliarum rerum ſolicitus, omnium Sacramẽtorum præſidio deſtitutus, viuendi finem fecit. Commentationibus B. P. N. tùm religioſi, tùm ſæculares exculti, qui etiam inſigni eleemoſyna grati animi ſignficationem dederunt. Principis in nos beneuolentia, tùm inuiſendo nos declarata: tùm empta domo benè magna & commoda, quam ideò, quòd horto noſtro incumbens religioſæ libertati officere videret, nobis donauit.

COLLEGIVM MOGVNtinum.

VIxit Matthias Gilthea; annorum erat septuaginta, quorum quadraginta quinque in Societate egerat, doctrina mediocri, magna prudentia, & rebus magnis idoneus, sed esse maluit Coadiutor, sermonis comitate, & animi submissione domesticis iuxta, & externis gratissimus, charitate indefessa, dies festos audiendo sacra, iterando rosaria, aliasque preces terebat; alijs temporibus senile corpus labore colendæ vineæ suburbanæ otij osor acerrimus, atterebat. Grauem multorum annorum calculi cruciatum patientissimè tolerauit, quo ingrauescente post multas in dolore vigilatas noctes, post omnia remedia, post etiam ferro tentata, extinctus est egregio animi præsentis, & solidæ virtutis exemplo, cum sæuiente carnificina morbi, & remediorum, dulcissimè in Christo crucifixo conquiesceret, nec quicquam, nisi quod de pectore domini haustum videretur, ore promeret; eius locum quatuor in Societatem recepti repleuerunt. Sacris meditationibus complures instructi, nobiles, Canonici, Parochi, Religiosi, singulari sua & aliorum vtilitate; nam monasterij præfect⁹ cum ad suos redijsset, suam ignorantiam, & duritiem vltrò flexis genibus accusauit, & fore, vt alio inter eos modo viueret inposterum pollicitus est: eum imitati cæteri, & apud nos exerciti sunt, & dimissis veteribus offensis, arctiore charitate coaluere, oratoria sibi singuli construxerunt, & communi cōsensu, quod ante horruerant, nostros Patres confes-

fessarios elegerunt. Ab hæresi plus centum conuersi: sexagenarius & circumforaneus mox vt pœnitentia expiatus, Sacramento Eucharistiæ ritu Catholico refectus est, spe bona plenus, placidissimè in Domino obdormiuit, æternæ prædestinationis nō leue documentum: alter è ditione Treuirensi Paroch⁹ cum muliercula in aduersæ fidei terras profugus, octo annos perfidiam simulauerat, & pseudoeuangelij præconem egerat: is hoc anno deplorans suam inconstantiam ad Ecclesiæ Matris gremium reuersus est. Reuerendissimus Elector libellos à Patribus sibi dicatos esse gratissimos prolixè testatus est. Catholicæ fidei existimationem magnoperè auxit apud aduersarios disputatio inter nostrum Professorem, & Pareum, Calninistarum his oris antesignanum habita, libellis editis de rebus controuersis inter se disceptarant; cum verò vterque valetudinis causa ad acidulas Schwalbacenses profecti, in colloquium incidissent, aduersarium noster amicè ad conferendum coràm de rebus, quibus antè egissent, inuitat, renuit certamen homo callidus, quòd nostrum paratum ad certamen venire diceret, quodque res essent Scholasticæ, loco, & tempori alienæ; cum elici ad mutuam collocutionem non posse videret noster, permisit, vt quidlibet proponeret, se responsurum professus, fecit id Pareus adeò vanè & imperitè, vt toti coronæ risum moueret, suis pudorem incuteret, rogauit tùm Patrem coràm, & postea per litteras cum aliis Patribus egit, nè Caluinistarum Deum diabolum dicamus, sed Deum Caluini, id enim ratione abundè demonstratum à Catholicis concedūt,

Deum ſui hæreſiarchæ eſſe dæmonem malum, occulta vi homines ad flagitia impellentem. Plus negotii in pago Caluinianis ſitu, & politica gubernandi ratione affini fuit, noſtros à Magiſtratu euocatos primùm horrere, longeque confeſsionem refugere, condocefacti tandem, & pueri adultique pariter ad Sacramenta rectè obeunda inſtituti; sūmam illis admirationem attulit, quod aurū nobis publica auctoritate decretum reiici viderent, quod adeo magnum viſum eſt noſtrarum rerum ignaris, vt hoc vnico facto omnia in ſe collata beneficia minora ducerent. Dominia quædam hæc Diœceſis cum vicino principe habet communia, quæ res bono ſubditorum ſpiritali multum obſtat, impedito per alterum Dominum officio Epiſcopi, ineunda erat ratio, vt ſua cuique iura imperturbata conſtarent: itaque Sacerdos noſter cum nobili ſatrapa ad terræ litigioſæ magnitudinem, ſitum, opes, publicos, priuatoſque prouentus exploranda miſſus, ita ab incolis acceptus, quaſi religionis tuendæ cauſa adueniret, qui per Deum ſupremum Iudicem obteſtabantur, cauſam ſuam apud Principem ageret, nè pateretur ditionem illam ad hæreticos deuolui. Reuerendiſsimi Principis in nos beneuolētia multis claruit, maximè cum adulto vere pridie Aſcenſionis è noſtra domo in publicam proceſsionē prodiit, poſtera pontificali ornatu, liturgia in templo noſtro peracta, multis Euchariſtiam hactenus nunquam viſo exemplo diſtribuit. Collegio ducentos florenos donauit, ſex millia in ædificium nouum promiſit: obuenit hoc anno primum in hac vrbe teſtamentum quingentis florenis æſtimatum, præter vi-

ter vineam; trecenti floreni ex aliis duobus testamentis. Bibliotheca nouis conciliorum tomis, aliisque insignibus libris liberalitate piorum ornata est: templi turris ducentis florenis renouata, pauimentum quadro lapide magnam partem restitutum, sedilia sumptuosè, & pulchrè elaborata, aurea, & byssina vestis Deiparæ data, albæ aliquot nitidæ & elegantes oblatæ, itemque mappæ altarium, & peripetasmata holoserica artificoso opere visenda.

COLLEGIVM HERBIpolense.

FVit è Sodalibus, qui D. Columbini exemplo è medio platea pauperem in hospitium deportauit, & larga eleemosyna eius indigentiam adiuuit. Ad nostram Societatem quatuor; ad alios ordines duodecim se contulerũt: inchoata hoc anno Sodalitas ciuium, & numero & pietate egregiè crescit.

Quinquaginta & vnus hæresin eiurarunt; inter eos medicinæ Doctor prauis opinionibus à puero imbutus, extremo iam spiritu eò adductus est, vt Catholicè moreretur: alii viginti annis iam patriam deserunt, nè religionem mutare cogantur; nec defuêre, qui contumelias perpeti, qui migrare aliò, quàm contra Ecclesiæ legem carne vesci, maluerũt. Catechismus vrbanus magno augmento in summam ædem translatus, exercitiis spiritualib⁹ multi instructi, tectum iam templo impositum est, in illud eleemosyna 2868. florenorum collata: subuenit & Illustrissimus Princeps carne, lignis, pecunia,

inuisit Collegium aliquoties, & ipsa die, qua studia renouata sunt, improuisus hospes aduenit, prandium nobiscum sumpsit, & actionem de Iustino Adolescente & Martyre lubens spectauit.

COLLEGIVM SPIrense.

EMigrauit ex hac vita, vt speramus, in fœliciorem M. Adamus Schubhardt, mediæ Grammaticæ Professor, qui post quadriennium in Societate exactum præclaro patientiæ & charitatis maximè erga pauperes, quos ad Collegii portam Catechesi imbuebat, dato specimine, lenta tabe cõsumptus est. Sacris B. P. N. meditationibus exerciti viginti septem, ex variarum hæreseon colluuie educti centum, & septem, præter eos, de quibus postea in missione agendum est: inter hos Adolescentis virtus, & rara animi magnitudo merito commendanda est, cùm enim religionis causa exul sũma inopia premeretur, parentemque opulentum de sumptibus subministrandis frequenter interpellaret, nec aliud responsi acciperet, quàm diuitem sibi sponsam, cum officio publico paratam, reuerteretur in patriam, iisque frueretur, constanter renuit, & maluit abiectus, & omnium egenus inter Catholicos viuere, quàm religione prodita omnibus rebus inter suos affluere. Nec minor laus in dispari sexu; virgo reluctantibus parentibus veram fidem complexa erat, eadem forti & sancta importunitate, vt perpetuam virginitatem Deo in cætu sacrarum virginum vouere sineretur, à parentibus non Ca-

non Catholicis extorsit. Nobilis fuit hic annus excursionibus, quòd & Iubilei Pontificij indulgentia externos traheret, & nos opportuna Patrum rertium probationis annum agentium subsidia haberemus, qui omnes ita suo munere functi sunt, vt omnes vbique vel maiorem partem tanti thesauri se participes fecerint, adeò, vt cum cuiusdam vici incolæ nonaginta tantùm Sacramenta obiissent, idque illis pro concione Sacerdos noster obiecisset, effecta sit magna animorum commotio, nam trecenti quinquaginta, euoluto iam indulgentiarum consequendarum tempore, Synaxim sumpserunt. VVila, oppidum est imperiale in ducatu VVirtenbergensi, hæresi quidem arctissimè obsessum circumquaque, sed in auitæ religionis defendenda possessione constantiæ singularis; eò profectus noster Sacerdos magnum attulit ad pietatem incrementum. Oratio quadraginta horarum, & supplicatio solemnis instituta, in quo maximè Sodalitatis B. Virginis pietas illuxit; pagorum etiam adiacentium religionem excitauit vrbis cognita ad sancta exercitia alacritas: itaque ab illis vocatus noster, indictæ à laboribus feriæ, templa adita, exhortationes habitæ, discordiæ sedatæ. Ortum in quodam pago incendium, quod binas ædes, horrea quatuor absumpserat, cùm vndique frustra auxilio venirent, nec vis vlla satis flammæ resisteret, Sacerdos noster à sacris remedium petendum ratus, Christi Corpus deportans circuit, psalmos, litaniasque dixit, effigiem ceream Agni in flammam iniecit, atque ita ardorem restinxit. Duo carcere detinebantur, hic patrem, ille matrē occiderat, prior magno dolore sce-

lꝰ deteſtatus ſuppliciũ lubens ſubijt, alter actus furijs gladium vltorem in ſe verterat, ſed oſſe pectoris retuſus ictus, & vulnus citra mortem fuit, eidem octodecim dierum labore ingenti, gratia Dei adiuuante, perſanatus eſt, & mortem lubens obijt, mutata in pœnitentiam peruicacia. Non minorem exhibuit moleſtiam Iudæus, ad quem expugnandum in varijs carceribus machinas adhibuêre prædicantes, tandem cum ob repetita facinora à Magiſtratu Catholico in vincula coniectus eſſet, ad fidem emollitus eſt precibus fidelium; cùm enim omnia in irritum cadere cerneret Pater, ab Eccleſiaſticis ſacrificia, ab alijs preces, alimentaque in miſeri ſolatium emendicauit, pueros, puellaſque, agmen ad exorandum efficax, ad templum deduxit, quæ omnia, vt ſenſit Iudæus pro ſalute ſua fieri, Chriſtianam charitatem admiratus, ſalutaribus ſe vndis expiari cum lacrymis rogauit; quin amplexibus, pedumq; exoſculationibus teſtatus eſt magnũ erga ſalutis ſuę auctorem affectum; Chriſtianis ergò ſacris initiatus caput gladio viriliter ſubiecit. Supereſt ad pagos ſeptem facta excurſio, qui mortuo hæretico Domino in ius noſtri Principis venerunt : in primo eorum cùm templum cathedramq; iure patrio obtineret hæreticus, ſacellum in villa extruendum fuit in domo bubulci, medio pariete cubiculum inter & hypocauſtum, ſublato, vbi ad confluentem multitudinem habita concio, & Sacramenta adminiſtrata: ſi ad alios pagos proficiſcendum, quod eorum Eccleſiæ eſſent expilatæ, omne ſacrum inſtrumentum per montes & ſaxa transferendum fuit : in cæteris duobus, quod animarum prædones dominarentur,

tur, restaurata sunt pagis vicina sacella, in ijsq; peractum sacrificium: in alio sacellum S. Annæ annuentibus etiam fidei hostibus, apertum est, & nobis traditum; sed & vbi templum dirutum fuerat, magno sumptu reparauimus, & importunus præco motus est loco, vero pastore subrogato. Cruces quinæ ingentes pro veteribus collapsis nouæ in vijs publicis erectę, instrumentũ sacrũ, altaria, statuæ, vel corrosa vermibus, vel situ & carie confecta, vbicũque fieri potuit, instaurata, & ornata, Cerimoniæ reductæ, fons baptismi consecratus, processiones, & orationes ꝓ defunctis institutæ, ad veterẽ religionem rediêre trecenti quinquaginta, è quibus vnus grauibꝰ cõtumelijs affectꝰ, & religionis causa exul, constantiam nihilominus tenuit; & neophytos hos magna sæpè beneficentia Deus præuenit, & confirmat; aquæ benedictæ aspersione febres alijque morbi pulsi, mulier difficultate partus in extremũ periculum ipsa, & proles deducta vsu sacrarum rerum, & Catholicorum precibus ad hoc institutis, facillimè enixa est. Prætor in Dan omnibus Sacramentis iam ad exitum vitæ præparatus, nostro hortatu peregrinationem in montẽ B. Virgini sacrum, Schatzberg dictum, vouit, & breui sanus votum persoluit. Ad eundem montem duæ supplicationes deductæ, Deo Opt. Max. pro reduce vetere religione gratias acturæ, eo comitantium numero, ordine, pietate, vt vicini pagi incolæ longa ipsi processione, nostram exceperint, rogarintque vt in agros suos diuerterent, sperare enim se ex eo vberiorem frugum prouentum, multis & Catholicis, & hæreticis lacrymas excusserit; dolebant hi se iniquo

impe-

imperio teneri, nè tales eſſēt, quales ante fuiſſent, illi gaudio efferebantur tanto cum honore ſinceritatem fidei reſtitui, quam ante annos viginti contumelioſè viderāt exterminari. Sacra ſupellex byſſina caſula; res familiaris ſexcentis florenis accreuit.

RESIDENTIA VVORMAtienſis.

WOrmatiæ variè nos diuina bonitas, proſpera pariter & aduerſa miſcendo, exercuit. Poſtridie Pentecoſtes aulam Principis, quæ eſt intra mœnia Magiſtratus hæreticus obſedit, in ſpeciem iuris aliquid ciuici prætendebatur, reuera nos exturbare, aut occidere animus erat; prudentia tamen conſiliariorum periculum diſcuſſum, vtque primus furor exſæuijt, infecta re in ſua quiſque diſceſsêre: altera nocte, ſeu caſu, ſeu de induſtria excitatum eſt incendium è regione aulæ, concurritur non tàm reſtinguendi incendij cauſa, quàm noſtri oppugnandi, ſecuribus, malleis perfringere portas conati, ſed reiecti ſunt, ac tùm etiam minitabundi dilapſi, nec hic quieuit furor, ſparſa per hæreticos fama aulam noctu inuadendam, in periculo eſſe clerum vniuerſum, Ieſuitas è latebris extrahendos, conueniunt parati ad facinus, quod nemo iuſſerat, ſed ſolus rumor vulgauerat, ſed neque tùm tàm accenſo furore diuina clementia noceri nobis paſſa eſt; interim vtendum rati occaſione Prædicantes, publicè & pruatim animos commotos in nos accendere ſumma vi nituntur, leniora ergò conſilia poſt-

poſtquam violenta in irritum cecidere, captant, cõſulem cum ſcriba Senatus ad Reuerendum & Nobilem Decanum ſummæ ædis, Theodorum VVilhelmum à Daun, ablegant poſtulatum, vt Ieſuitæ dimittantur, orator vix pronunciato Ieſuitarum nomine, obſtupefactus conticuit, nec ſæpè monit⁹ mandata ſui Magiſtratus proferre potuit, vrgente tùm Decano è ſcripto legit, non tamen quicquam in cauſa tàm iniqua obtinuit. Toto anno habita concio (quæ nunc Societati à Reuerendo Capitulo eſt commiſſa) Auditores numerauit non Catholicos modò, ſed hæreticos etiam modeſtos, & benè multos, ex his viginti duo perfidiam abiecere, cæteros plurimos non tàm veri ignoratio, quàm humanæ ignominiæ metus detinet, ſperamus futurum, vt hinc vinculis ruptis in libertatem filiorum Dei aliquandò aſpirent. Pecunia, & ſupellex in vſum futuræ familiæ ab amicis liberaliter collata eſt: vrceoli argentei quatuor, pallæ altarium pretioſæ, aliaque in vſum ſacrorum data.

COLLEGIVM FVLdenſe.

NAturæ debitum exſoluit P. Valentinus Forſterus Spiritalis Coadiutor; obiit quinquagenario maior; viginti ſeptem circiter annos vixit in Societate modeſtia ſingulari, raraque in ſuperiores obſeruantia, pacis & concordiæ, fraternæque charitatis amantiſsimus; in erudienda & moderanda iuuentute, concionibus, & pœnitentium animis tractandis, impigro fuit ſtudio: Heiligen-

genstadio huc in natale solum valetudinis causâ missus, à decima sexta Iulii anni millesimi sexcentesimi quinti, vsque ad sextum Martii præsentis anni, vario morborum genere conflictatus est; sed patientia, & religiosæ vitæ exemplis cumulata in se sociorum officia abundè compensauit. Mortis & extremæ horæ tàm certus, vt quando inungendum, quando cereus porrigendus, quando recitāda commendatio, ipse præiens vsque sibi quasi signo dato præscriberet, & præfiniret omnia: eius stationem Adolescens tenuit ex rhetorum disciplinâ hinc in familiam neophytorū transscriptus. Reliqui sociorum quodcunque vel officii, vel laboris in salutem, & rem proximi potuit, impensè præstiterunt. Sacramenta sponte sua complures obiere: in confessionibus de vniuersa vita spectatę, quę à pudore in liberam accusationem, quæque ex locis & oppidis hæresi contaminatis in hoc forum protractæ, ad fidem sanam rediere amplius triginta, quorum aliqui propria inductione animi, alii cōgressibus & alloquiis ad rectè sentiendum permoti. Ad opera consueta misericordiæ, pietatis, catecheseon crebris obita locis, ad pauperum, elephantiacorum, & carcerum frequentes inspectiones accessere reorum auxilia, qui vt aliquoti hic capite luerunt, ita non infrequens, vel exiguum nostris ab iis fuit negotium. Celebris in his Islebius ciuis, Lutheri patriam ipsa erroris pertinacia referens: vir is ætate deuexa, & Magistratibus apud suos perfunctus, verùm ob egestatem factus abigeus hic carcerem, & pœnam frequentati olim criminis inuenit: Sacerdotis nostri hortatu suasuque mul-

tiplici

tiplici tandem errorem posuit, eamque pietatem publicè testatus est, vt deprecando Christum, ac Deiparam matrem appellando, pœnitendo, piè circumfusam coronā assando, magnos in populo motus conciuerit; & æquo animo gulam laqueo tradiderit. Nec reis tantùm hæc iterata charitatis officia impensa, sed ægris tota ciuitate passim ac moribundis, ad quos & crebrò, & soli ferè nostri accersuntur, promptè socii iere opitulatum, quibus etiam monitis, precibus, diuinisque aliis, ac humanis præsidiis fuere solatio. Pauperum habita ratio singularis, ad quos vt esset facilior aditus, viginti florenorum eleemosyna à Reuerendissimo Abbate Sacerdoti nostro comparata. In huius anni Iubileo cùm Reuerendissimus Antistes Venerabile Sacramentum ex parochia in ædem primariam efferret, voluit ad cumulandum Iubilei fructum Sacerdotem de nostris extra ordinem pro concione de illo argumento differere. Frequentes fuere, qui sacratis ceris vsi in morbis & maleficiis præsentē earum virtutem experti sunt: sed aquæ lustralis benigna vis haud paucis documentis approbata. Collegii chirurgus idem assecla parthenii cœtus asseuerare non dubitat, plurimos se fonticos, & ignoratos morbos aqua benedicta medicamentis admista curasse: & aucupio vitam tolerans hîc fuit, qui vbi retia plagasque suas vidit incantatas, retibus eiusdem liquoris aspergine lustratis maleficium soluit. Pecoris iacturam sæpè fecerat colonus, fontem puræ & salubris aquæ, sed carminibus ita fœdatum habebat, vt nec familia, nec pecus arenti, ac siticuloso loco gustare eum posset: de remedio consultus frater,

ter, qui ianitoris officio fungitur, ſale, herbis, aquæ benedictis ſuadet vtēdum: vſus ſanitatem pecori, aquæ colorem, & vim nunciat rediiſſe priſtinam. Seminarii ſtatus is extitit, vt cùm inutilium, & diſcolorum miſsione leuatum fuiſſet, curſum diſciplinæ, ac morum teneret fœliciorem, & vigilantia ſuperiorum, attentioreque cura ſanè perfectum eſt, vt virtutis & pietatis vndique ſcintillæ clariores emicarent: cultus aſperioris, flagellationis, ciliciorum vſus vel poſtliminio reuocatus; communium patronorum, quorum in patria alumni meminerunt, cultum & venerationem hæreſi abolitam hic reſtaurare memoriam & honorem amant: itaque pœnas, quando anniuerſariæ feriæ recurrunt, in triclinio palàm obeunt, acta eorum colloquiis & ſermonibus repetunt, ſeſeq; excitant ad illorum imitationem. Duos Saxonici generis indole ſtirpeque nobili, Collegium Germanicum hinc accepit: duo alii eodem loco nati hic familiæ S. Benedicti aſſcripti: ſuntque parthenii nobiles tàm accenſis in pietatem & miſericordiam animis, vt veſte, calceis, aliiſque ſpoliis ad vſus pauperum vndique conquiſitis, & expurgatis, benignè faciant inde egenis. Iidem foras ad Noſocomia, & ſacella hoſpitalium prodiere, vt à pædore, ac ſitu ea loca repurgarent, templiſque ſuum honorem & vſum reſtituerent. Fuit etiam mors in deſiderio duorum præſtanti virtute, ac religione ciuium Sodalium, ex quibus vnus ſub initia huius Collegii ab hæreſi ad fidem orthodoxam adductus, integerrimi Chriſtiani officium iam inde vſque præclarè ſuſtinuit, pro religione cæſus tres liberos libens volenſque religioni conſecrauit,

crauit, pauperum & leprosorũ cura infatigabili sẽper ita vegetus, vt horum commodis sæpe rem suam familiarem posthaberet: itaque cum stipem illis magnam haud rarò confecit, tùm domus à fundamentis inchoandæ, & restaurandæ eius auctor fuit, quæ apud Fuldam amnem leprosis habitata à S. Catharina nomen gerit: elatus est honestissimo funere ab ipso Sodalitio, defletus vt pater pauperum, & antiqui moris exemplum. Alter huic penè religione, & virtute geminus, qui auro faciundo victitans horas canonicas vir coniugatus exsoluebat, officiis diuinis, cantui aliisque templorum functionibus ceu Sacerdos quidam assiduus intererat: ambo totius ciuitatis præconio tanquam optimi ciues, & germani Sodales viui mortuique celebrati. Templi suppellex cum alia veste byssina, tùm eximij operis argenteo calice est locupletata: accessêre octo insignia ossa cum vno capite ex Martyrum Treuirensium innumerabilium cætu, decorè lipsanothecis inclusa: denique Collegii census Reuerendissimi Præsulis liberali auctario creuit.

COLLEGIVM HEILIGENstadianum.

Qvadringenti & viginti quatuor hoc anno è variis erroribus resipuerũt, & sese orthodoxis adiunxerunt, quod magno labore in Prouícia in meditullio hęreticarum nationum sita, à diuina tamen miseratione obtentum est: nostros cùm pagos oppidaque obirent, maledictis, lapidibus strictisque ensibus appetitos, per aspera mon-

tium & inuia ſiluarum, tamen ſemper incolumes nobis creatoris bonitas reſtituit. Adoleſcens Pomeranus duorum Prædicantium frater hîc conuerſus hîc oſtiatim mendicat, cum laute apud ſuos, & magna licentia viuere poſsit: duorum Adoleſcentum Nobilium reditum ad Eccleſiam momentum ſperamus magnum habiturum etiam ad reductionem aliorum, ſicut & ſexagenarii habuit viri magnæ inter ſuos auctoritatis. Miles in effigiem Christi in Cruce pendentis facto impetu crebris ictibus pedes fermè reſecuerat, is cum quaſi re benè geſta cœnatus ſe ad quietem componeret, ſenſit celeri veſtigio properaſſe diuinam vindictam; nam iiſdem in partibus, quibus Imagini Saluatoris plagas impoſuit, ipſe vera vulnera ſenſit, & immani cruciatu nulla doloris cauſa apparente, breui infœlicem animam efflauit: mulier Brunſchwicenſis huius ſupplicii ſpectatrix continuò ad nos aduolauit, & Eccleſiæ reconciliata eſt. Non diſsimili ſeueritatis exemplo ruſtici contumaciam Deus puniuit; Euãgelium receperat tota communitas, iamque omnes confeſsione ritu Catholico peracta, ad ſacras ſe epulas præparabant, cùm homo proteruus contemptu religionis, & in aliorum ſugillationem filiam hæretico marito eodem tempore elocat, nuptias celebrat, ſed dùm veſperi ab inauſpicato hymeneo domum redit, in torrente aliàs vadoſo, & vix vnius paſſus, quia tùm imbribus intumuerat, mergitur; eodem veſperi ſtratus equus, quo lapſus erat, reuerſus, Domini caſum non obſcurè ſignificauit; tota nocte perquiſitus altero die in exigua aqua inuenitur: hoc vnius exitium multos

ter-

tertuit,& homines agreſtes ſuperbiam,& peruicaciam identidem memorantes in officio pœna continuit. Diuerſus planè alius exitus magnam nobis lætitiam,ſanctæ noſtræ fidei æſtimationem etiam apud hoſtes conciliauit. Vltimum ſpiritum trahebat homo Lutheranæ ſectæ apprimè addictus, quam à pueritia prima imbiberat,erat in pago hæretico,aſtabant officii cauſa cognati eiuſdem erroris, admiſſus tamen noſter Sacerdos depoſitum ſalutis admonuit:nec fruſtra; ſecretum cum patre colloquiū poſtulat,amicis frementibus,& voce,nutuque deterrentibus,id impetrat,confeſsione facta Eccleſiæ reconciliatur, tantamque lætitiam animo cepit, vt paulò pòſt ſtupentibus hæreticis, integrè conualuerit,nunc verò, non viuendo tantùm,ſed perpetuò narrando,diuini beneficii,& Catholicæ veritatis inſignis aſſertor eſt. Aliud non minùs claro veræ religionis ſigno,licet minus fœlice euentu,adiungere viſum eſt:mulieri erat vnius anni filiola valetudinis iam deploratæ,vt ſigna indicabant,ex veneficio, monita à Sacerdote noſtro, licet infidelis aqua benedicta lotam continuò ſanam recepit; non ingrata beneficii rogat maritum liceat ſibi bona eius venia tranſire ad Catholicam,negat ille;itaque filia membris integra & vegeta, oculis tamen capta, ſanitate corporis fidem matris conteſtatur(illa enim etiam marito inuito ſuæ ſaluti conſuluit)cæcitate verò patri infidelitatem, & obſtinationem exprobrat. Scholarum fructum & exiſtimationem auxit multorum nobilium Adoleſcentum acceſſus: ciuium Sodalitatem inſtitutam ſaluti ſperamus fore ciuitati: Catechiſmus etiam duabus è Scholis vrbis ad-

ducta puerorum turba, maiore vtilitate celebratur; odia multorum, ex grauibus agitata causis restincta. Vir honestus ab amico, cui eadem die largè benefecerat, nulla irarum causa ita grauiter sauciatus erat, vt de vita desperarent omnes; vxor etiam totam faciem deformata eadem rabie, percussori tamen fatenti, nè verbo quidem se violatum, eodem insuper die aliquot frumenti modiis donatum, pœnam capitalem, exilio contentus remisit. Alius ei, à quo filius crudeliter occisus erat, ita sincerè ignouit, vt in testimonium veræ reconciliationis eodem tempore Eucharistiam sumpserit: matrona cum audisset ante sacram Communionem integram requiri, deposita omni qualiscunque inimicitia, reconciliationem, inspectante populo adiit eum, à quo ipsa læsa rogari debuit, & veniam deprecata est: alius quadraginta annis abstinuerat Sacramentis exasperatus nobilium hæreticorum iniuria, qua prædio insigni deiectus erat; saluti fuit misero noua, & multò atrocior iniuria, ab æmulis enim vulneratus, & vitam desperans, & iis à quibus fortunis euersus erat, & qui vitam eripere tentauerant, condonauit, & Deus eam magnanimitatem probauit, cum supra spem votumque longiorem vitam concesit. Numerus Calendis Ianuarii communicantium in nostro templo aliàs quingentorum, aut summum sexcentorum, hoc anno octingentorum capitum fuit. Claudam annales insigni, & inter hæreticos celebrato miraculo, quod Northusii oppido imperiali contigit: balneum publicum malus dœmon infestabat immissus à ciue venefica, quod eius filio repulso alius magis idoneus in famulum acceptus esset:

eſſet: malus genius noctu, & interdiu omnia miſcet, inconditas voces edit, interdum intempeſta nocte omnes ſurgere, choreas ducere magna promiſſa pecunia iubet, interdum fodere, & theſauros inquirere, aliàs ſibi vinum cauſticum apponere; paruere illi ſemper, eluſa tamen cupiditate, & curioſitate, nunquam enim vel teruncium poſt ingentes pollicitationes acceperunt: Adoleſcens famulus ad nos Sacramentorum causa venit, & rediens Agno Dei munitus infenſum hoſtem expulit, domũq; purgauit, magna totius ciuitatis admiratione. Ad templi & domus ſupellectilem, aliqua facta eſt acceſsio.

RESIDENTIA ERFVRdiana.

NVmerus operariorum auctus Sacerdote, & Coadiutore: è Domo Epiſcopali in aliam quietiorem migratum eſt, quam ſigillifer, amicus, & conuictor noſter inhabitat, breui, vt ſperamus, eam nobis ceſſurus. Ab hæreſi abſoluti nouem, inſigniores ex his duo, Sacerdos, qui olim abducto ſcorto nobili transfugerat, alter è vicina Academia Ienenſi iuris licentiatus conſtantia ſingulari, & cupiditate collegas ſuos eodem adducendi. Catholici vt in vrbe populoſa pauci, opinione tamen plures fuerunt; nuper in æde Mariana, qui oblationem ad aram obtulerunt, numerati ſexcéti, & tamen magnam partem, qui ſupplicationi præſentes fuere, non obtulerunt: in noſtro ſacello toto anno mille ducenti octoginta ſacra Hoſtia refecti: Re-

ligiosi aliquot B. P. N. exercitiis exculti. Obiit hoc anno Reuerendissimi Principis Suffraganeus Dominus Valentinus Mohr S. Benedicti familiæ hac in vrbe Abbas, eo viuo Clerus, & nostra familia egregiè defensa vsque adeò, vt plebem contra nostrum concionatorem clamores, & saxa tollentem auctoritate grauis represserit; nec satis habuit furentibus se immittere, sed apud hæreticum Magistratum etiam obtinuit, vt auctores tumultus in vincula coniecti pœnas seditionis darent, & populus per præcones suos moneretur, nè molestus esse porrò pergeret. Multis è Clero vtimur beneuolis, qui domo sua cibis coctis iam à medio anno subueniunt necessitatib⁹ nostris: egregium suæ erga nos voluntatis signum dedit Dominus Ioannes Cornerus, qui moriens hæredes nos instituit.

COLLEGIVM MOLS-hemiense.

MAgister Franciscus Fabricius post diuturnum morbum rupta vena, eiectoque multo sanguine, mortem expectatam feliciter obiit. Hæresin deseruerunt viginti tres; vnius conuersio miraculo propior fuit. Heluetius Adolescẽs à Zuinglianis ad nos transitum meditabatur, magna cura ediscendæ Salutationis Angelicæ homo idiota angebatur, secundum quietem eam sibi discere, & dicere visus est; altera die nullo homine aut libro docente, ad vnguem recitauit, qua re vehementer in fide confirmatus ad diuinæ bonitatis amorem accensus est, Doctrina Christiana nouem

locis

locis explicata eſt aduentantibus etiam hæretico-
rum, adiuuantibus curionibus, & nobili Satrapa
per vrbem pueros adultoſque colligente. Conſue-
tudo cuiuſdam loci ante decimum ſextum annum
ætatis non confitendi, in meliorem mutata, vt ſcili-
cet puſiones etiam accedant, vt ſic à teneris aſſue-
ſcant. Caſtitati multorum conſultum: libri hęretici,
chartæ ſuperſtitioſæ exuſtæ: quinque religionis de-
ſertores reſtituti; alii fugam ſpectantes retenti: qui-
dam ſextùm ſe aquis ſuffocādum præcipitarat, no-
uies laqueum induerat; verùm in extremo confli-
ctu ſemper inuocato nomine Ieſu, mirabiliter eua-
ſerat, facta confeſsione non modò moriendi conſi-
lium abiecit, ſed etiam ſanctioris vitæ propoſitum
ſuſcepit. Colonus, quod hyemis aſperitate ſpes for-
tunarum, quam in vitibus, arborumque & agro-
rum cultura habebat, præciſa eſſet, vitam abrum-
pere ſtatuit, & ex virgulto ſaligno rudem laqueum
parat, quo pondere pendentis fracto non quidem
ſcelus iterat, læſo tamen cerebro oberrat, Magi-
ſtratui Argentinenſi ſe tanquam reum ſiſtit, ſed il-
le animaduerſa inſania hominem faceſſere iuſsit:
tandem ab Antiſtite religioſa ſacri Agni ſigillo do-
natus, compoſito in melius animo remittitur; poſt-
quam verò Sacramēta in noſtro templo obiit, om-
ninò ſublata eſt amentia. Eodem remedio ſibi alius
reſtitutus eſt, quem Sirius ardor in furorem ege-
rat. Sodalium maximè nobilium, & Principum
virtus claruit. Carolus Marchio à Chaligny, è fami-
lia Lotharingiæ extra vrbem leuando è curis ſtu-
diorum animo ſe exercebat, cùmque à ſuis longius
procurriſſet, temulentus ruſticus ei obuius graue

vulnus inflixit, eoque audacius, quod lugubris habitus, quo tùm vtebatur Princeps, personæ dignitatem occultaret: raptus in carcerem rusticus de capite periclitabatur, principem vt ignosceret multi frustrà rogarunt, & ius suum prosequi eius administri contendebant; flexit tamen vt omnia remitteret, Sodalitas: hæc etiam per suos alumnos duodecim pauperibus lauari pedes, epulum & eleemosynam dari curauit. Quidam legem Ecclesiæ de ieiunio violarat, cum in itinere lacum conglaciatum, & niuibus opertum solus transiret, rupto infido solo in aquam incidit, iamque medium diem collo tenus vndis immersus cum grandibus glaciei fragmentis luctatur; donec peccati sui recordatus & pœnités peregrinationem ad proximam B. Virginis ædem vouet, atque ita se ipse admirans in crustam glacialem euadit, lacumque emensus voti reus littus tenet. Præclara charitate alius cognatum Argentinæ ægrum fouit, & Sacramentis muniri fecit, depositis etiam quadraginta florenis, qui in mulctam cederent hæretico Magistratui, si id rescisceret. Missio Obernemiana solito fructu non caruit; quatuor ab hæresi reducti, de tota vita confessi triginta sex, tempore Iubilei mille ducenti, totidem festis Natalitiis. Antloæ (oppidum est Abbatissæ nobilis) octo ab hæresi absoluti; eorum vnus coniugem adduxit ita initio pertinacem, vt dæmoni se deuoueret rapiendam eo momento, quo primò rosarium gestare cœpisset, nunc palàm in detestationem erroris fremétibus hæreticis rosarium gestat: duo Sacerdotes, inter quos grauis discordia, reconciliati. Sepulchrum die Parasceues instructũ, consue-

consuetudo Crucem osculandi reuocata, processio secunda feria post Pascha deducta, nobilium sanctimonialium, & ciuium animos ad pietatem incitauerunt. Castellum nobilis fœminæ malus genius insidebat, nec terriculamentis modò, sed lapidationibus fenestrarum, parietumque demolitione infestus erat, grauius tamen calumniis damnum familiæ nobilissimæ adferebat, furtorum, scortationum, magiæ accusando; nè eò venirent nostri, viæ ducem, itineris gnarum media luce bis à recto tramite abduxit, nè patres nostros eò duceret, aduenientes curio quicquam agere vetuit absque licentie ordinarii, missus itaque, qui patribus potestatem impetraret: expiata ritu Ecclesiastico domus, & per confessionem familia, noxius hospes cessit, & nè rediret, sublatæ occasiones, libri magici exusti, aliaque magiam redolentia, nec tamen flammæ his absumendis satis potentes erant, sæpius intermorientes aqua benedicta accendere necesse fuit. Non Collegio modò, sed vniuersæ Diœcesi exoptatissimus fuit Reuerendissimi & Illustrissimi Leopoldi Episcopi Argentinensis Electi, Archiducis Austriæ, primus in Episcopatum suum aduentus, quia dùm Patres nostros excepit, in Collegio cœnauit, cum P. Prouinciali horas canonicas dixit, nocturnam quietem cepit, amantissimum Societati sese exhibuit, vectigal lignorum centenis annuis auxit, quina millia, ad quæ Reuerendum & Generosum Capitulum terna adiecit, ad perficiendam Collegii fabricam donauit: & principum liberalitatem æmulati sunt alii; intra muros turris cochleam ducentis florenis erexit Doctor Bilonius, qui etiam hiero-

thecam affabrè elaboratam quingentorum florenorum Sacrosanctæ Euchariſtiæ exhibendæ obtulit: Templo pannum ſerico,auro,gemmis intertextum donauit D.Henricus Groſſ, canonicus Argentinenſis,alii albas,caſulaſque pretioſas.

COLLEGIVM CONFLVentinum.

Obiit diem extremum P. Caſparus Bercheberus, vixit annos triginta quatuor, in Societate ſeptem, natus in Comitatu VValdecano, loco hæretico, Fuldæ conuerſus; inde ad Collegium Germanicum, & tandem Societatem venit:in diuturno,& graui morbo patientiæ,& puritatis exemplar, nunquam toto ægritudinis tempore quicquam petiit, nunquam aliquid præſcriptum recuſauit,diligentiam in particulari examine teſtati ſunt pugillares,& quotidiana eius colloquia: eius locum ſuppleuit vir maturus multis annis hîc in primaria Parochia Sacellanus;Antiſtes monaſterii Ordinis S. Benedicti Sacerdotem confeſsionis gratia expetiit,Prælatum imitati reliqui,confeſsionem plerique generalem fecerunt: multi ad primã exomologeſin faciendam inducti,alii ad viginti annis intermiſſam reducti; pecunia magna iuſtis Dominis reſtituta; pauperes ad templi & Collegii fores Catechiſmo imbuti, pellices abſtractæ. Adoleſcens Francofurtẽſis obitis multis Prouinciis,dùm in patriam cogitat,hîc in morbum incidit,& magnas diuinæ prouidentiæ gratias egit, quod in vera fide peregrè moreretur, quam fortaſsè in patria eſſet

ſet perditurus, Xenodochio gratus hoſpes centum daleros legauit. Qui propter æris alieni magnitudinem reſtim cogitabat, ab ea mente ſpiritalibus remediis deductus eſt: concordiam iniêre noſtris auctoribus inimici multi: Pater ſexagenarius filium in gratiam recepit, & ad hæreditatem ius reſtituit: duo ciues oppidi vicini, quos vxorcularum procacia diſiunxerat, amicitiam redintegrarunt, tanta gratulatione ciuitatis, vt Senatus miſſa legatione Collegio gratias egerit. Virginem pudicam leno improbus deperibat, in via ſe illi ſocium iungit, flagitium execrantem per vepres, & dumeta crudelis amator raptat, vociferantis fauces ita premit, vt per ora, nareſque largus cruor manaret, ita victrix caſtitas ſuo ſibi ſanguine purpurata triumphauit. E variis tenebris veræ fidei lucem aſpexerunt triginta ſex, libri eorum plurimi, vti & alii, qui moribus obfuturi fuerant, flammis exuſti. Linzium miſſi noſtri multos ad antiquam religionem reduxerunt, qui hæreticis cum periculo ſalutis ſeruierunt, ad Catholicos Dominos traducti. Antenacum etiam, & Lympurgum alii ablegati, multa vtiliter præſtita, ſed communia, atque ideò omittuntur. Templo noſtro tectum imponere, & ampliare nobis conſtitutum, in eam rem iam datæ eleemoſynæ: Collegio D. Ioannes Stulpius trecentos quadraginta florenos donauit.

COLLEGIVM PADERbornenſe.

Ciuium Sodalitas, vt ordiar ab eo, quod hoc in loco ſpem magnæ frugis affert, vix nata iuſtum & numerum, & fructum extulit. Die Patrono ſacro, ſedecim ciues cœleſti ſe epulo refecerunt; ſpectaculum iſtud in ciuitate, præſertim ab hæreſeos peſte necdum recreata, eoque feſto inſolens planè, non ſine gemitu intuitus eſt liuor: præter hoc Sodalitium alia duo, è litterarum candidatis conſtant; vtrumque effloreſcit ad virtutis eximiæ laudem. Tranſcripti ſunt hinc in varia religioſorum domicilia Adoleſcentes duo noſtræ, tres S. Bernardi, & duo S. Benedicti familiæ aggregati: curiones etiam hinc doctrina, exemploq; præclaros acceperũt oppida cũ perſpicuo ſuo emolumẽto, ꝙ labefactæ hæreſes, & improbitas repreſſa teſtãtur. Quidã in Pſeudoparochi locũ ſubſtitutus, hoc agit ſedulò Catholici Satrapæ præſidio fultus, vt in principe oppidi hæretici tẽplo veteres refloreſcant Cerimoniæ, ſtatæq; preces, quas ſi non penitus ſuſtulerat, certè lacerarat, fœdoque Lutheri coccyſmo vitiarat impietas, integrè perſoluãtur. Clero, quem penè totum venenata doctrina profanarat, vt antiquorum canonum ritu ſentiat, & viuat, imperatum, & verò à quibuſdam impetratum, contumaces Sacerdotii amittendi periculo terrente. Cætera Sodalium ſpecimina, quia cùm ſuperioribus annis ſolemnia ſunt, non attingam, ſicut nec Scholarum, quibus ſplendorem affert, vel accipit potius longa puerorum domo nobilium ſeries. Detraxerunt

Scho-

Scholæ noſtræ iuuentutem aliquam Haſsiæ, Scholiſque Lutheri ſcabie corruptis. Egregium eſt cuiuſdam Catholici mercatoris in vrbe Lutherana factum, cuius apud nos verſantur liberi: is negotiorum cauſa peregrè profectus, dùm in diuerſorio de religione fit ſermo, comiteſque Catholicam fidem blaſphemiis appetunt, quantum potuit, eam ab iniuria vindicat, delatus ad Magiſtratum tetro ſeptẽ menſium carcere, graui inſuper multa, & proſcriptione punitur; ſed edicto Auguſti reuocatus reſtituitur: is moriens hoc anno cauit diligentiſsimè, vt filii noſtræ tantum diſciplinæ committerentur, qua nunc perfruuntur: idem ante mortem obteſtatus vxorem, vt Eccleſiæ ſe adiungeret, hos in animo ſtimulos reliquit, vt non multis poſt mortem dieb⁹ voluntatem mariti generosè ſit executa. Excurſiones ad varia tùm Diœceſis, tùm vicina ſunt loca, cum animorum emolumento factæ. Ad arcem quinque millibus paſſuum vocatus Sacerdos ad accipiendas nobilium confeſsiones, quod Parocho vita impuro fugerent conſcientiam manifeſtare; operæ fructum reportat: quatuordecim ſe expiarunt, ex quibus ante vix vnus aut alter ritè hoc Sacramentum obiuerat, & pane cœleſti recrearunt tanto cum pietatis ſenſu, vt nobilis Domina doleret tàm ſerò hui⁹ boni occaſionem ſibi datam, optaretque nos aut viciniores eſſe, aut iter tutius, quò poſſet ſæpius hæc animorum medicamenta vſurpare: ardorem matris ſequuntur filiæ, quæ certatim cum illa in templi noſtri vſum non exigui pretii ornamenta ſubmiſerunt. Alius Sacerdos cum Socio à Satrapa nobili vocatus eo die, quo ſolebat

lebat antiquitus magna paganorum turba conflu-
ere ad sacellum, variis Sanctorum reliquiis olim li-
beralitate Præsulum egregiè donatum, diuinæ opi
exposcẽdæ per sacras exuuias, sed nefario hæreseos
suasu plusculos annos neglexerat hunc thesaurum,
vt longo interuallo debitus reuocetur cultus &
religio, aduersus lipsana de iis copiosè disseruit, præ-
sentibus vtriusque sexus nobilibus aliquot, & con-
ferta plebeiorum multitudine: Satrapa cum vxore,
vt viam antiquæ pietatis munirent cæteris, Angeli-
co voluerunt excipi conuiuio. Ad animorum salu-
tem aliquid in oppido Saxoniæ veteris Lutherum
crepante non longè à Visurgi nostrorum effecit in-
dustria; hîc consulem agit septuagenarius arte mi-
litari principibus iuxta, ac nobilibus valdè charus,
illum noster in itinere cum eo deflectendi daretur
occasio, pro iure cognationis accedit, agit familia-
riter, eoque deducit hominem, vt non modò tri-
buat maioribus Catholicè mortuis fœlicitatem, sed
etiam ipse polliceatur re secum diligentius perpen-
sa, nuncium vanitati missurum: nepotulum hùc stu-
diorum gratia breui ablegandum adpromisit. No-
bilis Satrapa piarum commentationum fructum,
quem degustauit olim, vt in alios etiam traiiciat, ma-
ximoperè laborat; cognatæ connubium cum no-
bili non sinit ante ratum esse, quàm apud nos ille
perpoliatur. Ad vrbem reuertamur: hæreseos vin-
culo se exsoluerunt septendecim, inter quos non-
nemo è Caluini Schola, cum frequentes prædican-
tium litteræ fidem, ad quam trahebatur à Deo, dis-
suasissent diù, vanitate tandem comperta Catho-
licis se aggregauit generosa victoria: alius è seruitio
dyna-

dynaſtæ cum errori deſerendo machinas illi argumentorum adhibuiſſent noſtri ſæpius, hoc tandem anno ſe expugnari paſſus, vt religionis ſinceritati vitam ritè conformaret, aliquot paſſuum millibus Paderbornam iter intendit. Multis, qui corporalem dæmonis inſeſsionem timebant, conſilii cauſa ad nos ventitantibus, vt peccatorum expiatione eiicerent illum, animis parſuaſum: alibi ſuperſtitionibus occurſum: odia coniugum, quæ diù inualuerãt, Sacramentorum vſurpatione ſunt excuſſa; à curionibus etiam aliquot, vt meliore cum exemplo viuant porrò, impetratum. Eccleſiaſticus corporis inualetudine tentatus, de animi morbo depellendo ſalutarem ſuſcepit cogitationem, & opportuna per nos medicamenta accepit, nè in prius relabatur exemplum, coram notario & teſte, ſcorto deinceps ſe omnes præcluſurum aditus ſanctè promiſit. Non reticendus eſt virginis genere illuſtris ardor in cõſtante virtutis ſtudio: cognatas illa complures domum ſuam euocat, & ad Sacramentorum vſuram aptat: eiuſdem conſilio quædam hæretico deſponſa à parente itinere benè longo ſuis inſciis noſtrum ad Sacerdotem venit, inſtruitur, certiſque animi præſidiis confirmatur. Apparuit in hoc etiam diuina erga nos beneuolentia: Doctoris cuiuſdam Caluiniani medici, libraria ſupellex, quàm facilè ducẽtis imperialibus æſtimes, præter omnium opinionem cum multi vultures inhiarent, à duobus fratribus germanis, licet non Catholicis, aſsignatur Societati. Quænam ſit Collegio apud exteros fama vel inde colligas, nobiles iuxta ac ignobiles, varii legati principum, imò Principes & Comites, licet hæ-

cet hæretici, cum ad vrbē diuertunt, illud ſibi luſtrādum eſſe ducunt; qui ſermone opportuno ad Societatem maiori in pretio habendam emolliri ſolent. Sanctimoniæ vim B. P. N. ſenſit hoc etiam in loco puerpera, quæ triduano dolore grauiter conflictata, ſimul reliquiæ B. P. N. applicatæ ſunt, facili niſu fœtum effūdit: Veritati fidem aſtruit locupletem Parochus, quicum gaudio eas retulit. Catecheſes, quæque frequenter ad populum habentur conciones, velut culturæ ſoli admodum ſalebroſi, fructum efferunt ſuūm.

COLLEGIVM MONASTERienſe.

QVinquaginta ex Lutheri & Caluini Schola ad veritatis lucem venerunt: plures vacillantes confirmati, publica proceſsione, aliiſque veræ religionis indiciis fidem ſuam profeſsi ſunt, alii dominos, alii patriam mutarunt, nè fidei iacturam facerent, alii contumelias & iniurias experti omnia ſaluti poſthabuere. Duarum mulierculárum pudicitiæ opportuno remedio conſultum; earum altera homini impuro per ſexennium aſſueta, in tantam ſcelerum ſuorum deteſtinationem venit, vt nè pedem quidem in domum infamem amplius ferre voluerit, ſed rem ad ſe pertinentem baiulorum opera efferri curarit: altera opibus, & genere nobilis, ab Eccleſiaſtico magnis promiſsis ad cohabitandum ſibi perſuaſa, ab infauſto contubernio ſe maturè ſubduxit. Par coniugum iam ab annis duodecim in tantas exarſerat iras, vt in ſce-

lus

lus aliquot erupturæ viderentur, noſtra opera mutua charitate coaluerunt: Simoniaci contractus, & iniqui impediti: iniuſta lucra Dominis reddita: mulier, quæ noctes diabolicis præſtigiis agebat inſomnes, ſacra Agni effigie ad collum appenſa liberata eſt. Virginis, quæ clam caſtitatem Deo conſecrarat, amore captus Adoleſcens, omnes machinas, vt eius nuptiis potiretur, admouit, cùm virginis aures omnem earum mentionem reſpuerent, parentes ille appellat, dicta dies contrahendis ſponſalibus, negat illa conſenſum, ſibi præter Chriſtum ſponſum eſſe futurum neminem, arrham, quam amator apud matrem depoſuerat clanculum, nacta opportunitatem ex parentum abſentia, effracta per fabrum arca remittit Adoleſcenti, etiam inuiſi amoris pignus auerſata. A ſpectrorum moleſtiis liberati quatuor; inter eos Adoleſcenti piſtori viginti annorum, ſpiritus ſe videndum ſpecie vxoris auunculi exhibebat, eleemoſynas, ſacrificia, aliaque vt ab igne purgatorio liberaretur, flagitantis, confeſſarius conſultus ait, morem gerat non iniqua poſtulanti; ſed dùm tardius, & negligentius illa expediuntur, pergit porrò moleſtus eſſe ſpiritus, vt Adoleſcens corporis viribus deſtitueretur, quas paulatim rem pro virili vrgendo recuperauit, die animarum cum ad locum pium ſibi deſignatum vltimam oblationem deportaſſet, apparuit vltimò, & gratijs actis indicat ſe eius opera non egere amplius, nec inpoſterum importunum fore, & promiſſum probauit euentus. Principis noſtri conſiliarius veneficio oculorum vſum amiſerat, is immemor ſalutis ſuæ mittit rogatum ſciomanticum, vt ſe veneficio ex-

ſoluat, reſpondet magus, in biuio fundi ſui foderet, ibidem hircinum caput repertum iri, cui ſi nerui carneſque recentes adhuc adhæreſcerent, aliquam lucis recipiendæ ſpem affulgere, ſi exſuccũ, & aridum foret, actum de oculis eſſe; credidit miſer, & inuento exſangui craneo hirci, deſperatione, & furiis actus, etiam æternæ vitæ iacturam facturus videbatur; ad eum euocati ſumus, & ſub extremũ vitę agonẽ ad ſe reuersũ, & ſigna contritionis dantẽ abſoluimus. Iacta ſunt hoc anno Collegii ædificandi fundamenta ſollemni Cerimonia, deinde primores frugali conuiuio, & nè id extenderetur, dramate excepti, magna deinde cura opus vrgeri cœptum, trium menſium ſpatio ad tectum vſque peruenit, & tutata eſt ipſas operas diuina bonitas, tres enim tignorum lapſu grauiter ſauciati præter ſpem intra paucas hebdomadas conualuere. Sereniſsimus Elector Erneſtus cum Ferdinando & Alberto huc ingreſſus, altera die Collegium humaniſsimè inuiſit, cùm ante meridiem ſacrum, à prandio drama audiret: ad Societatem miſsi è Scholis ſex, & ſartor vnus, aliis religionibus alii ſunt tranſſcripti, multorum deſideriis necdum fieri ſatis poteſt. Feriis natalitiis excurſum à duobus Sacerdotibus Coſfeldiam non ignobile oppidum, ingratus paſtoribus concubinariis aduentus fuit, & religioſis nobilibus, ſed vbi eorum propoſitum viderunt, lubentes admiſerunt, ordinarii litteris munitos & commendatos, conciones vtiliter habitæ, ſanctimonialium confeſsiones auditæ, & ciuium. Virginem Deo ſacratam multis exagitabat dæmon, nec vlla ratione omnibus adhibitis, hactenus liberari potuit, rem

it, rem ad Sacerdotẽ earũ superior defert, consiliũ exposcit, in dubium reuocat ille, essetnè baptizata, suadet ritè abluendam ex conditione, paucis præsentibus, vix exorcismum Sacerdos inchoarat, cum illa vultu expallescere, grauiter ructare, iutumescere, inusitato horrore concuti, ac sensim deficientibus viribus animo linqui, donec peracto exorcismo salem benedictum accepit, nam ad se rediit, & sine molestia hodieque perdurat. Ante plures annos duo Claustrorum desertores parœcias nullius auctoritate occuparant, iussis redire ad suos substituti pastores melioris vitæ & famæ, è nostrarum Scholarum disciplina, qui insigni conatu rem perditam reparare conantur. Altari summo vtrinque alæ additæ, Christi passionem, & Petri Pauliq; Martyrium continentes: in fabricam Serenissim⁹ Princeps centum viginti daleros, & tantundem nobile capitulum contulit. Philippus à Solze Regii Exercitus Gubernator, ducentos cados calcis, ciuitas Monasteriensis duobus vini plaustris cellæ imponendis dedit immunitatem, accessere aliundè daleri trecenti, & multorum, & insignium librorum accessione bibliotheca est amplificata.

COLLEGIVM HILDE-
ſienſe.

SOlum ſterile, & incultum tenues quidem, & laboribus impares fruges reddidit, non tamen ſpe noſtra multò minores; triginta ſex depulſis erroribus in cognitionem Catholicę veritatis adducti ſunt: adiuuant in eam rem & noſtri Gymnaſii diſcipuli, quique in hæretici ludimagiſtri ſchola degere coguntur Adoleſcentes Catholici, nam illi frequentes ad noſtrum Catechiſtam audiendum adducunt, & ſuos ibi Doctores errorum arguunt, & multi nihil magis in votis habent, quam vt liceat per parentes religionem auitam amplecti. Adoleſcens, qui hæreſin abiecerat, à dæmone, qui ſpecie indignantis, & minitabundi nocturna eum intemperie agitabat, in magnum mœrorem deiectus erat, ſed imagine cœleſtis Agni, & communione Catholica omnes veteratoris machinas diſcuſsit; quadam vice cùm noctem traduceret inſomnem, vigiliarum tædio ſeſe dat in preces, cùm ſubitò internam lucem, & multas validaſque rationes contra aduerſarios ſuggeri experitur; eas memoriæ conſignat, vſque primum illuxit, in chartam conijcit, atque ita Gymnaſium ingreditur, ecce tibi moderator ludi tantem in templum Ieſuitarum pœnas poſcit; ille argumentis ſe tueri, aduerſantem conſtringere, falſa dogmata tanta vi euertere, vt Magiſtrum, omneſque diſcipulos dederit in ſtuporem; itaque ſeuocatum ſeriò hortatur, videat, quid agat, nè ſibi aliiſque perniciem creet; nam iis argumen-

mentis infirmos facilè decipi poſſe,ille tamen ſtrenuè non modò ipſe templum obit, ſed quoſcunq; poteſt rogando,diſputando abducit. Placuit etiam diuinæ prouidentiæ infirmiorem ſexum cœleſtis Zeli igne accendere; inter aliquot virgines conuenit ludum puellarem inſtituère, & quandam quaſi Sodalitatem, cui id curæ ſit, vt plures ad ſacras cohortationes, catechiſmos, & pia exercitia adducāt, quod ſalubre conſilium ſibi propoſitum Epiſcopi Vicarius approbauit. Cōuerſorum conſtantia multis probata eſt, aliis alapæ, & verbera inflicta; patricio Adoleſcenti veſtes negatæ à parente, ni fidem abiuraret, quibus ille emendicatis à ſorore,clam profugit apud nos vitam pauperem victurus. Iactauerat Lutheranæ ſcholæ Rector velle ſe cum Societatis noſtræ hominibus domi ſuæ de controuerſiis conferre, miſsi duo Rhetores intellexerunt eũ velle, quos illi quaſi præludens futuræ pugnæ hortatus eſt, vt ſuæ ſcholæ alumnis ſeſe aggregarent; cum recuſantibus cœpta diſputatio; impares conceſsi; vicit veritas, & à diſcipulis victus cum eorum Magiſtris certamen longè refugit: horum Rhetorum alter, cùm in aduerſarios incidiſſet, eorum argumentis appetitur, quibus ſolutis alia reponit, adiecitque, nè Rectorem quidem ea ſoluere poſſe; continuò,quaſi conuicium dixiſſet,comprehenſum Rectori ſiſtere contendunt,noſter violentiam faceſſere iubet, vltrò ſe comitaturum; & ad eum quidem, quanquam id ſæpius vxore internũcia petiiſſent, non admittuntur; mulier ſeu viri cōſilio, ſeu procellæ imminentis metuens,cum clamore & tumultu Adoleſcentem domo eiicit, vici-

 nos

nos conclamat, viro mortem intentari mentitur; itaque facta lapidatione vix euadit ; imminuit ea res egregiè auctoritatem hominis fastuosi, indignātibus ipsis discipulis hæreticis, Rectoris sui inscitiam nisi tàm insigni calumnia , & alieno periculo cælari non posse. E vetito concubitu extracti quatuor: à duodecim leucis confessionis causa ad nos venit Batauus quidam: quinque Dei virginitatem consecrarunt: duo è Scholis nostris ad institutum S. Benedicti se contulerunt: restitutiones factæ cōplures. Sacerdos prouecta ætate Principis in spiritualibus administer, grauissimos sustinens capitis dolores, post omnia remedia, frustra etiam sectiones adhibitas, diuina iam cogitans in Sodalitatem Beatæ Virginis admitti postulauit, cùmq; præfectum Canonicum ea causa adisset, & iam vt maturaret propositum, generalem exomologesin totius vitæ complesset, subitò omnis dolor nullis reliquiis manentibus euanuit, magna omnium admiratione; & ille gratus Beatæ Virgini tùm reliquis virtutibus, tùm liberalitate in studiosos est profusa, vt affirmet amicos se mortuo nihil nisi quasdam imagines pietatis accendendæ causa reperturos. Adolescens ingeniosus Superintendentis è Marchia filius, impietate paterna abiurata, etiam Sodalitati Beatæ Virginis se adiunxit graui parentis casu perculsus: eius frater primò apud hæreticos institutus, dùm in Italia peregrinaretur, Romanæ se Ecclesiæ coniunxit, filii videndi desiderio languebat infidelis parens, hanc sibi occasionem sumpsit fallendi artifex diabolus, venit curru & equis magnificè instructis, velut à filio legatus, nunciat sibi mandatum, vt pa-
rentem

rentem curru exceptum Berlini sisteret, ibi filium cum aliis illustri genere oriundis esse, credulus & cupidus, nihil morandum rat⁹ conscendit currum, in somnum incidit, atque in solitudinem Berlino vicinam deportatus tetris spectris vallatus, miserrimeque exagitatus, paulò pòst Berlini animã miseram efflauit. Nec tacenda Adolescentis Sodalis pietas, qui cùm malè vestitus, inopemque vitam agens adduci non posset, vt in summa frigoris asperitate quicquam de consueta studendi, orandique assiduitate remitteret, morbum lethalem adsciuit, sæpè sensibus destitutus cum Sacramentis muniendus se magno desiderio eorum teneri indicauit, ad nomen Iesu & Mariæ auribus inclamatum magno pietatis sensu leuare manus, oculos attollere, vultu gaudium præferre, cùm ante verbum effari non posset, iam moriturus totum Symbolum distincta voce percurrit, sæpiusque illa verba: Natus ex Maria Virgine, cùmque extremo halitu verba Iesu & Maria exprimere conniteretur, animam Deo reddidit. Liberalitate Principis census annuus centum daleris creuit, è testamento dati ducenti.

COLLEGIVM EMBRICENSE.

IN Societatem admissus vnus; ad varios religiosorum ordines septem; spiritualibus exercitiis exculti sex; ædificata domus ampla, & celsa sumptu sex millium dalerorum, empta alia è regione, quæ Scholis seruiet, quod vetus Gymnasium longius à Collegio abesset, nec commodè à superiori-

rioribus adiri & inſpici poſſet. Præcipua Duciſſæ in nos liberalitas, quin & alterius matronæ, quæ cum teſtamento mille legaſſet, filius hæres, & fidus maternæ voluntatis executor alia mille, & amplius adiecit. Abſolon in ſcenam datus magno plauſu & æſtimatione Scholarum, conuenientibus etiam ex intima Hollandia ſpectatorib⁹, vt repeti poſtera die neceſſe fuerit. Diſciplinæ noſtræ etiam liberos ſuos hæretici commendant, quos inter fuit, qui apud ſuos Magiſtros adeò moribus deprauatus fuerat, vt nullam ſpem melioris frugis faceret, mater à quodam, qui hîc operam litteris dederat perſuaſa, vt filium Embricam mitteret, ibi, ſi quæ ſpes ſuperſit, ad honeſtatem eum poſſe reuocari, nec fefellit eam cōſilium, paucis enim menſibus eam iuuenis modeſtiam induit, vt planè parenti ſatisfecerit. Principis Sereniſsimæ dono reliquias ex arce Cliuenſi tranſlatas accepimus, ſacra ſupellex acceſsionem accepit, Crucem argenteam quinque pondo grauem, calicem inauratum, binos vrceos argenteos cum diſco, & inſigni hierotheca, omnia donum ex Friſia matronæ cuiuſdam filio ſuo, qui apud nos eſt, iſta legantis: alius etiam calix argenteus cùm altaris propetaſmate piorum liberalitate donatus: ſuggeſtum artificiosè elaboratum, & organum, vicus ipſe, quà ad templum via eſt, ſilice ſtratus. Ab hæreticis reſipuerunt viginti duo; in his nobiles aliquot, & ſenex decrepitus, qui magno multorum gaudio redditus eſt Eccleſiæ; multi veneficio liberati per exorciſmos: monaſterio virginum pax & diſciplinæ integritas reſtituta. Craneburgum Cliuię oppidum eſt vno miliari ab Neomago,

mago, iam dudum in poteſtate hæreticorum; hùc miſsi concionibus, & Catecheſi vtilem operam præſtiterunt, Decano, & loci ſatrapa Adiutoribus. Inſtituta iam à multis annis omiſſa proceſsio; cum de Crucis, & imaginum cultu oratio à noſtro habita eſſet, ad maximam incolarum, & conuenarum multitudinem, attulit lætitiam tanto interuallo Cerimonias Catholicas renouari, & bona pars vrbis Nouiomagēſis ſe ad ſpectaculum effuderat, tùm ingens turba ſecuta Venerabile Sacramentum, & Crucem miraculo claram, ex Nouiomagenſibus ea occaſione centum quinquaginta communicarunt, Embricenſium multi tranſito Rheno nudis pedibus duorum miliariorum itinere eò profecti, è quibus vna periculoſo hydrope libera læta rediit.

COLLEGIVM AQVISgranenſe.

IAcobus Heſta è Diœceſi Leodienſi, poſtquam annos ſexaginta duos, & ex iis triginta octo in Societate vixerat, lenta tabe conſumptus eſt: vir obedientiæ & reuerentiæ erga ſuperiores egregiæ, & in ægris tractandis & fouendis eximiæ induſtriæ & charitatis, in primariæ parochiæ templo tumulatus eſt, comitantibus primis Cleri, & Senatus. Reliqui hunc annum ob recurrentem ſeptennio reliquiarum venerationem, & toto orbe populi concurſum, vberem ſpiritali meſſe ſperabamus, ſed magnam partem fructus turbo ſeditionis diſiecit. Cœpimus hoc anno templum habere in noſtro fundo, poſtquam annos octò in ſumma Beatæ

Virginis æde sacra fecimus: consecrauit illud Suffraganeus Leodiensis, in eaque magnæ multitudini Sacramentum Confirmationis contulit; à nobis eodem tempore duo dramata, & frugale conuiuium amicis exhibitum. Triginta septem se ad gremium Ecclesiæ receperunt, & inter eos etiam hæreseon auctores, inimicitiæ sublatæ, carceres aditi, adiuti morientes, cerea sacri Agni effigie, & sancta Cruce spectra fugata. Adolescenti Flandro, inuita matre vidua in via ab itineris comite spoliatus, omnium egenus, & penè desperans Aquisgranum cùm venisset, malus dæmon aspectabili forma apparens, iam præcipitium persuaserat, deinde alia specie obambulanti ad vrbis mœnia se insinuauit, de paupertate, statuque præsente omnia scrutatus, omnia prolixè promittit, modò se sequatur, & iam deceptus exitio propinquabat, cum diuina prouidentia euntibus fit obuiam ciuis Aquisgranensis, & ex vultu, & solitudine suspicatus quod erat, miserum consolans, hospitium & auxilium promittit; tùm Adolescens, hic bonus inquit vir hæc omnia iam antè mihi detulit, dæmonem humana effigie demonstrans; admiratus alter, vt qui neminem præter vnum Adolescētem cerneret, ecquemnam intelligat, quærit, dùmque inter se rogitant, & mutuò mirantur, spiritus nequam quasi deprehensus derepente euanuit, Adolescens facti pœnitens, & Sacramentis munitus in patriam remissus. Beatæ Virginis Sodalitas hoc anno Romanæ iuncta est, etiam addita ciuium altera, quæ vt in tumultu parua numero, sed virtute, & exemplo plurimum profecit. Peregrinati sunt hùc ex Hungaria, & Francia

pauciores, quod miles vias insideret, & ciues tumultuarentur, quodque fama vulgasset vrbem obsideri: venêre tamen multi, præcipuè Hungari, qui insignem ritu prisco candelam Deiparæ Matri obtulerunt: Coloniensium etiam pietas enituit; duæ insigniter ab iis exornatæ candelæ egregia pompa, & festiuo cantu à porta quæ Coloniensis dicitur, vna in summam ædem, altera in nostrum recens consecratum templum frementibus hæreticis delata est. Accefsêre ad rem familiárem quingenti coronati amicorum liberalitate, quæ in tanta rerum turbatione nobis meritò gratißima fuit. Concludam annales narratione diuturnę seditionis, quę ciues inter, & Magistratum exarsit: Initium ob ordinum inter se dissensiones, quibus sopiendis aliquot annis frustrà laboratum, & harum quidem causæ ciuilia negotia, quorum occasione hæretici facta conspiratione, quinque primos Senatu mouent, domi suæ milite cinctos, quasi in publica custodia detinent, curiam, portas, omnia numero & viribus potiores occupant, nec posituros arma minantur, nisi quæ voluissent impetratis; ea autem tria erant, euertendæ religioni & necessaria, & sufficientia; primum, vt iudicium Synodi tolleretur, aut eius potestas minueretur; spectat ad hoc Tribunal præter Ecclesiasticas, & mixti fori causas, inquisitio hæreticorum; alterum, vt Iesuitæ vrbe pellerentur; tertium, vt hæretici ad Senatum, & præfecturas tribuum admitterentur; & quidem Synodi auctoritas ita afflicta est, vt diù iudicia siluerint, cum Senatus promisisset iudicata se non executurum esse; præter Catholicum ad tribus etiam ad-

missus

missus est Præfectus hæreticus; quod verò extremo conatu agebatur, vt Iesuitæ pellerentur, prudentia & auctoritate Serenissimi Electoris Ernesti valetudinis causa hîc in balneis agentis, discussum est: interim omnia, quæ obsessi solent, passi sumus, contumelias, minas, & iam quinquaginta conspirarant, & tempus, modumque aggrediendi, & trucidandi nos dispostuerant, cùm in ipso facinoris incipiendi momento Dux & hortator ductus pœnitudine cæteros deterruit, atque ita re infecta dilapsi sunt: Electoris etiam auctoritate eò deuentum est, vt tota lis arbitrio Cæsaris relinquatur, & nunc ab ipsa republica teterrimus quisque proscriptus est. Ab ipsis etiam Catholicis Parochis omnibus ordinibus mendicantibus negotium, sed nobis præcipuè exhibitum, renouata antiqua controuersia, à nobili & Reuerendo D. Archidiacono sedatum est.

RESIDENTIA HAGEnoënsis.

ECclesiæ Catholicæ abiectis hæresibus reconciliati viginti quatuor. Virgini salutis occasionem duplex miraculum dedit: Iuuenis in pago hæretico, in quo tùm ipsa degebat, statuæ per ludribium oculos exsculpserat, protinus & ipse visu priuatur, desperatis humanis remediis agnito scelere, peregrinationem ad montem S. Othiliæ vouet, persoluto voto oculorum, & fidei lumen recepit: duo carcere detinebantur morte post diem tertium plectendi, ad Lutheranum alterum prædi-

prædicantes vocati, homini de facinoribus acriter obiurgato mortem denunciant, & ad desperationem adducunt, eum postquam illi recesserunt, noster ad veram fidem, & pœnitentiam reduxit, qui tanta deinde pietatis, & constantiæ laude ceruicem gladio subiecit, vt magno gaudio Catholicos impleritt, hæreticos in stuporem dederit. Superiore anno omniũ votis expetita adita est à nobis Scholarum possessio, erant initio sexaginta, nunc penè ducenti, iuuentus facilis, & docilis, Catholici pietatis amantes, hæretici, nisi parentum, propinquorum, mœcenatum metus, & praua verecundia obstaret, ad fidem proni. Studiorum initio drama pium, & gratum spectatoribus exhibitum: aucti largiter annui reditus ad alendos professores: Reuerendus Abbas monasterii noui castri solitam suam munificentiam crescente Residentia adauxit.

RESIDENTIA ALTEnensis.

TErtius hoc anno Sacerdos additus est, & vexationes, persecutionesque auctæ. Coëmtas ad facelli ædificationem, trabes Hamburgensium Magistratus septem menses per vim in portu detinuit, vixque Serenissimi Alberti Archiducis, & Hispaniarum Oratoribus intercedentibus, dimisit; vetiti tamen architecti, aurigæ, artifices operam suam nobis locare: nec hoc satis inuidiæ, calumniis apud Illustrem Comitẽ Ernestum à Schawenberg nos onerant, rogantque, vt eiiciat; ille verò fraudes eorum execratus, quinquaginta arbores matu-

res maturādo ædificio donauit, & ei⁹ archiſatrapa, qui ſua nos auctoritate defendit, octodecim plauſtra lignorū adiecit. Prædicantes cùm in Magiſtratū dicere periculoſum videant, totam bilem in eum, qui aream nobis vendidit, euomuerunt, quem protractum in publicam concionem miſeris modis proſciderunt. Impetratum à Cæſare mandatum de non offendendo, & aliud peculiare ad Senatum populumque Hamburgenſem cum grauibus proſcriptionis minis. Hæreſin quinq; abiecerunt: patricius Lubecenſis in aula Londinenſi olim ob verbum incautè contra Maieſtatem Regiam prolatum in carcerem, quo Catholici confeſſores tenebantur, coniectus, eorum pietate, & ad moriendum alacritate motus, benè de iis ſentire cœpit, & veram religionem complexus, eam conſtanter tuetur. Ægri adiuti magno ſuo, maiore noſtro periculo; importunitate enim pſeudoeuangelii præconum duæ rogatæ leges, hoc charitatis officium penè nobis eripiunt: prima eſt, nè cuiquam Catholico domum quiſquam elocet: altera, vt ægri Catholici domo eiiciantur; itaque nuper duo animam agentes è diuerſoriis extracti. Adoleſcentem Argentinatem recens conuerſum, dùm hic in Hiſpaniam nauigandi commoditatem expectat, mors præuertit; petunt ab vtroque Conſule Catholici, vt liceat ſibi eum Altenæ ſepelire, illi nec concedunt, nec abnuunt, & factum diſsimulant; at non Miniſtri, omnia mouent, & turbant, & nunc res ad tribunalia agitur; euentum tempus docebit. Excurſum ad tria Bremenſis, & Lubecenſis Diœceſeon illuſtria monaſteria magno fructu, & eorum conſolatione. Vir

Catho-

Catholicus, dùm mersa in portu naui ipse vndis hauritur, vouit laneo indutum nudis pedibus ad nostrum sacellum anathema allaturum, vix votum nuncuparat, cùm adest scaphæ auxilium, & trepidantem fluctibus educit. Ciuis Hamburgensis certis indiciis compererat filiam suam à maligno dæmone agitari, omnia adhibent ministri Lutherani, sed dùm nihil promouere se vident, suadent parenti, vt Deì occulta iudicia patienter ferat, non esse potestatem dæmonum eiiciendorum hæreditariam; venitur ad nos, opem per diuinam gratiam promittimus, tamen prius magnum Hamburgensium Doctorem adeat (ita enim vocari solet) & si is nihil opis adferat, tùm demùm apud nos vltimũ refugium fore, sed minis illorum deterrita ad nos redire ausa non est, dæmone sæpè professo contemni à se rhetorculos illos, à Sacerdotibus Altenensibus timere proscriptionem. Non erit abs re, quid magno huic Doctori hisce diebus contigerit, memoriæ mandare: apparet homini media luce diabolus in museo sedenti, & subridens alterum suum Lutherulum appellat, iussus facessere, respondit, Häb bald/ id est breui habebo; atque ita abscessit: narrauit homo gloriæ appetens rem pro concione, vt suam sanctitatem, cui tàm infestus esset diabolus, Auditoribus commendaret; res aliorsum cecidit, crebra narratione in prouerbium abiit, vt lusitantes pueruli identidem ea verba iterarent, & vix homo sine ingenti irrisu in publicum procederet; euicit apud Magistratum, vt Senatusconsulto malè ominatæ facetiæ tollerentur, non tamen euentus etiam impediri illo decreto potuit, nam paulò

pòst

pòſt diù cum dæmone luctatus horribili morte, vt præſentes teſtati, mendacis Prophetæ vaticinum verum eſſe probauit; nos autem diuina miſeratione liberati ſumus à lingua iniqua & doloſa; hic enim omnium penè malorum, quæ hoc loco Societatem exagitarunt, auctor fuit, voce, & ſtylo iam multos annos conuicia, & calumnias in nos congeſſit. Reuerendiſsimi Nuncij Apoſtolici liberalitate quinquaginta daleros accepimus, quos annuos daturum ſe, quamdiu officio ſuo fungetur, pollicitus eſt: Catenam prætereà auream ducentorum florenorum in vſum hierothecæ à Canonico Lubecenſe donatam accepimus.



AN-

ANNVÆ LITTERÆ PROVINCIÆ AVSTRIÆ SOCIETATIS IESV ANNI M.DC.VIII.



Ecem Collegiis, vna Domo Probationis, Residentiis septem, Missionibus septem numerat hæc Prouincia Socios 436. vita functi sunt hoc anno vndecim, in Societatem recepti nouemdecim.

COLLEGIVM VIENnense.

COllegii Viēnensis Anno superioris, vt præscriptum est, in fumum & cinerem versi, parietinas vna cum Domo exigua à funesto incendio superstite, opera subitaria hyeme perurgente, vt tunc fieri poterat accommodata, quini & triceni Socii incoluêre. Sacerdotes quindecim, quorum duo Scholasticam in Academia Theologiam, tertius domi nostræ moralem: tres Philosophiam sunt professi. Scholastici decem, ex his Magistri inferiorum Scholarum sex, vnus Theologiæ, tres Philosophiæ studiosi: reliqui rei domesticæ Adiutores; tot personis vix commodum domicilium, nunquam tamen nostris peregrè, & quidem sæpè aduentantibus non patuit; tantumque nonnunquam illius angustiæ refereiebantur, vt quinquaginta nostrorum capita simul censerentur. Ex quibus ho-

ſpitibus tres Patres, qui Sereniſsimos Maximilianum natu maiorem,& Leopoldum Argentoratenſem & Patauienſem Præſulem Archiduces Auſtriæ Viennam fuêre ſecuti, diutius nobiſcum ſunt morati. In his anguſtiis fœlicior opinione & copioſiore quam ſperabamus meſſe, hic nobis exiit ann⁹. Multa ipſius initio videbantur ſuſpecta: multa vere ineunte formidanda, quæ tamē diuina bonitas benè vertit. Sed & æſtate ineunte, cùm turbatum eſſet in Prouincia ab hæreticis, nihil impedimenti functionibus noſtris allatùm. Res domeſtica,& externa bellos habuit progreſſus. Templum, Scholæ, Catechesis, Sodalitates B. Virginis, excurſiones in finitima oppida, ex anima ſententia ſucceſſere. Hæc vniuerſim, iam ſigillatim. Ac primum domeſtica. Noui Collegii fabricam non parum promouit piorum liberalitas. Trium quadrati partium, quæ ſunt habitationi deſtinatæ (quarta namque ceſsit bibliothecæ) dimidium penè ad ſummum perductū eſt, tectumque illi ſuperimpoſitum. Totius ſubſtructionis impenſa 7344. florenis conſtitit. Facta eſt acceſsio rei domeſticæ, media villa in Stetin ad eam, quam antea poſsedimus 1500. florenis coëmpta. Quæ pecunia mercatoris cuiuſdam Vienenſis munere nobis obtigit. Ad rem domeſticam & illud pertinet, ab ampliſsimo Senatu Viennenſi beneficium in nos profectum. Decreuit quippe vt domus quæ annis quinquaginta amplius à fundo noſtro abalienata ciuitati ſeruierat, à nobis paucos ante annos recuperata, & ſola ab incendio multo cuiuſdā ciuis noſtri ſtudioſo labòre ſeruata, ex hoc tempore deinceps ſit ab omni ſeruitute exempta ciuili.

Tàm

Tàm præclari decreti, duo hæretici, qui soli censentur in illo Senatu, secundùm consulem nobis amicissimum, se Autores præbuêre, cùm Catholicos frigidius ea de re agere viderent. Indignum videlicet aiebant, exiguum illud triginta vel summũ quinquaginta florenis vectigal illis non condonari, quibus didactri loco, si non gratis docerent, ab institutione solius iuuentutis Vienensis decuplo plus pendere oporteret. Non minor liberalitas hæredum creditoris cuiusdam, cui benè sit mortuo, in Collegium exstitit, hi enim rei etiam nostræ familiaris per quam studiosi 300. florenos liberaliter remiserunt.

Aucta est & res libraria non medicum munere Reuerendissimi D. Stephani Suchai Agriensis Episcopi: qui Bibliothecam suam bis mille florenis æstimatam nobis dùm viueret donauit. Aliorũ quorundam beneficentia plus quam centum coronati in nostri templi ornatum collati. In nostro templo pius Præsul sepeliri voluit, vt qui Societatem amore ac beneuolentia in vita prosequeretur, ob idque à R. P. N. communicationem meritorum fuerat consecutus, nè post mortem corpore ab ea foret disiunctus. Parentatum illi, tùm ab Aulico, tùm ab Academico Magistratu: Clero itẽ, religiosisque familiis, à nostris post funebrem orationem piaculare sacrum Diuino Numini oblatum. Fuit & multorum beneuolentia in nos spectata. Illa præcipua, quam vt sociis exhiberent Serenissimi Archiduces, Reuerendissimus Leopoldus Argentinus, Pataui-ensisque, & Reuerendissimus Carolus VVratislauiensis Antistites, cum hic, Nouemb. Mense in Sile-

ſiam ad poſſeſsionem Epiſcopatus ſui adeundam tendens:ille in Octobri tuendæ Religionis Catholicæ cauſa, contra inſurgentes proteſtantium Auſtriacorum motus Viennam veniſſent;Buſtum antiqui Collegii non ſunt dedignati inuiſere. Ac Sereniſsimus quidem Leopoldus, vt familiarius nobiſcum agere & ſingula luſtrare poſſet, relictis arbitris curru clauſo, vno tantum ſupremo cubiculi Sereniſsimi Regis præfecto, comite, Collegiũ adiit, noſtroſque humaniter complexus tandem valedixit. Carolus verò cùm rei diuinæ in noſtro templo duobus Præſulibus comitatus interfuiſſet, hinc in rudera veteris ædificii deductus, ſub dio emblemate viuo à pueris aliquot ſplendidè ornatis, cùm nec dùm Scholis initium datum fuiſſet, exceptus eſt. Vterque in digreſſu præter ſingularem fauorem etiam ſubſidium Collegio inſtaurando liberaliter promisêre. Sed & Sereniſsimus Rex Hungariæ Matthias ſecundus, quo eſſet erga Societatem noſtram animo, tunc palàm fecit, P. Prouinciali & P. Rectori ſe humaniſsimum exhibuit, & ſyncharma poëticum typis excuſum nomine Collegii oblatum gratiſsimo animo acceptauit. Ita ſpe alimur bona: Dei potiſsimùm prouidentiæ innixi. At iam è Collegio ad templũ gradũ fa[illegible]at[illegible]atio. Põpa ſolẽnis die Dominico octodialium Auguſtiſsimi Corporis Domini feriarum, per porticus antiqui noſtri Collegii circumduci ſolita, hoc anno ſublatis ex parte porticibus noui ædificii cauſa, in ipſo templo ſplẽdore & apparatu magnifico, abſq; tamen proceſsione, vt vocant, ſeu ſupplicatione eſt celebrata. Rem diuinam Reuerendiſsimus Antiſtes Vienenſis no-

ſis nominatus ritu ſolemni peregit, eaque peracta drama & feſto illi & tēpori, quo de pace inter Imperatorem & Sereniſsimum Matthiam agebatur, appoſitum, (Iacobi enim & Laban fœdus ſuper altari ab illis erecto initū, repræſentabatur) non ſine voluptate ſpectauit. Plures hoc anno quam toto ſuperiore noſtri concionatorum functi munere. Nō enim dictus Reuerendiſsimus Antiſtes nominatus Vienenſis deſtitit ſuperiores Societatis vrgere, donec cathedram Principis ædis ſacræ, poſt obitum vnius ex noſtris, qui ex ea ad concionem verba faciebat, á nobis relictam iterum reciperemus. Nonnullis item religioſorum familiis noſtram opem expoſcentibus fuit ſatisfaciendum ſæpè: Et in quorundam templo ſacri aduentus tempore & celeberrimis, quæ hoc deinceps conſequuntur feriis, verba de rebus diuinis habita. Quin & Sereniſsimo Maximiliano, nè per id tempus, quo Sereniſsimi Matthiæ Regis Hungariæ abſentis nomine, fuit cum Imperio Viennæ, deeſſet noſter Eccleſiaſtes, fuit proſpectum. Noſtræ ædis ſacræ concionatori depugnādum fuit è ſuggeſtu cum Polycarpo Leuſero præcone Lutherano. Duas hic Prædicans cōciones, anno ſuperiore coràm Duce Saxoniæ Electore Imperii de bonis (quod mireris in Lutheri diſcipulo) operibus Pragæ habitas, cùm inde in patriam reuertiſſet, typis vulgarat, præfatione illis præfixa, in qua præter cætera conuitia & maledicta, quibus tùm Societatis noſtræ ordinem vniuerſum, tùm certos illius homines proſcidit, etiam collegas Vienenſes multis calumniis & mendaciis onerauit. Vix autē lucem infœlix hic partus adſpe-

xerat, cùm subitò à nonnullis eiusdem farinæ(hæreticis videlicet hominibus) plausu magno est exceptus, creuitque breui tantum fama eius, vt non alia de rem foro, in viculis, in tonstrinis, aliisque id genus locis, quàm de diuino(vt aiebant) Polycarpi fœtu sermo haberetur. Nè igitur silentio nostro aliquid aduersario tribuere videremur, dùm omnia adhuc calerent recenti feruore, quoniam responsio scripto non tàm cito potuit adornari, verbotenus refutatio suscepta fuit.

Quendam parens hæreticus Praga è nostris Scholis Pragensibus eo consilio, nequid animus tenerior Religionis Catholicæ combiberet, in Misniam, Mollium vt vocant, Lutheranorum receptaculum ablegarat. Sed & hic Viennam cùm venisset, lumen fidei Catholicæ, cuius nunquam non anteigniculos sentiebat, aliquos recepit. Iam quod ad Sacramentorum in nostro templo frequentationem attinet, sacræ exomologesis crebrior hoc anno, quam superiore vsus. Numerus eorum, qui Cœlestis Agni epulum adiere 400. supra 4000. deprehensus. Tres ex iis qui calici assueuerant, ad vnam speciem reducti. Permulti etiam in fide vacillantes confirmati, multi contumelias & verbera causa eiusdem experti collaudati, & ad patientiam perseuerantiamque excitati. Nonnulli qui iamiam ad Hæreticorum castra transfugere parabant, à nefario proposito deterriti. Cum Hæreticis degẽtes, nè quid ex conuictu eorum mali illis adhæresceret, communiti. Permulti item libri, quorũ lectio non bonis solum moribus, sed etiam sinceritati fidei poterat obesse, tùm Catholicis, tùm recens ab

hæresi

hæresi reductis ad Ecclesiam,bona eorum cum venia ablati. Permulta schediasmata & scripta execrandæ artis magicæ Vulcano tradita.Inter coniuges multos,quorum aliqui animis à se inuicem erant valdè alienis, aliqui etiam anno amplius vna domo relicta,aliò diuerterant,pax & beneuolentia redintegrata. Tranquillatæ præterea multorum conscientiæ, quæ anxiferis scrupulorum aculeis malè accipiebantur,tantiq; id beneficii loco à quodam magni nominis prælato habitum est, vt cum lachrymis in amplexus nostri ruens gratias ei magnas ageret.Spectrum,quod noctu infantem à latere matris abripere, marito etiam reluctante fuit conatum,aqua lustrali semel abactum,nunquam amplius coniugibus molestiam exhibuit. Septem virgines, qui nostro in templo Sacramenta frequentabant,cœlestis sponsi amores sponsorum terrenorum amoribus prætulêre, inque variis sacrarum virginum Collegiis, virginitatem suam Christo in perpetuum deuouêre. Hæreticis plerumque est malè persuasum, nostros sub exitum è corpore spiritus,nè verbum vllum,de acerbissimis Christi Servatoris nostri perpessionibus nostri causa toleratis, & meritis ipsius,quibus æger in spem remissionis peccatorum veniæque obtinendæ excitari possit, facere. Ergo vt nùm res ita se haberet experientia ipsis constaret,& simul quid tandem à nostris dicatur explorarent, subinde aliqui infirmos, quo nos sciebant venturos accessêre,reque aliter deprehensa, non tantum probarunt nostrum modum eos iuuandi & charitatem,sed vt ipsi simili in periculo eandem experirentur, instrui de rebus fidei petierunt.

runt. His & aliis officiis instituti nostri propriis effectum est, vt apud ciues plurimum Societatis nostræ honori & existimationi accesserit, eaque ex causa secunda plurimorum voluntate vtamur.

Ex profectione Castrensi fructus laborum non contemnendi relati. Graues enim principio nostri proceribus hæreticis, qua concionibus, qua familiaribus colloquiis, qua religiosis aliis officiis eisdem redditi non ingrati. Fuitque non nemo Barones inter hæreticos, qui nostro à concione abeunti in amplexus ruit, & dicta ab eo probauit, non obscurè innuens sibi stimulos subditos esse ad Catholicam fidem amplectendam. Confessiones auditæ, & in his aliquot summatum. Consilia paci infesta & sanguinaria dissipata. Ministri aliquot tum Hussitici, tum aliarum hæreseon ad certamen inuiti detracti, palàmque vanitatis & falsitatis conuicti. Duo ab hæresi absoluti. Impia in Deum verba, ac Cœlites profūdere soliti, à scelere deterriti. Supplicio adiudicati extremo ad extremum vsque vitæ halitum adiuti. Eorundem ex cœtu duo mortem quam sceleribus suis promeruerant, nostrorum precibus à iugulis depulerunt. Possonii, quo Serenissimum ad comitia Regni Hungariæ, quæ eligendi causa Regis celebrabantur, noster secutus erat, id præter cætera actum. Duo è præcipua nobilitate viri, nè duello quod alteri eorum certum interitum allaturum erat, confligerent prohibiti, sibique inuicem reconciliati. Sublata pessima militum cōsuetudo, quos tempore sacri, & concionis diebus Dominicis & festis aleis loco in arce abstrusiore, vt liberiores essent, noster operam dare deprehenderat,

derat. Subuentum egeſtati nonnullorum, quorum per id tempus ſubito ædes conflagrarant incendio. Conciones hæreticas nè aliqui adirent diſſuaſi. Miniſter aliquandò hæreticus declamatorem in funere cuiuſdam Eccleſiaſtæ loco agebat. Fortè tranſibant Catholici aliquot, & Stentoris clamoribus inuitati accurrunt. Dogma is rectè Catholicum, de pœnis quibus animæ iuſtorum expiantur miris exagitabat modis, at homo diſertus inter ſuos vbi tales Auditores vidit, primo aſpectu perterritus hæſit, & tantum elinguis eo in genere dicendi factus, velificatione mutata & abrupto ſua orationis filo, in laudes Catholicorum excurrit. Ita apud hos præcones fanda infanda dicere, pari in loco ponitur. Concio in coronatione Sereniſſ. Regis à noſtro habita. De excurſionibus ad vicina loca hæc. Non ciues tantum cuiuſdam oppidi, diebus feſtis celebrioribus, ſed etiam Vicani ex circumiacentibus pagis, turmatim ad Sacramentum pœnitentiæ accurrentes in multam noctem noſtro Sacerdoti materiam præbuere laborum. Laudandus vtrorumq; feruor. At magis colonorum, quos nec militum apud eos ſtatiua habentium licentia à pietate retrahere potuit. Sex ibidem hęreſim repudiarunt. Cum vno eorum plus præ ceteris fuit laboris. Faber hic erat ferarius, & vt ita dicam, vltra limam etiam, ea de cauſa, nec Parochi, nec noſtrorum poterat ferre aſpectum, vitabatque quàm ſtudioſiſsimè, hominem tamen noſter non tantum ſibi reddidit, ſed etiam ad Catholicam Religionem amplectendam ita perpulit, vt peſsimi Doctoris Lutheri poſtillam vt vocant, quam in officina ſua inter limandum ſtu-

diosius euoluendo penè attriuerat, abiecerit, Catholicisque se adnumerari petierit, quod & obtinuit. Duæ ibidem personæ flagitii causa diu in carcere detenti nostra opera, publica pœnitentia intra missarum solemnia peracta, vitæ periculum redemere. Plurimi etiam ab esu carnium diebus Sabbathi & è variis superstitionibus abducti. Itidem non pauca volumnia pestilentem memphytim Lutheri exhalantia flammis absumpta luculentis, & nostro, & aliorum bono: nostro, quia tempestate perfrigida in regione alioqui lignorum sterili calorem nobis dedere copiosum: aliorum, quia ab ea peste nullum illis amplius exitium metuendum.

RESIDENTIA S. BERNardi.

TOtidem hoc anno Socii, quot superiore hic stationem agebant. Vnus eorum cœlestis Imperatoris iussu euocatus anno ætatis 3.& 70. sui nobis non ingratam memoriam reliquit. Pater is erat Laurentius Hermanutius Coadiutor spiritualis formatus, Sacerdos annis 47. vir verè religiosus obedientiæq; quàm maximè studiosus, & ad multa nostræ Societatis munia dùm benè valeret accommodatus. Ministri ac procuratoris munus in aliquot Collegiis gnauiter 20. annis obiit. Catholicam Religionem quà cum Hæreticis disputando, quà libellos de rebus fidei controuersis typis vulgando, non parum promouit: semperque in eo totus fuit, vt quam plurimos luce veritatis Catholicæ collustraret. Dùm verò ab aliorum mentibus

bus tenebras prauarum opinionũ & errorum depellit, cæcitatem ipse oculorum incurrit, quam annis propè decem, non patienter tantùm sed hilare etiam tulit. Occupationes eius per idem tempus assidua pene oratio, cui & anteactæ vitæ tempore maximè deditus erat. Nec tamen siqua interea offerebat se occasio promouendi proximum ad meliora, eam negligebat, potissimum ad Dei amorem & Sacramentum pœnitentiæ eum cohortando. Obiit tandẽ anno ætatis in Societate actæ 3. & 50. Mors huius spolia abstulit; at nè Mars cæterorum raperet, vehementer timendum fuit. Milite procerum hæreticorum occasione libertatis Euangelicæ tumultuantium, non circumquaque tantùm, sed etiam intra nostrorum S. Bernardi pagum cõmorante. Hucusq; tamen diuina nos seruauit bonitas. Fructus ex functionibus instituti nostri par anni superioris in cæteris, in hoc maior quod 3. ab hæresi expiati Catholicis sese adiunxerunt.

RESIDENTIA LINcensis.

Lincii, sicubi in Austria, maximè tumultuatum est hoc anno. Tumultus causa fuit desiderium exercendæ palàm & vbique in Prouincia religionis hæreticæ, quam proceres superioris Austriæ hæretici à Serenissimo Matthia, cuius in gratiã Imperator Prouincia Austriæ cesserat, impetrare se posse desperarant. Hinc versi ad arma ciuitatem hanc hæreditariam alioqui Austriæ Archiducum primùm; tùm alias in potestatem suã redigũt: Pseudo-

Pſeudominiſtróſq; & magiſtellos hæreticos poſtliminio ad eas reducunt; Ita repente cuncta turbata, finem anno huic dedere turbulentum. Quatuor Sociis, duobus Sacerdotibus, & totidem rei domeſticæ Adminiſtris, duo itidem Magiſtri acceſſere Scholarum cauſa. Et verò 14. Ianuarii, accedente conſenſu ſacræ Cæſ. Maieſt. & Sereniſſ. Matthiæ, inuitis quantumuis & reclamantibus hæreticis, at plaudentibus, & ſibi gratulantibus paucis licet Catholicis, non ſine ſolemnibus Cerimonis ij aperti. Peracta res diuina de Spiritu ſancto in noſtra ſacra æde maiore. Habita in Scholis ab vno è Magiſtris oratio negotio præſenti accommodata. Carmina prӕterea ab aliquot pueris ſumma cum gratia recitata. Et demum frugali apparatu ac menſa præcipui Cæſ. Maieſt. Præfecti, & Lincenſes Senatores in domo noſtra excepti. Studioſi, vt fit initio & inter hęreticos, non adeò fuere numeroſi, ſed indole, probitate, & diligentia ad ſtuporem vſque conſpicui.

MISSIO INFERIORIS HVNgariæ.

DVo è Sociis, Sacerdos vterque, hoc anno, in aula Illuſtriſsimi Cardinalis Strigonieſis Archiepiſcopi Franſciſci Forgach Societatis noſtræ amantiſsimi, tùm Boſonii, tùm Tirnauiæ ſunt verſati. Commorationis eorum cauſa ea fuit potiſsima, vt ſi qua occaſio, bona Schelienſis Collegii recuperandi ſe obtuliſſet, ea non negligeretur. Et fuit in eam rem ſummum collatum ſtudium, cùm

cùm aliàs, tùm comitiorum tempore, in quibus de Serenissimo Matthia in Regem eligendo delibcrabatur, sed nihil effici potuit. Tantum enim hæreticæ factionis homines, qui cane peius & angue Societatem oderunt, & numero & viribus valuere, vt quamuis litteris Regiæ Maiestatis vocati fuissemus ad illa Regni comitia, nulla tamen ratione, vt illis interesse nobis liceret, obtinere potuimus, equè loco comitii, nec quicquam ostentantes litteras Regias, abire coacti fuimus. Hinc exclusis, cùm in sola secundùm Deum Maiestate Regia, rerum nostrarum præsidium situm esset, nec sic, omnia videlicet miscentibus hæreticis, quamuis Catholici omnes, & inprimis Illustrissimi Cardinales, & Nuncius Apostolicus nostram causam agerent, quicquam promouimus. Malignæ huic occupationi Deo sic permittente respondit fructus. Excurrit vnus ad vicinum Scheliæ pagum, & cùm penè vnum mensem apud viros nobiles hæsisset, frequentes Catholici, non ex vicinis tantùm locis, sed etiam Schelia ad ædes vnius eorum sæpius venere, vt rei diuinæ & concionibus, queis diù caruerant, interessent. A concionibus hic motus animorum fuit, vt super 200. confessionis Sacramento animum purgarét, in aliis autẽ locis 50. vt minimũ. Nonnullæ horum confessiones totius vitæ maculas continebant, tùm quod ii recens ad gremium Catholicæ Ecclesiæ essent reducti, tùm quod nunquam antea peccatorũ exomologesim instituerant. Baptizati & aliquot infantes, Matrimoniique Sacramentum ritu Catholico ab aliquot coniugibus nostro præsente, quod Parocho carerent, initum. Sed

& alte-

&alterius labores non fuere inutiles. Sex ætatis prouectæ personæ ab hæresi resipuere. Decem generali confeßione peracta Deo reconciliati. Multi viri primarii, quibuscum de religione Catholica actum, tametsi nondum manus dedere veritati, vt melius tamen erga eam essent affecti, persuasi. Animi à se alieni beneuolentiæ mutuæ vinculo adstricti. Spectris duo agitati Sacramentorum frequentatione molestiam depulere.

IN SVPERIORE HVNGARIA, ET Transyluania, quid per nostros sit effectum, commercio litterarum, propter tumultus annorum superiorum sublato, nihil certo cognosci potuit.

COLLEGIVM GRECense.

PRæter R. P. Prouincialem, eiusque Socium, tresque Sacerdotes cum duobus Coadiutoribus, qui Milstadii vectigalia Collegii procurant, & alios qui Passauii sunt in Mißione, Socios numeramus 6. & 90. Sacerdotes 1. & 20. 12. Coadiutores, humaniorum litterarum Professores 5. 31. Studiosos Theologiæ, Philosophiæ 27. sacris initiati è nostris sex, totidē è Collegio Alumnorum laurea Magistrali insignes. Et si hoc anno è nostris nemo vita functus, aliundè tamen luctu vacare nobis non licuit, sublata videlicet è viuis Serenißima Archiduce Maria, Sereniss. Caroli Archid. Austriæ, huius Collegii Fundatoris, relicta vidua; cuius immorta-

mortalia in nos, vniuersamque rem Christianã merita, omnia penè per Prouinciam vniuersam sacraria, templa, Collegia, Monasteria, sacri prophaniq; cætus omni marmore & colosso perennius, seræ in omnem posteritatem memoriæ commendabunt. Alius nobis in proximo luctus erat, sed eum diuina bonitas clementissimè auertit. Ipso quippe D. Michaëlis peruigilio nocte media ingens repente ab omni cœlo coorta tẽpestas, è multis, quæ circũquaqua iaculata est fulminibus, in turrim nostrã vnum immisit. Aderant ibi æri campano iuuenes 5. nulli tamen exitiale fuit, sed nec turri admodum noxiũ: flamma enim modica quam concitarat, obtritu penè pedis extincta, & damnum omne non magno vel sumptu vel negotio restitutum; boni euentus Authori Deo, gratiæ à nostris persolutæ. Libros hæreticos multi specie quadam eorũ hactenus capti nobis tradiderunt; hæresim eiurarunt (qui quidem in numerũ venerint) vnde octoginta. In his non pauci viri illustres magno genere, alii partim à discipulis nostris ad nos adducti, partim è concione cõmoti, errores postmodum dedocti sunt. Operæ pretium videtur quorundam ad fidem transitũ hic attexere. Vir è proceribꝰ Austriæ magni nominis non multos ante annos Ecclesiæ adiunctus, vt filios, à peste quam ipse eiecerat tueretur; nostris tradidit & pietate & litteris instituẽdos: in tuto erant filii, matri hæreticæ vt scopulo filia hærebat; consilium fuit, eam quaque ratione abductam Catholico istic Prouinciali educandam tradere. Non latuit ea res matrem timentem omnia, omnia circumspicientem, itaque eiulare illa, crines vellere, nulla non furiosã mentis indicia edere, ad-

uentantibus qui deducerent, filiam complecti, vt eam Pater vi adhibita è complexu matris auellere ſit coactus. Vbi tandem diffiſa manibus prædam dimiſiſſet, ad verba vertitur; filiam per beneficia materna omnia, per diuina ac humana iura, obteſtatur Catholicorum libros negligat, conciones non audiat; iureiurando interpoſito matri fidem dedit filia, & Græcium ad Catholicos deducta eſt, ſed oculis tantùm matris, non animo ſublata fuit, modico enim tempore interiecto Græcium properat, filiam ſecum clam omnibus abductura, non cecidit tamen, vt optabat negotium. Viſa res eſt plena periculis, matre nouum aliquid ſemper ad rapiendam filiam moliente; itaq; quò tutior eſſet inpoſterum, Sereniſsimæ tradita eſt, in cuius vſque huc gynæceo degit. Hærebat etiam hic puellæ fides, qua ſe matri perſtrinxerat, ſed & venenum ſic imbiberat, vt ad buccinatoris pedes enutrita videretur; docta benè monentibus obſtrepere, ſacra Catholica calumniari, ad omnem de religione ſermonem vt ſerpens ad vocem incantantis, aures obſtruere. Accedebat ad pertinaciam licentia & temeritas: capta tamen lenitate poſtmodum cuiuſdam è noſtris, cœpit ei vltrò de fide quæſtiones proponere, de Deiparæ laudibus dicentem, cum ſenſu audire, Deiparentem, verba tantùm Gabrielis & Eliſabethæ vſurpando, ſalutare, nam vt precatiunculam Eccleſiæ adiungeret, variè laboratum. Hoc tamen animo ſenſim expugnato lenior deinceps & ad fidem pronior viſa eſt. Ergo ipſo D. Catharinæ Virginis & Martyris ſacro die, noſtro ad ſe accerſito, quaſi tùm primum ſeriam de ſalute cogitationem ſuſcepiſſet,

pissset,quidquid angebat animum gnauiter & modestè detexit; responsum ei accuratè ad omnia, dedit tandem veritati manus, & Ecclesiæ adiuncta est tanta sui mutatione, vt stupori sit vniuersis. Mercator aliquis dùm sua diuendit, fidem mercatus est, emit ab hoc in vestitum pauperum quidpiam noster Sacerdos, de fide sciscitatur, intelligit Lutheranum, promptum tamen audire de religione, offert congressu primo libellum Catholicum; acceptat, nec multò pòst hæresi abiurata ad Ecclesiam accessit. Alterum è media Saxonia nomen nostrum exciuerat, vt qui ab æquali audisset, Iesuitas humanos & doctos esse. VVitembergæ, vbi tùm in litteris versabatur, multiplici veste, & supellectili libraria compacta, inscijs parentibus, vicesimo exinde miliari distantibus discessit, nostros perquisiturus. Lícij, quod quæsierat primum inuenisse visus est, Græcium post pauca directus, instructus in fide isthic Catholico ritu Sacramenta suscepit. Miles his addendus. Hic Mahometi subscripserat, adactus à Turcis, à quibus captus tenebatur: facti pœnitens ad Deiparam confugit, quæ ei, vt credere licet, modum euadendi suppeditauit. Liber ergo à vinculis corporis, ad nos adiit, vt ab infidelitate & peccatis solueretur. Iucundum in hoc genere fuit, videre hominem, nec opibus nec honore vilem, par coniugum domi ad religionem, & confessionem instructum, inspectantibus omnibus, primùm ad cōfessionem, hinc ad cœleste epulum adducentem. Et his quidem in suscipienda, aliis in tenenda fide nostrorum opera præstò fuit. In his virgo honesto loco nata parentibus non egenis, à vidua prædiuite

aſt hæretica, vt bonorum omnium ex aſſe hæres ſcriberetur, è Prouincia remotiore accita fuerat; hanc vidua omnia poſt opes ponendo exiſtimans, qua blanditiis, qua minis laborauit, ſi quo modo à fide auocaret, ſtetit illa tamen, ſed & domeſticos carceres & verbera pertulit, vnius impatiens, quod aditu templi in omne tempus quaſi arceretur; occaſionem nacta domo ſe ſubtrahens ædem noſtram adiit, exomologeſi cum lachrymis peracta, Chriſtum (eodem die reditum in patriam aggreſſura) in Euchariſtia comitem ſibi adſciuit. Maluit ſcilicet quantumuis opulenta, quam fide excidere. Alia, conditione ſerua, animo libera, à concione & ſacro abeſſe iuſſa, heræ imperanti de concione, inquit, ob domeſticas curas aliquid tibi conceſſero, de ſacro nec hilum, ſin aliud vís, aliam tu tibi famulam, ego mihi heram aliam inquiram.

COLLEGIVM PRAgenſe.

NVmerus noſtrorum per anni decurſum ob varias rerum viciſsitudines varius fuit; ſed cùm hæc ſcriberemus, elapſo iá anno, erant 46. Sacerdotes 20. ex quibus Magiſtri 6. non Sacerdotes reliqui, partim trium Gramm. Magiſtri claſsium, partim Theologiæ moralis Philoſophiæq; Auditores; partim in re familiari. Ex hoc numero duo Sacerdotes deſiderati, alter ſub initium, alter ſub finem anni, ambo diuturnis morbis fatigati. Nam prior P. VVenceslaus Schwihowſer/totum ſeptennium ſæpè ad extrema deductus laborauerat.

rat. Biennio quam moreretur, non manuum captus, paulò tamen ante obitum meliusculè visus est habuisse, vt ei Residentiæ Bernardicensis (quæ noua vt superioribus literis perscriptum est Collegio accesserat) gubernatio demandata fuerit; siquidem etiam in mediis morbis semper sui compos, cana quadam, tàm rerum spiritualium, quàm externarum pollebat prudentia. Bernardicium igitur, dùm proficiscitur, quia nec multum ex itinere deflectebat, & magnum facturus operæ pretium videbatur; diuertit ad duos germanos suos, Barones genere & opibus splendidos, sed plusquam fraterno odio, cum publica Regni offensione dissidentes, vt eos, & inter se, alterum verò etiam, si posset Ecclesiæ, à qua Picarditissimo dissentit, reconciliaret. Nam alterum pridem ipse, iam ad Ecclesiam quoq; adiunxerat. Itaque apud eum, qui plus opis eius egebat, diuersatus Lorasdowicii, incrudescentibus morbis, intra paucos dies consumptus est. Morituro commodum Sacerdos è Societate cum Socio in propinquo vnico milliari, tunc versatus missione, identidem adfuit. Neque verò P. VVenceslaus vel sibi, vel causæ propter quam venerat, defuit. In ipsa enim morte dicitur cum multis lacrymis Fratres obsecrasse ad veram, germanamque charitatem vt redirent. De funere altercatum, aliquandiù nobis rogantibus, vt Pragam reduceretur, sed tandem magnificorum Fratrum cessum obnixæ voluntati. Quare in eodem oppido, vbi mortuus est in Parochiali Ecclesia, quæ est Crucigerorum Melitensium, ante aram maximam sepultus. Elatum corpus humeris, partim nostrorum, partim vici-

horæ nec dimidiæ ſpatium extinctus eſt. Pro his in Societatem hinc adlecti 6. ſeptimo etiam iam Medicinæ Doctori patebat aditus, nec deerat voluntas quàm flagrantiſsima ſanè religioſæ vitæ; ſed quam proinde viſum eſt Deo, morte interueniente celerrimè remunerari. Legauit nobis bibliothecam valoris facilè 500. Eam donationem parens etſi non Catholicus, tamen ratam habuit. Scholæ ſuperioris biennii peſtilentia afflictæ, cœperant reflorere numero, contentione ſtudiorum, laureis. Nam poſtridie Nonas Februarii, 7. ſuprema, 15. Calendas Maii, vnus & 30. prima Philoſophiæ ornabantur. Cùm ecce adulto vere turbo bellicus ex Auſtria, ad ipſa Pragæ mœnia incumbens, teneriorem nobilioris iuuentutis florem, in varias oras diſperſit, certatim vnoquoque optimatum liberos ſuos periculis ſubducente, prouectiores, qui remãſerant, Martẽ cum Muſis indebitè copulabant, multi militiæ nomina dedêre, non nemo ordines ductare. De proceſsione Corporis Chriſti, vt re vſitata taceri potuiſſet, niſi propter terrores bellicos, ſeditio quædam popularis, vt ex re leui orta, ita facilè ſedata; eam memorabilem feciſſet. In emblemate quodam medicus erat fortuitò à pictore formatus; cuius vultum anus quædam contemplata, Huſiticum primarii templi concionatorem, contumeliæ cauſa, expictum eſſe iactare cœpit, res primò inter mulieres agitata, ita mox totam Pragam impleuit, vt in Regni comitiis, quæ per eos dies habebantur, publica acerbaque fieret contra nos expoſtulatio, & addebatur quaſi Camino oleum, flagranti videlicet tunc ſtudio, quo nouis ac damnatis in

hoc Regno scitis libertas, per tabulas publicas confirmanda flagitabatur, importunis & indignis modis: sed huic incendio, statim suffusa est frigida rhithmis Boemicis ac Germanicis, eidem emblemati suffixis, qui totam picturæ & emblematis sententiam explicarent, quibus perfectum est, vt non solùm hominum motus ille conquiesceret, sed emblema etiam valdè ab omnibus probaretur, pleriq; rhitmos describerent, & authores excitatæ illius tempestatis non parum puderet. Lucrum animarum ex variis hæresibus ad ouile Christi adductarum, cuius numerus iniri potuit, fuit 213. Et illustres fuere aliquot conuersiones. Templa nostra, vt alias innotuit, triplicis Linguæ, Boëmicè, Germanicè atque Italicè frequentantur concionibus; In Boëmico accedit pomeridianus Catechismus publicè, nam priuatim domi & foris, festis, profestisque diebus nunquam deest Catechisandi occasio. Septuagenarius ex hæresi emergens ipsam orationem Dominicam edoceri debuit. Turca Adolescens militaris eximio robore ac forma, in ipsa morte simul catechisatus & baptizatus est. Validum in latere vuln⁹ acceperat, ob leue conuitium à conseruo; vt sensit lethale esse, Sacerdotem nostrum accersit, atque eiurato Machomete baptismum, cuius magno iam antè desiderio tenebatur, expetit moribundus. Peracta omnia in charitate ac celeritate, quam articulus ille poscebat, mirum qua promptitudine ac pietate ad singulas de diuina fide quęstiones responderit, quę signa diuinæ consolationis ablutus iam exhibuerit, toto quo à baptismo superuixit tempore sanè perbreui, quasi gustum

ſtum æternę felicitatis præſentiens, nihil niſi de cœlo, & patria illa, ad aures, atque ad os admittebat. Itaque in ipſa oratione Dominica, quam illi Adoleſcens Catholicus præibat, ſuauiſsimè obdormiens ad æternam illam filiorum Dei libertatem, ac hæreditatem perrexit. Fuit & alius à Machometiſmo abductus, qui 9. annis inter Turcas, & Tartaros eorum etiam impuris myſteriis initiatus, miſerandam ſeruitutem ſeruierat, ſed erat Chriſtianis natus parentibus ac baptizatus, proinde ſola confeſſione reconciliatus eſt. Sed quoniam in morientium incidimus mentionem, ſicut ingens laboris in hoc genere campus noſtris Patribus hic quotidiè patet, ita ſe non minor aperit hiſtoriæ, cùm eorum pauperum, qui ex hoſpitiis eiecti, dùm ægrotant, aut ex plateis collecti, in hoſpitali Italico, quod eſt congregationis noſtræ Beatæ Virginis aſſumptæ, à noſtris adiuti, piè moriuntur, tùm etiam honeſtorum hominum in propriis eorum domiciliis, aut diuerſoriis, qui noſtros etiam, vbi non deſunt alii, hiſce onerant officiis, interdum penè diuinitus excitati, quale eſt hoc. Virgo hæretica, nobili ſtirpe oriunda, in ipſo procinctu reditus in patriam ſuſcepti, in phreneſim incidit, qui illi ſaluti fuit. Nam furore agitata, cum immani clamore, atque intemperiis, noctes dies domeſticos fatigaret, affinis, apud quem erat, & ipſe genere non ignobilis, etſi Catholicus non eſſet, tamen poſt fruſtra tentata remedia humana, cùm nihil procederet, conuerſus ad diuina Sacerdotem accerſit. Illuſtriſsima Domina Maria Manriq; , vidua ſenior Pernſteinaniana, quæ hoc etiã anno de vita migrauit, ad innumera beneficia,

 qui-

quibus ordinem nostrum, vbi potuit, ornauit, paulò ante mortem adiecit Bibliothecam, quæ facilè 2000. florenos æstimatur, supremam optimæ parentis voluntatem Illustrissimæ filiæ libentibus animis approbarunt. Virgo quædam, ad imaginem B.P.N. Ignatii, qui in templo nostro illustre monimentum Philippi Spinellii Cardinalis habetur, beneficium consecuta est. Laborabat tumore ac dolore pedum tanto, vt domo vix posset erepere, aliis remediis frustra tentatis, venit in mentem votum concipere ad 14. auxiliatores, qui Cadanæ, 10. amplius á Praga milliaribus coluntur, quod consilium cùm aperuisset cuidam, suggessit, vt breuiori compendio SS. Trinitati per intercessionem B. P. Ignatii Loiolæ commendaret, in eum finem 3. orationem Dominicam & salutationem Angelicam, quotidiè in templo nostro coram eius imagine per dies quatuordecim recitaret, ac semel tres cereolos accenderet, deinde ad S. Vitum, qui vnus est ex 14. auxiliatoribus, & Pragæ in metropolitano templo, eius cum sacro Corpore mausoleum habetur, tantundem vt faciat. Non est elapsus dies 5. cum ipsa quotidie ea qua dictum est oratione, orans ad imaginem B. P. N. Ignatii, primum in dextro pede qui deterius habebat, sanatur, clauso quod manabat vlcere, & antequam decim⁹ quartus dies illucesceret, etiam altero. Quapropter vtriusque pedis perfectam sanitatem post Deum B. P. N. acceptam refert. Conuictus noster sensim restauratur, superiorum annorum contagione, ac tumultibus, non parum afflictus; in eum datus est ab Imperatore Phœdor Adolescens, filius Phœdoris Boris Hoduni, eius

ni, eius qui ante Demetrium Muſcouia potiebatur, & Imperatorem legationibus, ac muneribus ſibi deuinxerat, qui Adoleſcens, cùm hùc veniens ad nos primum confugiſſet, opera noſtrorum perfectum eſt, vt à legato Cæſaris aliquandò in Muſcouiam miſſo recognoſceretur, Cæſarique commendaretur. Non abſimilis opera nauata eſt alteri ex Turcia, item Adoleſcenti, ad Cæſarem noſtrum, tanquam ad communem Chriſtianorum parētem confugienti, Simeoni ſcilicet, filio ſecundo genito Machometis Turcarum Imperatoris, qui vt crederetur huius, qui nunc rerum potitur Turcici Sultani, Germanus frater, ſimulatq; ſacra Chriſtiana ſuſcepiſſet, Coſmæ Theſſalonices Archiepiſcopi, & Exarchi, eade re autenticum teſtimonium græcè ſcriptum, latinè ſumus interpretati, eſt is Catholicæ communionis, ampleĉtiturq; Florentinam Synodū, quare vni ex noſtris græcè peccata cōfeſſus, ex eiuſdem manibus ſacram Euchariſtiam percepit. Partheniorum ac domus pauperum, laudes eædem ſunt, quæ ſuperiorum annorum.

COLLEGIVM OLEMVcenſe.

IN Olemucenſi Collegio, cum Seminarii ſeu cōuictus præfectis quatuor numerati ſunt, duo ſupra quadraginta, Sacerdotes plurimum ſedecim, Eccleſiaſtæ duo, totidem caſuum, & controuerſiarum Profeſſores, Philoſophiæ tres, Eloquentiæ & Poëſeos duo: non initiatorum ſacris, quatuor Grammaticæ Doctores, Auditores Theologiæ,

& Philoſophiæ : 2. rei familiari addicti 10. Duos è corporis ergaſtulo Deus euocauit: Hydrope P. Petrum Domaldoceicz Crocatam, 40. annum agentem, virum magnæ in Deum confidentiæ, ſingularis in morbo biennium durante patientiæ, reſignationis, de omni ſtatu & demiſsionis bene religioſæ. Phthiſi Ioannem Rebæcinium Hungarum ætate viginti octo annorum, Adiutorem fidelem, laborioſum, in ægrorum obſequio diligentem. Vterque breuis quidem vitæ conſtanter actæ in Societate (ſex videlicet prior, quinque poſterior) nec tàm multitudine laborum, quàm dolorum tolerantia metam ſibi deſignatam attigit. Horum ad perennem vitam exitium quatuor bonæ ſpei Adoleſcentum eloquentiæ ſtudioſorum compenſauit ingreſſus. Trimeſtri ſpatio dimidia hora ſupplicationem coram Venerabili Sacramento deſignati quidam ſingulis diebus obiere noſtri; vt imminentia motus bellici pericula, non ſolum nobis, ſed etiam vicinis Prouinciis auerterent. Eadem neceſsitas quotidiè ſtudioſis omnibus, peracto ſacrificio Litanias Sanctórum impoſuit: quas repetiuere Parthenii in ſuis ſacellis, à meridie finitis lectionibus: & Sodalitium Beatæ Annæ ciuium ſeptem pſalmis Dauidicis auxit feſtis ac dominicis diebus; exaudita vota ſupplicantium. Rerum noua mutatio Morauiæ nobilitatis animos incenderat, vt Societatis eiectionem ex Prouincia comitiis Olomucenſibus vrgerent. Verum hoſce conatus ſua Deus inprimis voluntate, deinde Illuſtriſsimi Cardinalis à Ditrichſtein conſtantia, & præſidum Eccleſiæ nobis adiuncto feruore diſcuſsit. Quia

verò

verò dissidentium ab Ecclesia nondum omninò resedit impetus, statis orationibus, & sacrificiis oratus Deus, vt & Morauiæ & finitimis Prouinciis adesse clementi benignitate dignetur. Cuius obsidem Patres Rectores Olomucensis, & Brunensis acceperunt insignem Serenissimi Archiducis Matthiæ, liberalemque voluntatem, cum Brunensibus comitiis ab vtroque Marchio Morauiæ salutatus, singulari beneuolentia sibi cordi fore Societatem professus, eique opem ac patrocinium suum est pollicitus. Quod ad messem animorum attinet; tàm domi, quàm foris, opera Societatis fructuosa extitit plurimis. Paschate 4200. plures cœleste cõuiuium adiêre. Aliis festis celebrioribus, & Iubileo à S.P.N. Paulo V. concesso, ad auertẽda pericula imminentia Ecclesiæ in Imperii Christiani Prouinciis, tanta frequentia communicantium fuit; vt nouum Pascha sæpius illuxisse videretur. Nutantes in fide Catholica retẽti, & confirmati plurimi, præcipuè contendentibus Prouincialibus, vt in ciuitate nouis Euangelicis templum concederetur: corrogata etiam in eum finem pecunia, qua & Principem delinirent, & nouam Synagogam erigerent. Quod dùm fieret: à quadam Matrona Catholica prætextu publicæ necessitatis decem taleros impetrauerant, quæ dolum vt cognouit, satorum noui dogmatis extruendo spelæo argentum id colligi, ira, indignatione, lacrymis, datam pecuniam recuperauit: professa, si furca iisdem erigeretur, ex qua penderent, se libenter eam esse collaturam. Alia constantiæ singularis in religione, cum in officina publica, signo Salutationis Angelicæ audito, in ge-

in genua se demiserat, vt consuetas Deo Deiq; Genetrici laudes offerret. Irridere præsentes Euangelici, & quod Mariam adoraret, exprobare: quibus illa, æquius ego Dei matrem supplex veneror, quam vos nuper Principem, cum ab eodem templum vestris Ministris concedi, positis in terra genibus & sublatis manibus oraretis. Aliæ duæ miram patientiam iniuriis ferendis, pro religione cõstanter ostendunt. Altera perpetuo maritum infestum, & verbera frequenter sustinet; altera virgo adhuc matris & sororis, & affinis quotidiè non maledicta solum, sed etiam plagas tolerans, frequẽti mysteriorum vsu dolores suos temperat. Qui ex errorum, & hæresum tenebris, in lucem veritatis emerserunt 128. numerati: in quibus duo Picarditæ, & totidem Anabaptistæ, à tenacissimo suæ perfidiæ genere auulsi. A calicis erronea sumptione, ad vsum alterius speciei reuocati tredecim. Dignæ memoria quorundam conuersiones. Septuagenaria matrona frẽdente filio & nuru, sacra Catholica suscepit. Nonagenarius senex hæresi nũtio remisso, veritatis Sacramenta percipiens, finem viuendi fecit. Nobilis vir, ætatis prouectæ aderat cuidam familiari sibi Domino diebus aliquot, graui morbo laboranti, cuius insignem pietatem, in Sacramentorum perceptione videns, & Patrum circa eum assiduam operam obseruans, sponte sua mirantibus omnibus, qui hominẽ ante nouerant, ad templum nostrum, & Ecclesiæ Sacramenta venit, desertis hæreseon ministris. Quædam per quietem admonita diuinitus; altera tertiò sibi apparente Christo, hæretica cœna deserta, sese ad communionem

onem Catholicam adiunxit. Centum 27. totius vitæ, multi plurium annorum peccata, coram Sacerdotibus fideli suorum erratorũ accusatione posuerunt. Quandam quoties apud Sacerdotem agebat de salute, surdam efficiebat dæmonium, vt Sacerdotis verba non perciperet, licet eadem alios repetentes intelligeret: supplicationibus ad Deum depulsus est hostis. Syngrapha proprio sanguine scripta, cuidam erepta, qua se generis humani hosti tradere decreuerat; multis schedæ superstitiosæ ereptæ, libri hæretici & magici. Par coniugum odiis malè dissidens, amori, paci, gratiæque redditum; alterum q̃, octo annis illegitimè cohęrebat, vinculo Sacramenti sanctè coaluit. Pellicatu quinque annorum finis impositus; inter duos potentes periculosa factio ad tranquillitatem redacta. Rea capitis intercessione Sacerdotis nostri absoluta. Coniectus in vincula rei malæ tractatæ causa, quod studiosus Olomucensis Academiæ fuisset, & aliquando Sodalis Assumptæ virginis, rogatu Collegii, & pecunia certa à Sodalibus deposita, grauius periculum euasit. Agni Cœlestis imagine cereæ difficultas partus & amentia mulieri; cuidam viro nocturna spectra depulsa. Ad Crucem damnatis adfuit nostrorum industria, nè in malam æternam Crucem abirent. Quod agnouit, & publicè fassus est, iam patibulo affigendus. In carcere Nosocomiisq; constitutis, & aliis egenis victus, vestes, & id genus solatia prouisa. Honestæ matronæ, vt in hospitalibus seruirent egentibus, persuasæ: aliæ non inferioris ordinis, præsertim ex Sodalitate S. Annę, tanto studio, aduersa valetudine laborantes inuisunt, vt

neque maledictis hæreticorum retardentur. Illustrissimus Princeps Cardinalis, Franciscus à Ditrichstein, & Episcopus Olomucensis, sexcentis pauperibus, Iubilei tempore epulum & pecuniam præbuit; cibum ipse distribuens, Adiutores tàm præclari operis, P. Rectorem Collegii & duos Sacerdotes nostros esse voluit. Venio nunc ad Academiam. Floruit illa numero, nobilitate, profectu singulari iuuentutis, tàm in litteris, quàm in pietate Catholica, neque eam armorum terror dissoluere potuit, licet paucorum discessu diminuta videri potuerit. Drama denique publicè datum, quo Ioseph Gubernator Aegypti Illust. Card. nostri industriam adumbrabat, inusitata spectatorum multitudine, comploratione & applausu exceptum. Distributaque sub finem diligentioribus, eiusdem Illust. Card. liberalitate præmia. Decennis puerulus Sabbatho vocabatur à parentibus hæreticis ad esum carnium; abnuit, instantibus respondit, se nũquam commissurum, vt carnes eo die sumat; indignati parentes, in haram inclusum eo die, & iterum sequenti detinent; subinde quærẽtes; propositumnè immutare, an ibidem clausus manere velit. Quibus ille, agite q; agitis, & agite, quanto libet tempore, nunquam efficietis, vt Sabbatho carnes vel degustem. Mirati collaudauêre constantiam, & ex hara educto, liberam ei sumendi facultatẽ, quem vellet, concesserunt. Eloquentiæ studiosus feria 6. & Sabbatho maluit ieiunus transigere, quàm cibis vetitis ab hospite propositis conscientiam onerare.

Inter Academicos porrò laus præcipua Sodalitiũ visitantis, Assumptæque Virginis: quibus accesserunt

runt hoc anno, tanquam teneræ plantulæ iuniores Reginæ Angelorum insignes nomine. Feruor omnium tantus, vt qui sui sunt muneris diligenter obeant, & pristinam virtutem illustrioribus factis augere contendant, idque cum reliquo tempore, tùm præcipuè Christi suppliciis dicato, quæ prius in occulto gesserant, in apertum publica sui ciuerberatione protulere. Itaque conuictores aream suã emensi flagellatione, deinde in sacello suo coram Venerabili Sacramento Christi patientis dolorib⁹ suos adiunxerunt: neque solum, qui in Sodalitate censebantur, sed etiam reliqui, inter quos erãt paruuli nobilium & Baronum Illustrissimorum virorum filii, qui candido amictu tecti, virgis sua terga generosa sui victoria ceciderunt. Et nonnulli Sodales, in æde S. Michaëlis (quæ Bomincianorum est, in qua nostri aliquoties rogatu ipsorum de rebus diuinis Germanicè & Boëmicè verba fecerũt) agmine facto, Christi Crucem per flagra senserunt. Addidit & hoc Sodalitas Assumptæ Virginis, vt Quadragesimæ diebus singulis in oratorio suo Patré de Christi cruciatibus verba facientẽ, semihoræ spatio audiret: die verò Cœnæ Domini lautũ epulum & pecuniarũ insuper subsidium præberet 13. studiosis egẽtibus: quibus & pedes abluerunt, & accũbentibus reliqua ministrorũ officia magno sensu pietatis exhibuerunt, Præfectus ipse cum nobilissimis aliquot adolescentib⁹ Baronibus. Ex seminario 6. exercitiis Societatis exculti, Sacerdotiũ iniêre, in vineam Domini ad laborandũ missi 4. de quibus initio, Societati nostræ nomina dederunt. Sed omniũ quantus amor nostri ex vno & altero
disce.

disce. Nonnemo, quod inter hęreticos Societatē ad uersus detractores defendisset, malis verbis ac verberibus exceptus. Iuuenis excelsi animi, hospitē, ad quem diuerterat, multa in Societatem infanda effutientem, cùm aliter innocentiam nostram tueri non posse videretur, gladio vibrato coërcuit. Illustrissimus, quem dixi Cardinalis, consilio & auxilio nobis libenter adest; nostra, nosque defendit. Auxilium à diuersis Collegio, quà pecunia, quà rebus aliis allatum, 400. florenis ęstimationem excedit, pari summa sublatum Collegii debitum. Templum duobus Sacerdotum, quatuor altarium ornamentis auctum. Excursum non raro in oppida, pagosque vicinos, & relati manipuli non contemnendi. Sed nè similitudine rerum oneretur oratio, pergo ad missiones.

MISSIO OPPAVIENensis & Cremsiriensis.

CRemsiriensis Missio, tenorem illum suum retinet, quem superioribus annis exposuimus. Oppauia non ignobilis ciuitas, fines attingit Silesiæ, quadraginta annis curione Catholico destituta, adeò fermento Lutheri corrupta, vt Episcopis Olomucensibus, quorum Ecclesiastico iuri subest, palàm restiterit; eò furoris progressa plebe, vt Anno 1 6 0 3. Illustrissimum Cardinalem Franscicum à Ditrichstein, Episcopum Olomucensem, cum ignominiæ lapidib⁹ exturbarit. Quā temeritatem Rudolphus 29. Rom. Imperator proscri-

ſcriptione primum, deinde etiam bello perſecutus eſt. Duo ſub anni præcedentis exitum, domiti, & ſub initium huius caſtigati ciues, ſecunda die Februarii, Catholicum Parochum à legitimo Magiſtratu expetitum admiſerunt, eiectis pſeudoapoſtolis & Ludirectoribus Lutheranis. Huic duos Sacerdotes Illuſtriſſ. Cardinalis, ex alumnis Pontificiis adiunxerat initio: verebatur enim nouam ſeditionem ciuium, ſi noſtros Patres, quos odio pluſquam Vatiniano proſequebãtur Oppauienſes, aduocaſſet. Sed fruſtra re per illos tentata, Decanus ſeu Parochus, per Illuſt. Cardinalem duos è Societate Sacerdotes; qui Boëmicè & Germanicè dicturi, 11. die Octobris Oppauiam ingreſsi, ſcuticetum hoc ſecuribus & igne ſpiritus inuadũt. Gratulantur inquilini Catholici, ſtupent peregrini inopinatam rerum viciſsitudinem. Certum enim erat diſcrimen capitis ante paucos annos hominem noſtrum in ea ciuitate, conſcia multitudine verſari: & anno 1569. Patrem Stephanum Rimelium, à Reuerẽdiſsimo Epiſcopo Olomucenſi Fundatore Collegii noſtri ad verba faciendum in concionem inductum, ſaxorum imbre, ne ſecundo Cathedram aſcenderet, prohibuerunt. Hi nunc Patres è loco ſuperiore dicentes, magna frequentia attenti audiunt. Munera conſueta Societatis obeuntes venerantur, obuios honorant, ad ſe domũ inuitant, munuſculis deuincire ſtudent, conciones deprædicant. Auditi, qui dicerent de altero Patre potentem eſſe concionatorem verbi Dei: ſi illuminaretur, & duceret vxorem, ſtipendium antè vni Prædicanti datum, illi ſe duplicaturos. Fructus breuitem-

ui tempore non pœnitendus extitit; ſeptem ab hæreſibus ad veritatem reuocati, Eccleſiæq; redditi. Iubileo SS. D. N. Pauli V. promulgato 120. cõfeſsiones auditæ, proceſsiones inſtitutæ, magno ſolatio Catholicorum aliunde aduentantium Iubilei cauſa. Vetuſtiſsimi ritus die animarum in vſum reuocati: quos ipſi hæretici vel comitati ſunt, vel modeſtia ſumma ſpectauerunt. Vidiſſes infantes hinc inde qua tranſibat ſacra ſupplicatio, iunctis & ſublatis manibus è geniculis ſupplicantes, edoctos vt id facerent à matribus, priſca illa pietas reuireſcebat, eo res iam adducta eſt, vt dominicis & feſtis diebus aliqui ſua peccata fateantur, & diuinum epulum frequentent. Vocati ſumus etiam 2. in vicinam arcem Radun à magnifico Domino Bertholdo à krauarſuiro Catholiciſsimo, qui cum tota familia ſua, ſubditis colonis, nonnullis inſtructis prius rudioribus (ferè 100. erant) ſacra exomologeſi facta, cœleſti pane refectus eſt, vt gratiam Iubilei conſequeretur. Fœminę cuidam vtraque ſpecies conſtanter negata, licet omnia ſe credere profiteretur, credenda homini Catholico: cum lacrymis orabat, mortẽ ſibi à marito imminere dicebat, ſi certior fieret vnius tantùm ſpeciei fuiſſe participem. Nihil obtinuit. Clàm itaque marito victa deſiderio ſacri cibi, alteram ſpeciem vſurpat.

Hæc ſeptem hebdomadis collecta,
plura ſi miſsio prorogata
fuerit.

DOMVS PROBATIONIS Brunensis.

ANni præsentis inconstantia nostrorum quoque numerum fecit inconstantem. Fuêre tamen plerumque supra 60. nonnunquam 70. Veterani 7. & 20. Sacerdotes, 15. quorum 6. in tertia probatione fuêre exerciti. Docendi munus obierunt 5. rem familiarem 8. 16. è tirocinio educti: in eorum locum è multis 15. delecti. Patrem Christophorum Schattauerum, ipso Sanctorum omnium peruigilio extulimus. Maluit vt pie sperare est, ferias illas in Societate cœlestium celebrare. Fuit hic natus annos 40. quorum vnde 20. Societati tradiderat. Formatus rerum spiritualium Adiutor. Et licet extrinsecus negotiis temporalibus premeretur, annos tamen æternos in mente habuit. Otium in perniciosissimis ducebat, proinde nullum temporis momentum sine labore fructuque effluere sinebat. Re diuina piè confecta, vel domesticorum commodis, vel ciuium saluti operam nauabat. Illust. Cardinalis pro sua benignissima humanitate semel atque iterum ægrotantem inuisit, eidem ter, Pater & Aue sanctè oranti plenariam Iubilei indulgentiam festa cum prece impertiuit.

Abiurata hæresi fidem orthodoxam respexere 3. & 50. quos inter persona minimè obscuris natalibus, quam artifices Anabaptistarum technæ in sua lustra pellexerant, pestiferoque veneno aptauerāt: à quibus tandem extracta, salutarique confessione purgata, sanitatem fidei recepit. Quædam quinqua-

genaria de spe cœli deiecta, in inferos desperanter præcipitabat, quam cum alii nihilominus spe fulcirent, negauit se in eam erectum iri, nisi manibus nostrorum subleuaretur. Ergo sublata inferos mutauit cœlo.

Alius erat ciuis primarius vir optimæ aliàs vitæ, magnæque laudis in tota ciuitate, solum fidei Catholicæ integritas illi deerat, cum quo multis annis egerant nostri, sed frustra. Inciderat hic in grauem morbum. Inuisit eum noster Sacerdos, & fidei confessionem primo suadet; mox excipit, vxore quamuis furente, postero mane reuisit eundem vno Senatore comitatus: pulsant fores bene diù, vix tandem bene madidi intromittuntur, sed nondum ad lectulum affecti: Noster igitur tunc nihil capiens recedit; verum altero die reuertitur, voce alium simulās admittitur, cognitus retrorsum pellitur, vi ingreditur. Hic vxor nouis intemperijs exagitari, plaustra conuitiorum in caput Sacerdotis exonerare. Quæ (malum) hæc audacia est? inquit nimium tibi sumis homo, qui meas ædes prius accipis de die, quam vel fur de nocte: sed næ tu mihi hodie istum bolum non eripis; quare sis amoue te hinc ocyus, nec temet efferas de mei coniugis cōuersione, aut confessione, quam ab eo extorsisti, tùm cùm à sanitate mentis laboraret (quod erat muliebre commentum) sciscitatæ enim ex eo sumus ecquid confessus fuisset, respondit se nihil scire. Optime respondit, infert noster: quod enim confitentur mariti, curiosæ mulieres non debent scire. Porro contemptis earum tricis, ægrum salutaribus monitis imbuit, & abiit. Ecce auté, sub horam

ram noctis duodecimam species Angeli persimilis obiicitur ægro, quæ monet seriò Sacerdotem accersat, iterum confiteatur, & sub vna communicet. Quod visum[siue re ipsa fuerit Angelus, siue mens duntaxat eiusmodi cogitatione diuinitus instincta]cum vxori cæterisque hæreticis enunciasset, illi tandem cœlestibus monitis manus dantes, accersunt Patrem, cui moriturus peccata repetit, sacram Eucharistiam sub vna percipit; oleo sacro perungitur, quinta pòst hora vitam piè destituit. Obstupuit vniuersa ciuitas istiusmodi conuersionem, quam equidem pluribus aliis à recta fide alienis exemplo futuram confidimus. Ponendum & hoc in lucris, quod in pago supra dicto, vbi deliri capitis homines annis quadraginta prauis religionibus auertebant miseros mortales, ab itinere cœlesti, & in iram perditionis perducebant, in hunc annum propter solitas conciones antiqui Ecclesiæ ritus reuocati, & stabiliti sunt. Exempli gratia: Die Augustißimæ Eucharistiæ dicato introducta solennis supplicatio est, magna cum lætitia & pietate præsertim senum, qui priscas adhuc Cæremonias meminerunt. IV. Nonas Nouembres, sacrum piaculare factum pro mortuis purgatorio cruciatis, itum ad offertorium cum candelis, quarum nonnullas ipse præfectus loci, homo alioquin hæreticus obtulerat; sacro peracto pauperes à tẽplo ducti, & in domo cuiusdam pii & benefici viri sat lautis epulis accepti. Ibidem reliqua pietatis, & Parochi munia nostri Sacerdotes, initio quidem Tertiarius, exeunte verò anno veteranus, præstiterunt diligenter ex more, superatis omnibus &

imbribus & niuibus, & cæteris inclementis aëris iniuriis. Ad votiua B. virginis templa itum in spe, reditum in lætitia; tres in vno cōciones ab vno habitæ è nostris: vna pridianis vesperis, altera media nocte, postridie tertia. Ibidem ei peccata quidam aperuerunt, qui propriis curionibus clauserāt. Fuerunt etiam qui cum cò mala valetudine venissent, bona discesserunt. Laborabat vnus quispiam ex pedibus, ita vt domi suæ gressum figere non posset., concepto confitendi desiderio, venit pedibus ad templum nostrum, ibique omnium annorum peccata exposuit. Et quia captus erat oculis, ducebatur à famulo habente quidem lumen oculorum, sed non æquè fidei, & iste erutus per nostrum ex tenebris Picardi, lucemque Catholicæ veritatis intuitus extemplò confessus est. Ambo sequenti die, qui erat B. Barbaræ sacer, ad eius templum ibidem communicaturi voto nuncupato profecti sunt; vterque alteri vicem luminis præbentes. Inuentus fuit homo, qui cœno turpitudinis immersus, non modò vitam pudiciorem, sed salutem etiam in desperatis numerauerat, atque adeò iampridem cum dæmone artibus magicis familiarius agebat, & tamen Sacramenta frequentabat, grauissimo videlicet cum sacrilegio, notauit hoc noster Sacerdos, quare ineunte festo Circumcisionis Dominicæ, quo piis omnibus in templo nostro plenaria indulgentia propinatur; peropportunam ratus occasionem, vix tandem multis persuadet, vt proximum triduum animi sui tenebras attentius dispiciat, seque melius cum Deo reconciliet. Paruit salutari consilio. Libellum de arte magica in ab-

dito domus reſeruatum iuſſu confeſſarii, diligentiſsimè aliquot dies quæſiuit, nec tamen inuenit, an fraude furoreuè dæmonis id acciderit, ignoratur. Illud certo conſtat, cum penultima confeſsione finita domum reuerteret, in ipſo cœmeterio viſos ab ipſo duos viros, alterum atro colore: albo alterum, qui eum inſequerentur, & verbis hiſce decertarent. Meus eſt; non eſt tuus; meus eſt. Quo ille ſpectaculo territus, pedem ad ſacram ædem refert, viſum confeſſario narrat: à quo percipit numiſma, quod vna parte B. Virginem; altera B. P. N. Ignatium referebat, hoc ad collum ſuſpenſo, tutus domum abiit, nec amplius nigrum illũ colluctatorem habuit moleſtum, præterquam nocte inſequente, qua pectus eius Æthiops quidam opprimere conabatur, ſimulq; chirographum quoddam oſtentabat, cuius tamen ſibi conſcius non erat. Hæc de illo.

Alii etiam Agni è cera ritè conſecrati amuleto, à tetris viſionibus præſeruati, eiuſdem virtus cacodæmonem, qui adſpectabili ſpecie in quoſdam incurrebat, malè mulctatum fugauit in Tartarũ. Excuſſæ de manibus ſchedulæ, anilibus imbutæ ſuperſtitionibus, multi in fide nutantes corroborati, item in conſolationem & adiutorium eorum, quibus ex iuſtitiæ decreto, ſiue gladius ſiue laqueus vitam eripuit. Auditæ pro more eorum confeſsiones, & animi ad ſupplicia perferenda confirmati. Malefico quodam ad necem dato, Sacerdos, qui eum deducebat, indicto ſilentio Dominicam & Angelicam precationem pro eius anima pronunciauit, cum idem cæteri genibus nixi cum tremore

præſtarent, vnus homuncio bene & gnauiter impudens preces his verbis interrupit, ſi fuiſſet Euangelicæ fidei, orarem ſanè pro eo; pro Papiſta certè non orabo. Tu verò [ſubiecit Senator egregiè Catholicus] etiam atque etiam caue, nè ſi Euangelicus perſtiteris, nimio grauiora ſupplicia hoc apud Orcum dependas. Valuit grauiſsimi viri authoritas etiam in futurum tempus. Nam cum alia vice educeretur ſenex ſeptuagenarius ob ſcelus grauiſsimum, ſimulque turpiſsimum, priuſquam infelicibus lignis cremaretur, Sacerdos comitatus, orationem itidem pro eo indixit, hic ſtatim omnis circumfuſa multitudo, multò alacrius, quam nuper, genua proiecit in niues: carnifex quamuis hæreticus ipſe quoque ſemper ſuper pyram omnibus ſpectabilis nixus genibus Deiparam ſalutare non dubitauit. Lictor autē, homo cumprimis Catholicus & perbenignus, reos iamiam necandos, cum lacrymis amplectitur, exoſculatur, veniam ab eis, licet nihil durius in eos deſignaſſet, precatur. Item pias imagines à nobis muneri accepit, in ſolatium & pietatem vinctorum: quorum non ſolum animis per eleemoſynam ſpiritualem; verumetiam corporibus ſtipe à noſtris corrogata proſpectum. Vndecim paria coniugum, inter quos graues interceſſerunt offenſæ, repoſita in gratiam ſunt; perſuaſum compluribus, vt ſacram Euchariſtiam priuſquam Matrimonium inirent, frequentent. Adoleſcentes ſtudioſi ſpartam ſuam ſtrenuè tutati ſunt. Et licet non omnes à rebus fortunæ ſint abundè parati, nihilominus ſtudijs ita inuigilant, vt eos quos rerum copia ſolet ignauos reddere, longiſsimè

giſsimè præcurrant, ſiquidem nunc ſciunt paupertatem ſapientiam ſolere ſortiri. De iis, qui in Sodalitio Parthenio dedêre nomina dubitari poſſet, maioreſnè in litteris, an pietate progreſſus fecerint. Fuit nonnemo qui preces veſpertinas in templo perſoluens, atque illud virgineum melos, Magnificat, inquam, ſecum occinens tàm ardenti ſuccenſus eſt in diuinum Numen flamma, vt non ante quieuerit, quam in ſola nemora recederet: vbi continens omninò biduum citra vllum potus cibique vſum traduxit; ſola piarum precum, meditationum & cœleſtis gratiæ dulcedine ſuſtentatus. Duo rebus mortalibus valere iuſsis, religioſorum vitam inierunt. Alter Diui Benedicti; alter Nortberti caſtra ſecutus.

Tumultus, qui vicinam Boëmiam, Auſtriam, Hungariam exciuerunt, Morauiam quoque noſtram variè exagitarunt; inter quos nihil propius abfuit, quam vt religio Catholica graue detrimentum pateretur; Societas etiam noſtra exturbaretur: & hoc quidem priuatim inter nonnullos ordines agitatum, paucis tamen noſtris ſtudioſis & quod mirum, hæretico etiam nonnemine adnitentibus, diſcuſſum ac repudiatum eſt. Vt tamen in tanta commutatione res noſtræ antiquo omninò loco eſſent, obtineri non potuit, eorum enim ordinum ſancitum decretum, vt Societas quæ hactenus per Cæſarem à Prouincialibus Tribunalibus exēpti fuerat, pro poſſeſsionibus, quas in Prouincia obtineret, ad Tribunal Prouinciæ ordinarium & reſponderet non appellata, & viciſsim alios ſi videretur appellare poſſet.

Ad religionem ſartam tectam hactenus retinendam, Societatemque protegendam plurimum ſecundum Deum gratia, authoritate, conſtantia ſua attulit Illuſtriſsimus Princeps Franciſcus Cardinalis à Dieterſtein Epiſcopus noſter, qui & ad ſolita, nec vlla vnquam obliuione ſepelienda ſua in nos beneficia acceſsionem hoc anno adiecit 1000. florenorum, quos in ædificium impenderemus.

Idem Reuerendiſsimus Epiſcopus noſter Iubilei condonationes Brunenſibus largiturus, publicam tertiæ diei ſupplicationem in noſtro cœpit & finiuit, ad quam antecedente concione, mentes piorum præparauit. Non eſt autem hic neceſſe dicere, quanta cum pietate, reque animorum ſanctum hoc negotium tranſactum ſit. Satis illud eſto dictum, quam plurimi fuere Catholici, tàm plurimos abſterſis conſcientiæ maculis diuinum conuiuium celebraſſe. Nè verò aliquid corporibus etiam deeſſet, idem ſupradictus Cardinalis 400. circiter pauperibus cibo opiparo, potu non vulgari & eleemoſyna larga ſubuenit, & cùm ipſe portiones diuidere conſtituiſſet, vt fecit, voluit noſtrum quoque Patrem Rectorem cum vno præſentem eſſe, vt & ipſi Chriſto in ſuis egenis miniſtrarent. Cæterum illud ſilentio minimè prætereundum videtur, quod huic Domui non exiguum peperit ornamentum. Cùm Sereniſsimus Archidux Auſtriæ Matthias Brunam inuiſiſſet, Marchionatus inſignibus inaugurandus, Patres Rectores Olomucenſem & noſtrum ſuo congreſſu dignatus eſt, à quibus breui ſermone fuit ſalutatus, quem non minus

promptis

promptis auribus quam animo beneuolo excepit. Commendata illi tota Societate, & inprimis Collegiis huius Prouinciæ, mirum dictu quam humaniter & prolixè suum auxilium & Patrocinium detulerit receperitque, se nullum studii genus quod in rem nostram valere videatur, vllo esse loco aut tempore prætermissurũ; expeditis Prouinciarum negotiis à sua gratia expectandæ, & quæ à primitus fidei Catholicæ Societatique addictissimis debent expectari. Patres pro tàm amicis responsis ac promissis meritas egerunt gratias. Quin etiam eundem submissè rogarunt, vt proxima Dominica in æde nostra sacrificio diuino concionique interesse dignaretur, & interfuit magna tùm alacritate animi, tùm significatione pietatis; adhibita longè iucundissima variorum instrumentorum non modo vocum symphonia.

COLLEGIVM CRVMLOVIENSE.

Degimus hic septemdecim, Sacerdotes 9. quorum 3. cum 2. Fratribus humaniores litteras profitentur: Reliqui domesticis laboribus occupantur. Ex horum ordine Martinus Schaffnerus Olomucensis Prouincia, cùm annum ætatis 4. supra 40. 25. autem in Societate ageret, ad perennem spe nostra in cœlis requiem emigrauit; fuit ille medicæ artis non ignarus, cui exercendæ cum laboriosa Coadiutorũ, & infirmas corporis vires, non ita commodè posset obire officia, hisce regionibus, vbi magna medicorum penuria est, à su-

à superioribus erat applicatus. Et sanè opera eius non modò Collegii huius, sed aliis etiam in Prouincia Sociis vtilis fuit; quin etiam externis non raro emolumentum non exiguum attulit, atque ex eis quibusdam falsa religione imbutis, aut aliis à peccatorum labe affectis, viam ad Ecclesiam pœnitentiamque monstrauit. Morbo autem quo etiam extinctus est, impensa cuidam peregrè iacenti hydropico charitas causam dedit. Sanus enim cum cœlo clemente ad eum curandum tenderet, acria spirantibus auris frigora, corpus pertentatum malè sensit: cui cum sanando nulla superesse videret remedia, omnem in animæ conuertit curam: quam omnibus Sacramentorum munitam præsidiis, piè moriens, conditori suo reddidit, maximo apud omnes sui desiderio relicto. Cæteri diuino munere salui ac incolumes perstitere omnes, grauiterque in salutis, cùm propriæ, tùm alienæ studium incubuêre. Et quidem priuatæ diligentiæ testimonio, vel vna sola B.P.N. exercitia esse possunt, quæ ab omnibus, ante patefactam generalis congregationis de iisdem faciendis ordinationem magna animorum alacritate sunt suscepta, nec minori vtilitate perfecta. Proximorum verò quæsita fuisse commoda Societatis nostræ cùm domi, tùm foris obita munia declararunt. Atque vt initium ducamus à scholis, hæ sanè vti numero & flore nobiltatis, ita & pietatis laude claruerunt. Et quidem in his præter Barones nobilesque Austriacos, Proregis Boëmiæ filius, aliorumque Boëmorum Dominorum, qui licet à nostra religione dissident, versantur liberi: quos ob conceptam de nostra in

ſtra in inſtituenda iuuentute dexteritate opinionem, malunt nobis quam ſuæ ſectæ doctoribus, erudiendos committere. Ad quinas quas hucuſque habuimus Scholas, Rhetoricæ claſsis acceſsit. Hæc abhinc ſexennio ob interuerſos, quibus ſeminariũ Rhetorum alebatur reditus, nouam domum, vbi etiam nunc manet, migrare compulſâ, grauibus de cauſis à R.P.N. Generali, autumna ſtudiorum repetitione reſtituta. Ad cuius Scholæ celebritatem maiorem reconciliandam (quanquam illa abſque hac ciuitati totique Crumlouienſi Dominio, quippe omnibus votis diù antè expetita, accidit per grata) productus eſt in ſcenam Leo ex tribuno Deiparæ ſuffragio quondam creatus Imperator, magna ſpectatorum approbatione.

Pietatem verò ſtudioſorum, quæ ſequuntur teſtantur exempla, fuerunt qui ad diuerſas ſe religioſorum familias contulere, ad Ciſtercienſes quatuor; Benedictinos tres, Præmonſtrantenſes duo; Franciſcanos totidem; vnus ad Capucinos: aliquot Societatis ineundæ deſideria habent, quæ ad finem Rhetoricæ ſunt dilata. Quidam in ſcholis vix nonennis puer, qui parentibus ſuis hæreticis, nè deinceps diebus ab Eccleſia vetitis veſcantur carnibus, Autor fuit.

Sodalitas Parthenia & numero Sodalium, & pietate aucta. Frequentiores illa hoc anno ad Deiparã, quæ Caiouiæ colitur pro auertẽdis à Chriſtiana Republica calamitatib⁹, ſupplicationes ſuſcepit.

Pro ſcholarum noſtrarum bono illud à nobis procuratum, vt Scholiarcha quidam hæreticus, ſcholas quas in ciuitate aperuerat, à Senatu claudere, a-

re, alioque se referre iuberetur; vnde & illa secuta vtilitas, nè nouo comitatu, nouorũ discipulorum (quod ab aduersariis quærebatur) ad sepulturam funera hæreticorum deducantur.

Fœmina prouectæ ætatis fuit; quæ cum colicis vehementius affligeretur doloribus, à marito petiit, vt bona cum ipsius venia aliquem ex Patribus euocare ad se liceret; annuit ille postulatis, at venientem nostrum obtestatur, vt cum coniuge sua ex solo Dei verbo agat; agit noster nihil præter verbum, & de causa tollendi morbi, quæ sæpius esse peccata solent, differit: accusat se illa de noxis toti⁹ anteactæ vitæ; sanataque mente, sanatur & corpore statim: cuius sanitas repentina viro & admirationem peperit, & expiatis ritè peccatis in gratiam reuertit. Alterum verò propria infirmitas corporis salutem animæ, apud nostrum Sacerdotem eiecta hæresi, inuenire fecit, frustra ab animi proposito eum adhortantibus & dedignantibus amicis. Alterius cuiusdam mulieris extremæ vnctionis beneficio recuperata repentè valetudo, admirantem maritum ad fidem adduxit Catholicam. Illam autem vnctionẽ vt admitteret, eidẽ vt & aliis fœminis duabus ægrotis, persuasimus; quarũ vnius restituta incolumitas, etiã alteri cuidam animæ salutẽ aperuit.

Eorum verò quibus magno cum labore abrept⁹ est malè hucusque vsurpatus calix, duo supra sexaginta fuere. In his quidam senex propè nonagenarius, & anus septuagenaria, quæ post diuturnas filii sui, Patrisque nostri preces, ægrius illo speciem vnam admisit. Fortior illis fœliciorque puella duodennis, quæ matrem suam non difficulter,

exemplo

exemplo hortatuque ſuo pellexit. Vir autem hac debilior & infortunatior, calicis tenax vſu eiuſdem carere quinque ſuos liberos permiſit. Infœliciſsimus omnium Lutheranus, qui in ſua perſiſtẽs hæreſi, vxori ac quinque prolibus, communionẽ noſtram ſapienter ipſe inſipiens indulſit.

Denique cuidam nobili proſapia oriundo, & voti ad Virginem Caiouenſem ob febrim depellendam damnato, Miſericordiæ Mater & morbum depulit, & calicem ademit.

Abſtracta cuidam pellex, & honeſto matrimonio elocata: quinque coniugum paria, quæ mutuis à ſe inuicem odiis multo tempore diſsidebant, ad ſtabilem animorum concordiam pacemque reuocata. Placati parentibus liberi, quorum alter filiæ dotem in teſtamento non immerito negatam ſub extremum vitæ halitum dedit. Perſuaſus fœminæ cuidam, quæ alieno tredecim annis adhæſerat thoro, reditus ad ſuum; Quidam cœnobio, vnde ſeptennio, toto ordine & Sacerdotio celato abfuerat, reſtitutus: redhibitio rerum alienarum vero Domino procurata, excluſa fraus à matrimoniis: commendata votorum in morbis nuncupatorum executio. Fuit aliquis, qui vbi perpetuam à carnibus ſibi diebus vetitis indixiſſet abſtinentiam, malignam illico febrim excuſsit. Alius religionem ingredi ſi vita ſuperaret vouens, pedem à mortis limine retraxit. Quædam à diuturno morbo non prius ſe expedire potuit, quam peregrinationem hortatore Chriſto, qui ſe ſpectabilem eidem præbuit, ad B. Virginem Cellenſem ſuſcepiſſet.

Car-

Carceres à nobis quoque aditi, indeque tres qui mortem haud meruerant, liberati: adiutus qui publico vulneribus ſibimet lethalibus inflictis ſupplicio ſeſe eripere conatus, audita tempeſtiuè adhuc miſeri confeſsione, qua vix abſoluta, finem viuendi fecit.

Sub eoſdem ferè, quibus hæc agebantur dies, diuinæ prouidentiæ erga nos curam, & vniuerſi Senatus beneuolentiam experti ſumus. Nam cùm ad defendendam contra incurſiones hoſtium ciuitatem, pontis noſtri penes Collegium ſuper VVultauam fluuium, expenſis olim à Fundatore ampliꝰ quam duorum millium talerorum ædificatione demolitionem tanquam neceſſariam plebs veſano conſilio adacta incubuiſſet, eiuſque rei expoſtulandæ, obtinẽdæq; gratia ad nos excurriſſet, ne quid inſolentius, aut per vim nobiſcũ attentaret, virum ille canicie ac prudentiæ laude præſtantem, Cathocæque religioni & Societati ſingulariter addictum, qui deſiderium illius proponeret miſit, cuius eloquentiæ vi, ac modeſtia noſtra qua vſi ſumus in reſpondendo, conatus eius omnis eſt diſsipatus, põſque à certa pernicie vindicatus. Eum verò qui ſe populo Ducem ad exciſionem illius tùm obtulerat, tanquam tumultus concitati auctorem, nobis nil agentibus, imò nil ſcientibus, in carcerem pœnas deinde luiturum meritas amandauit; & luiſſet ille eas vtique, niſi armatæ minis plebis preces, iniquitaſque temporum, quibus cedendum erat, iiſdẽ ſubtraxiſſent. Inciderãt hæc rectè ſub Corporis Chriſti feſtum, cuius proceſsio & ſolennitas non modò non impedita, ſed multò clarior, quam aliis retro

retro actis annis habita, maximam enim vim hominum eam ſequi magno ſolatio & deuotione videre erat; quam noſtrarum ſcholarum pueri Angelico veſtiti ſchemate, piè recitatis linguæ triplicis rhithmis, mirificè ad ſtationes ſingulas excitarunt, & chorus Muſicus nouem tubis adclangentibus, tympanorumque feſtiuo ſonitu inſtructus, venuſtè decorauit, illam verò Senatus beneuolentiam erga nos & ſtudia Societatis noſtræ de omnibus benè merendi cupidè perſpecta excitarunt; & honor quem ab Illuſtriſsimis dùm eos officii cauſa hàc tranſeuntes inuiſimus, nobis affatim impendi vident, non parum exiſtimationem Collegii confirmauit. Horum ex numero vnus ex omnibus referatur. Illuſtriſsimus ac Reuerendiſsimus Cardinalis Millinius, qui à ſua S. ad Cæſaream Maieſtatem, à latere legatus hàc iter Pragam tendens, dùm à nobis ſalutaretur, ſumma nos venientes amoris ac beneuolentiæ ſignificatione, in oculis omnium eſt complexus: qui etiam cum tribus Epiſcopis, præcipuaque nobilitate, quam ſecum in comitatu ſuo habuerat, intra Collegii anguſtias voluit pernoctare. Huius viri pleniſsimum humilitatis exemplum apud ipſam poſteritatem prædicabit Crumlouium, quod eum à nobis digreſſum, dùm ſignũ ære campano pro auertendis à Repub. Chriſtiana calamitatibus daretur, in plateæ medio inuentum & in genua procumbentem, Deumque precãtem vidit.

Inter memorata verò beneficentiæ exempla referatut etiam deuotæ cuiuſdam fœminæ liberalitas, quæ operaturo Sacerdoti, caſulam dona-

uit, & viduæ quæ moriens ex tenuitate substantiæ suæ, pecuniam pro conficienda simili legauit. Buduicium ciuitas est Regia, ob seruatam religionē Catholicam in hoc Boëmiæ regno post Pilsnam secundas tenens, Societatisque nostræ amantissima. Huc ad Paschales ferias rogatu Decani nostri iuêre duo. Hi plurimorum exomologeses exceperunt.

Freystadium quoque oppidum, vt aliàs scripsimus, in finibus Austriæ situm, quo & sub maiorem hebdomadam & Iubileum Sacerdos inuitatus, cū Socio excurrit, qui omnibus quotquot ibidem reperit Catholicis (sunt autem sat multi adhuc) confitentibus aures dedit. Cuius Iubilei tempore tanta lætitiæ spiritualis foras erumpere gestientis, adhibito ad rei diuinæ solennitatē, tubicinum Musicorumvè concentu, signa dedit, vt vel ipsos hæreticos, in non mediocrem sui admirationem rapuerint. Quibus causam tàm insolentis gaudii rogantibus, ioco quidem salso, minimè tamen falso, pleni vtpotè fiducia in Deum responderunt: se iam contra tumultuantes ob religionis libertatem [è quibus illi non postremi essent] precibus suis à Deo veniam impetrasse. Remisisse autem tùm eorundem inflatos audacia spiritus inde constat. Nam & consul homo Lutheranus, quem officii causa noster adiit, se ob reuocatos prædicantes plurimum dolere dixit, & ciues qui ob contributiones magnas pecuniæ eorum alendorum causa impositas, rabularum eiusmodi iam libentius carere absentia, quam frui præsentia mallent, apertè declararunt. Eiusdem Iubilei occasione duo Sacerdotes nostri,

Cœno-

Cœnobium Altouadense petiuerunt, vbi & Abbatis, totiusque conuentus ac familiæ confessiones audiuerunt. Eadem de causa excurrens vnus cum Socio oppidanorum eiusdem ditioni subiectorum conscientias à peccatorum labe expurgauit. Idem eodem itinere & comitissæ Seriniæ, eiusque Gynæceo beneficium impendit, vbi & virgo nobilis hæresi valere iussa, Ecclesiæ se Catholicæ aggregauit.

Porrò in dicti Abbatis prædecessoris, viri de hoc Collegio optimè meriti, exequiis noster funebrem concionem in magna frequentia habuit. Idem etiam ab alio Patre nostro officium Abbati aureæ coronæ, qui hoc anno quoque vixit, præstitum.

COLLEGIVM NOVOdomense.

NVmerauit Collegium Nouodomense Socios 28. è quibus Sacerdotes erant vndecim; Grammatices docendis institutionibus occupati tres. Rhetoricis discendis sex, domestici operis Adiutores octo.

Conciones & doctrina Christiana solitum cursum retinuerunt. Viginti plus minus partim à Luthero, partim ab vsurpatione Hussitici calicis ad Romanam Ecclesiam transierunt. Qui extremis Quadragesimæ diebus sanctioribus, aut Paschalibus feriis nostro in altari ad sacram mensam accederent, 1123. numerati sunt. Non paucis concionatoris nostri monita profuerunt, vt victo pernitioso pudore, conscientiam explicarent, & peccata sua ritè dete-

tè detegerent. Aliis occasione Iubilei consultum, vt sacra exomologesi totius vitæ maculas expiarent. Sacerdotes rudiores, ea quæ ad officium eorum spectant edocti, pauperum qui hospitalem domum incolunt, & qui in carcere detinentur, peculiaris habita cura.

Graue diuturnumque sororum duarum sublatum dissidium, effectumque vt quæ passa erat iniuriam, prior veniam peteret. Dœmonem mulierculæ, vt aut in puteum aquis suffocanda desiliret, aut laqueum collo insereret, importunè molestum; Agni cerei gestatio abegit. Fœmina maleuolorum fortè hominum veneficiis in extremum vitæ discrimen adducta, partim reliquiarum B.P.N. Ignatii attactu, partim ejusdem patrocinio piè implorato, valetudinem ac vires se recepisse prædicat.

Scholæ in Autumnali studiorum instauratione, exhibito dramate de Victore & Valente Theodosii Imperatoris aulicis, lectione vitæ D. Antonii ad Anachoreticæ vitæ institutũm amplectendum cõmotis; magnam laudem reportarunt.

Idem postmodum non minori applausu repetitum fuit coram Reuerendissimo & Serenissimo Archiduce Leopoldo Passauiensium & Argentoratensium Antistite; dùm hac Pragam ad Cæsarem iter faceret. Optimus, & à perpetua memoria dignis progenitoribus suis minimè degener Princeps, vbi Nouamdomum venit, nihil antiquius habuit, quàm Patres nostros aduocare; illos familiariter alloqui, postero die templum & Collegium nostrum inuisere, oratiunculam qua in Bibliotheca

saluta-

ſalutabatur, humaniſsimo reſponſo excipere. Nobiſcum ſemota Aulicorum turba, & ſola Fundatrice, Domino Gulielmo Slauata, & Canônico quodam Salisburgenſi retentis, in triclinio noſtro prãdere; Dialogo intereſſe; ſeminarium pauperum ſtudioſorum (quibus ſingulis manum præbuit) luſtrare, & complura eiuſdem generis argumenta, quibus quanti Societatem noſtram faceret, prodere. Controuerſiæ; qua donatio decem millium talerorum ab Illuſtriſsima Domina Maria Maximiliana Comitiſſa ab Hohenzolleren, ſeminario pauperum ſtudioſorum Nouodomenſi iam pridem facta, hactenus impediebatur: fœlix tandem ac optatus finis impoſitus: ita vt dicti ſeminarii alumni, deinceps ex 20000. talerorum, cenſum annuum 1200. [quibus 60. commodè alantur] perpetuis temporibus ſint percepturi.

Illuſtriſsima Domina Lucia Ottilia Magnifici Domini Gulielmi Slauatæ Burgrauii Carlſteinenſis, vxor, hortum percommodum ſeminarii Nouodomenſis alumnis donauit, & altare in nouo ſacello ſeminarii erexit.

COLLEGIVM COMMOTOUIENSE.

QVi excolendo ſterili ac ſpinoſo Commotouienſi ſolo, ſuam è noſtris operam impenderunt; hoc anno plures non fuerunt ſeptemdecim. Patres videlicet vndecim, & ſex Fratres, horum vnus, illorum quatuor præceptores. Admiſsi in Societatem duo Rhetores. E viuis ex-

cessit ipsa Dominica Palmarum P. Ioannes Grasser⁹, qui grauiori affectus catharrho, ac periculi sui ignarus cum lectum refugeret, eodem die singulari pietatis sensu confessus, in proximo alterius infirmi cubiculo sacram Eucharistiam adiit, inde digressus sub horam quartam vespertinam, ita subitò defecit, vt exuendis vestibus tempus non fuerit, sed in ceruicali reclinatus placidè animam reddiderit. Creditur apoplexia illi mortem tàm repentinam attulisse. Fuit annorum 48. ex quibus viginti quinque posuit in Societate, docendo sæpius Philosophiæ cursum, casibus item & controuersiis explicandis, demum verba faciendo ad populum vtiliter collocauit; vir mansuetus & ad labores promptus, qui & charitatis & patientiæ, & candoris animi ac religiosæ simplicitatis præbuit documentum. Fuerunt hoc anno iura Collegii æquè ac religionis acerrimè impugnata.

Quamuis autem ex omni parte in excidium nostrum, & religionis aduersarii coniurasse visi sint, nihilominus consueta Societatis munia, suum etiam in hoc difficili solo attulere fructum. Festum Corporis Christi egregia solemnitate celebratum, frementibus licet hæreticis, & obstupescentibus, varia poëmatum & orationum genera, quibus studiosi totum ferè Collegium versus forum exornarunt. Nec de Angelorum apparatu, ac variis instrumentorum Musicis, tubis ac tympanis prætermissum quicquam, ita vt in mediis persecutionibus triumphum egisse visi simus. Scholæ inprimis pluribus & nobilibus Auditoribus auctæ adeò, vt 120. in domo commorentur, inter quos sex diuersorum

uerſorum ordinum religioſi, quos cum hæretici, primo in ſuo habitu ad Scholas itare conſpicerent, quid hoc aiebant, rei erit? nos exiſtimauimus, nigrum hoc hominum genus hinc breui elimãdum, at iam etiam in ſubſidium hos albicantes aduocarunt, digni ſanè vtrique, qui ad coruos ablegentur, nè vlterius nobis ſint moleſti. At nihil his contumeliis & maledicentia territi ſtudioſi, ſua pietatis officia gnauiter ſunt proſecuti. Præter eos qui noſtrum inſtitutum complexi ſunt, alius ad D. Benedicti, alius ad D. Dominici familias ſe tranſtulerunt. Auctus in aliis ita pietatis ardor, vt non modò in priuatas meditationes, preces, ieiunia, variaque pietatis opera incubuerint; ſed etiam ſexta feria maioris hebdomadæ poſt finitũ de ſalutifera Chriſti Cruce dialogum, nouo hic exemplo, communi ſe flagellatione diuerberarunt. Duo hic inter pauperes ſtudioſos abiecti eſſe maluerunt religionis amore, quam inter ſuos rerum copia circumfluere. Quidam cùm in patriam rediiſſet magno parentis Catholici ſolatio, miniſtrum verbi hæreſeos conuicit.

Conſtitit & ſuus inter externos fructus, multi Sacramentorum vſu à grauibus peccatis reuocati, totius vitæ criminibus abſoluti 57. initiati confirmationis Sacramento, quod multi neſcio quo pudore in extremam reiecerãt ſenectutem, ad 150. ſublatum à valuis templi prima nocte Iubileum, alacres effecit Catholicos, vt eius ſpiritualem fructum perciperent. Compoſitæ inter varios diſſenſiones. Quidam Agno Dei, & B.P.N.Ignatii reliquiis à delirio, alter à capitis doloribus liberatus.

Multi pauperes eleemoſynis adiuti. Iam verò qui ab hæreſi ad Eccleſiam adiêre, numerati ſunt 19. ex his duo cum 100.exceſsiſſent annum, communique hominum concurſu ab Apoſtata in fraudē impulſi eſſent,in viam reducti ſunt.

Memoranda eſt hic vnius qui Prædicātis munus hic ſuſceperat, conuerſio; ſtuduerat hic quondam apud noſtros, ac impatiens diſciplinæ Rhetoricam cum militia cōmutauit, inde poſt aliquot annos inops conſilii Nouitium Monachum induit,ac poſt duos treſuè menſes cum alio eiuſdem Monaſterii cucullum exuit. Veniunt Pragam ad Huſitarum Conſiſtorium,promotionem expetunt,quærunrur ab iis formatæ, negant ad manus eſſe, ſi de eorum Sacerdotio dubitant, breui curaturos;mittunt ad alium in Auſtria Parochum, qui teſtatur alterum, vt erat verè,Sacerdotem, hic viciſsim Socio nullis omninò ordinibus initiato Sacerdotis teſtimonium præſtat. Deſtinantur ambo ad ſuas Prouincias, qui Sacerdos,Cadanam, qui purè Laicus, Commotouiam,vt Sacellanum agat. Venit adeò lacer panniſque obſitus, vt Commotouienſes eius puduerit.Dat itaque operam Senatus, vt interioribus veſt:bus,& longa Prædicantium more quamprimum toga exornetur. Tùm verò vbi in publicum prodiit, hæretici ſibi mutuò gratulari, nùm nouum Prædicantem viderint, mutuò interrogare. ſinguli ſuam de eo ſententiam dicere, Papiſtis iam extrema minitari. Habenda ei erat ſecunda Dominica Aduentus, à meridie concio, Deus bone,quis vndique concurſus ad nouum hoc oraculum? Conſcendit cathedram, dicere incipit, titubat,

bat, hæſitat, nec ad rhombum quicquam afferens, ſpem omnium fruſtratus deſcendit. Hic ille conſcientiæ remorſu, quod nec dicere nec legere potuiſſet ea, quæ animo conceperat, apertam Dei vltionem reuereri; Commotouienſes vt animum illi adderent, de ducenda vxore cum illo agere. Accidit iiſdem diebus, vt concubina Prædicantis partum ederet, paratur ſolennis baptiſmus, & cùm Sacerdos alius non eſſet, ſacellano huic Laico baptizandam commendat, ſuſcipit ille, nec refragari audet, ac baptiſmum tàm variis ac inuſitatis Cæremoniis expedit, vt omnes raperet in ſui admirationem. Itum hinc ad lautam puerperii commeſſationem, vbi dùm nouus hic myſtes ad pocula inuitatur, ſpecie habendæ concionis ſe excuſat, ac ſub noctem anxius animi ad Catholicum parochum adit, explicat illi ſuos errores, & animi fluctus, oratque ſubſidium. Spondet ille modo ſyncerè agat, iubetque die altera reculis ſuis collectis ſummo manè redire, redit. Quæſitus de ſtudiis ait, ſe Viēnæ in Scholis noſtris tali præceptore in Rhetorica vſum; infert Parochus, atque is quem dicis, hic Collegii Rectorem agit. Tùm verò ſibi certam ſalutem polliceri, modo ad Collegium admittatur. Interea concionis temp⁹ aderat, & finito pulſu nouus concionator nuſquam non quæritur: expectant auidis animis melioris concionis ſucceſſum, vbi nemo comparet, tota ciuitate increbeſcit, Prædicantem nouum profugiſſe, hic demum illi maledicere, neſcio quæ non mala paſsim imprecari, Catholici ridere, quod tot ſumptus in illum fruſtra contuliſſent. Ductus profunda nocte in Colle-

gium, quatuor dies recolligendi sui causa ita impendit, vt generali facta confessione, sumptaq; Eucharistia, fidei professionem emiserit, ac multis profusis lacrymis, omnem erroris sui ordinem cōscripserit, contestando, se nullos vnquam ordines suscepisse, ac à nemine impulsum solius salutis suæ causa ad Collegium accessisse, vt litteræ illius declarant. Dimissus igitur à nobis summas P. Rectori egit gratias, quod se tàm difficili ac periculoso statu liberasset.

Alius item Catholicus, vt puella diuite, sed hæretica, quam multo tempore adamauerat, vti coniuge posset, non modò fidem Catholicam deseruerat, sed etiam malle se à Diabolo rapi, quam ad eandem redire, affirmauerat. Postquam autem hæreticus compos factus esset, & ad templum veniens nostrum de Catholicæ fidei veritate differentem audiuisset, ita probauit quæ dicebantur, ita ad interiorem sensum admisit, vt hæresim libenter eiurasset, nisi cui se obstrinxerat, diabolum reformidasset. Timebat enim, vt ne dum conuerteretur, ab eodem subitò abriperetur. Ad hæc obstat vxor, dehortantur amici, leuitatis arguunt socer, socrus, cognati, affines, hæretici omnes. Quid agat? adit anxius concionatorem nostrum, detegit factum, petit consilium. Ille, certo inquit scio, nisi resipueris, fore vt diabolo in prædam datus, & anima pereas & corpore, sin facti pœnitens, ad Ecclesiam redieris, & præmissa exomologesi Eucharistiam sũpseris, nihil aduersi accidet; nihil in te Diabolo iuris erit, omnes in nihil recident insidiæ.

Paret

Paret homo, & nè quid fortè eueniat, dùm cõuertitur, procumbit in genua, expurgat se totius vitæ maculis, & ab hæresi absolutus sumpta Eucharistia quieto redit animo domum. Exceptæ primis annis sacrarum Virginum confessiones Brixiæ. Sumpsit etiam inter hæc aduersa incrementum suum peregrinatio Grupnensis, quam præter Archiepiscopum, cui cum vexillis processum est obuiam, triginta ex variis locis Sacerdotes, plurimi nobiles & Barones, ac tanta populi multitudo frequentauit, vt 300. numerati sint, qui sacrãm ibidem Eucharistiam suscíperent, ipso D. Virginis Natali. In Silesia ad quam duo è nostris negotiorum causa excurrerunt; religiosi consilio adiuti, & in sua vocatione confirmati. Lutheranæ factionis Minister disputando eo adactus est, vt ipse de sua ad ministerium vocatione dubitauerit, alii eiusdem sectæ buccinatores nullis precibus adduci potuerunt, vt ad nostros vel ipsi accederent, vel ipsi ad eos accedere volentes admitterent; vnde factum, vt qui ante eos suspexissent, iam eos ignorantiæ & inhumanitatis accusent.

COLLEGIVM GLACENSE.

PErstitit hoc anno Collegium 16. personarum numero, quorum Sacerdotes 7. reliqui Fratres, tùm Magistri, tùm Adiutores; perstitit dico, quantũuis aduersariorũ suffossis cuniculis agitatũ. Quod. anno prçcedẽti p se idq; aperto marte non poterant, illud modo per Sacerdotes Catholicos

licos, quò ſpecioſiore ſcilicet titulo res procederet, occultis molitionibus effectũ reddere conati ſunt.

Circa Paſchalia feſta domi confitentes auditi circiter 600. foris etiam plurês, ad hoc non parum iuuit vnius Patris ſtudium, qui imminentibus feſtis oſtiatim Parochiam ſibi commiſſam obiuit, ſingulas de confitendi modo, deque aliis ad ſalutem pertinentibus exhortatus, hinc maius ſtudiũ diuina præcepta obſeruandi, miſſæ ſacrificium audiendi, ab eſu carnium abſtinendi, pro morientibus Sacramentum extremæ vnctionis petendi. Quædam dùm tridui partus labore periclitaretur, Collegii ædem viſitandi, ibique quod hic moris eſt, cum certo virginum numero in honorem eius quę florem virginum peperit, ſub ſacrificio Miſſæ voto emiſſo, oblationem faciendi, fœliciter partum edidit.

Fuerunt qui veritatis lumen aſpexerunt 25. numerati, 4. item qui hæreticorum flatibus fuerant in in contrarium acti, in Chriſti nauiculam ſe receperunt. Virgo nobilis ætate adhuc tenera fidem, quã paucis abhinc annis imbiberat, pietatemque in frequenti Sacramentorum vſu, diuiniſque officiis audiendis, ac aliis operibus adiunxerat, adeò conſtanter retinuit, vt nullis vel matris hæreticæ, vel amicorum moleſtiis, verbis & verberibus ab illis deflecteret, non erubuit benè à matre percuſſa liuidis oculis in publicum prodire, glorioſum ducens pro Chriſto talia inſignia circumferre. Lethali ægritudine correpta cùm à matre aliiſque ad defectionem vehementius vrgeretur, malle ſe inquit caput quam fidem relinquere, matri preces pro fi-

liæ ſanitate, ab hæretica communitate implorare volenti,reſtitit,quemadmodum & amicis ſepulturam apud Hæreticos machinantibus,eo quod Catholicos deteſtentur, quare inſtanter cùm peteret apud SS. Virginem Matrem in æde noſtra,vbi deuotionem hauſit,corpus deponi impetrauit. *Denique* quò ſecurior ad ſponſum ſuum euolaret, vltimis Eccleſiæ Sacramentis munita,cùm extremam adeſſe ſentiret horam, Crucem benedictam è collo indulgentiarum cauſa ſuſpendi voluit,ac in vltimo vitæ puncto,ter nomen IESV ingeminans,vt à cõfeſſario fuerat edocta, pientiſsimam Deo animam reddidit, ſingulare aliis, tùm conſtantiæ, tùm pietatis relinquens exemplum. Iuuenis ad Societatis tirocinia miſſus, quatuor religioſi ſpiritualibus commentationibus per hebdomadas aliquot in Collegio ſunt inſtituti. Quintus fuit Sacerdos quidam, qui Parochiam Collegio ſubiectam curat, is talibus armis inſtructus, oblatam ſibi fructificandi occaſionem non neglexit. Fuit autem huiuſmodi. In vicinia ſuæ parochiæ Prædicans ſub pallio Lutherano Caluiniſta,ad ægrum quendam in pago ſibi addicto decumbentem euocatus,cùm æditui loco ſuam ſecum vxorem, vt ſibi miniſtra eſſet,accepiſſet, hoſtiam ſeu ſtudio ſeu caſu domi neglexerat, mittit itaque ad proximum piſtorem (erat is Catholicus) pro ſemella, ex qua ſuum ægroto condidit Sacramentum. Res hæc vt in iſtis partibus audita,ſic breui per Prouinciam diuulgata,omnibus riſum,non paucis meliorem mentem iniecit: hinc enim paſtor Catholicus tùm priuatim monendo,tùm publicè adhortando ad 50. circiter

citer lupi faucibus eripuit, & in ouile Christi perduxit. Communicantium autem in Paschalibus festis tantam habuit multitudinem, vt ferè 700. numerarit. Vicinus quidam Baro Catholicus in Boëmia ad Resurrectionis Dominicæ festa Sacerdotem è nostris obtinuit, qui domum rediit non sine manipulis. Nam præter alios quatuor, virgines duæ nobiles, hæresim exutæ Catholicam fidem amplexatæ sunt, quarum altera cùm sæpius per nostros tentata & solicitata esset, in perfidia tamen perdurauit; ea nunc Patris sermonibus mota & tracta, tãto Zelo fidem arripuit, vt vltrò etiam libellos suos pretiosis licet velaminibus tectos, ad Patrem deferret, confoderet, igni traderet, & quantum aliis fuerat conuersionis impedimento, tantum nunc quoscunque potest ad fidem perducere laboret.

Quidam hic extremo supplicio afficiendus, cum esset Catholicus, ex nostris confessarium sibi adesse rogauit, à quo Sacramentis instructus & confirmatus, constanter & piè sententiam subiit. Pessimè habuit ea res aduersarios, quod à plurimis annis Glacii visum non fuerit, vt Catholic9 Sacerdos adesset extremo afficiendis supplicio. Solennitatem Corporis Christi, quod superioribus annis edocti hæretici, viderent se impedire non posse, id saltem egerunt, vt tubicines illis diebus alibi suam operam elocarent. Caruimus igitur tubis & tympanis, at non defuit tormentorum fragor, quæ præfectus militum, qui tunc propter belli periculum arcem custodiebat, homo Catholicus cùm esset, tacitè per artem sic lenem ignem disposuit, vt tempore peropportuno incensa fuerint, quæ res vt

hære-

hæreticis inexpectata & ingrata, sic Catholicis cecidit periucunda. Sed præter spem quoque nostram euenit, vt Cæsareus Secretarius, cùm pro hostili suo in Catholicos & Ecclesiæ ritus affectu, præteritis diebus solennitatem retardare conatus fuisset, ipso festiuitatis manè, quo permotus nuncio ignoramus, misso ad Collegium homine, omnem operam ac tutelam ad quæcunque vellemus obtulit: ciuibus qui iam passim non secus ac profanis diebus laborare cœperant, per præconem in ciuitatem missum, laborem omnem interdixit; certosque homines ad designandum eos, siqui in populo petulantiores forent, constituit. Et quoniam adhæc fauit nobis cœli serenitas, magna cũ quiete, deuotione & gaudio transacta solennitas est: gloria illi, qui hactenus quotannis incrementum largari dignatur. Aduersarii dolorem, tùm ex hoc felici successu, tùm quod Catholicorum causa sibi labor fuisset interdictus, conceptum vt lenirēt, inuidiæq; flammas, quibus æstuabant, extinguerent, occasionem venabantur calumniam aliquam seu dedecus Catholicis inferendi, q̃ inuenisse se putabant. cùm intelligerent, Dominico Festum B. Virg. Visitationis præcedente, à concionatore nostro promulgatũ, festo ipso non esse ex præscripto Archiep. à manuũ labore abstinendum, ipsi enim pridie festi ostiatim mãdarunt, cùm alioquin vix toto anni cursu, illum inuiolatũ seruent. Catholici 4. pannifices cũ quid sibi licitũ ex concionatore cognouissēt, libere op⁹ manuũ exercuerunt, sed norant hoc aduersarii, accusãtur insontes, exigitur pœna, petũtur ad carcerē, fit populi cõcurs⁹, vt scilicet de cõfusione plaude-

plauderent & triumpharent, sed adsunt nostri, rem ad Capitaneum deferunt, qui licet & ipse hæreticus, attamen imperauit, vt suspendatur negotium, alteroque die pars vtraque audiatur; audita est nostris agentibus, insontes iudicantur pannifices & absoluuntur, aduersarii confusi recedunt; sed suæ confusionis impatientes nouas texunt technas, sic tamẽ vt maiori confusioni sese implicarint, quẽadmodum vt speramus euentus docebit, sed quoniam hæc in futurũm differuntur annum, sequentis anni historia explicabit.

COLLEGIVM LABAcense.

EGerunt hoc anno Labaci, communiter ex nostris octodecim; decem Patres, ex quibus tres Magistri in Scholis, octo Fratres, ex quibus tres Magistri, reliqui rei domesticæ Adiutores. Ex quibus duo desiderati. Alter eorum est P. Nicolaus Coprouicius Carniolus natione, vir de Societate & aliquot huius Prouinciæ Collegiis optimè meritus. Vixit in Societate quadragita octo annis. Valuit in conciliandis sibi, Societati magnatum animis. Vires corporis firmissimas alioqui diuturna febris quartana Laureti ex insueto, vti putatur, cõcepto aëere, paulatim interiora depascendo prostrauerat. Studium verò & laborem exomologesium audiendarum potius accenderat, tota enim huius anni Quadragesima, qui illi terminus extitit vitæ, sedulam plurimis vti hic sunt pœnitentibus nauauerat operam. Cùmque illis Sabbatho ante Domini-

Dominicam Paſsionis Dominicæ aliquot horis cõtinuè aures dediſſet, admodum laſſus in grauiſsimum paroxiſmum vna aut paulò amplius hora incidit, quo & extinctus eſt.

Conſuetudo apud plebeios obtinuit laudatiſsima, vt præter Paſcha quater in anno, Sabbathis nimirum quatuor temporum, expurgata per ſanctiſsimum Sacramentum conſcientia, Euchariſtiã percipiant.

Accedit Feſtum ſacratiſsimi nominis IESV. Acceſsit verò hoc anno Iubileum à S. D. N. Paulo Papa huius nominis V. quibus diebus, vt & omnibus Quadrageſimæ Dominicis, & Feſtis etiam diebus maioris hebdomadæ & Paſchatis, maximus ſemper numerus pœnitentium. Illuſtrior diuinæq; gratiæ peculiaris argumenti fuit vna matronæ cuiuſdam, quæ ad aperienda primæ Adoleſcentiæ peccata ſic fuerat ſtimulata. Filiola nec dùm omninò trimula deſierat eſſe in viuis, ea matri inter vigilandum apparuit, eamq; manu attingere viſa, ea quæ olim admiſerat peccata nomine tenus expreſsit, & vt ea integra coram Sa cerdote expiaret declaratione iniunxit. Illuſtrior etiam illa puellę nobilis, quæ nunquam prius Catholicè confeſſa, clam parentibus hæreticis accur rit ad templum noſtrorũ, totiuſq; anteactæ vitæ maculas eluit. Ad ſaniorem fidei doctrinam non pauci ab hæreſi redierunt. Apoſtolicum Nuncium excepêre dramate, quo ita affici viſus eſt, vt omnia noſtra ſtudia ſingulari ſe fauore probare oſtenderet. In tranſitu Sereniſsimæ Archiducis Mariæ Magdalenæ ſponſæ magni Ducis Hetruriæ B. Virgo & Martyr Agnes, in ſig-

num data fuit per nostros studiosos, approbatione magna. In nostro templo Reuerendissimo Labacensi diuina peragente officia, & nostro Patre sui comite itineris concionante, sacris adfuit, postquã nostris nostro in Collegio prandium sumens epulum præbuit.

Par coniugum tanto inter se odio dissidebant, vt iam separatim omninò degerent, inter hos pax pristina est reducta.

RESIDENTIA PLETRIAcensis.

TRes in hac Residentia hoc anno degerunt, duo Patres, & vnus Adiutor rei æconomicæ. Accesserunt duo, qui suæ valetudinis ibi curam gerunt. Post diuturnam eius Monasterii elocationem, biennem, insuper sæcularium gubernationem, fœliciter tandem administratio in nostrorum manibus apparere incipit. Beneuolos liberalesque vicinos Prælatos experti sumus, ad æconomiam ritè instituendam & gerendam, trecẽtis circiter florenis in hunc finem ab ipsis donati. Cœpta est hoc anno conciuncula siue Catechesis, in qua præter alia, hoc præcipuè præstitum est, vt Decalogi notitia, quæ apud hanc plebem nulla fuerat, introduceretur, cõfessiones auditæ sunt aliquæ, graue dissidium inter tres est compositum; vberior hic messis erit, vbi operarii linguæ peritiam acquisiuerint, accedentibus auxiliis, plus temporis à cura rerum temporalium abstrahere, proximique in pietate studiis tribuere potuerint.

COLLEGIVM CLAGENfurtenſe.

COllegium Clagenfurtenſe Socios ſupra vicenos recenſuit. Humanis conceſsit Pater Marcus Sitienſis, natione Illyricus, votorum quatuor profeſſus, annorum circiter 60.

A caſtris abſtracti aliqui hæreticorum, ſed ex iis, dùm vnus diutius reditum ſuum ad Eccleſiam procraſtinat, ecce tibi intempeſta nocte acerbo & lethali in pectore ictu à conſorte in Zythopolio accepto, ſauciatur, extemplò à familiaribus admonitus, ad lucem tandem diuinæ veritatis intuendam comparatur, accerſitoque noſtro Sacerdote, abiurata hæreſi, & piaculis expiatus, Sacramentorum, quæ olim aſpernabatur, magno ſuo bono compos efficitur, intraque paucos dies, non ſine admiratione omnium, reparata valetudine, in Collegio ſuam ſalutem Sacerdoti acceptam relaturus comparauit.

Extra ciuitatem, cum rara admodum Eccleſiaſticorum officiorum munia celebrentur, paucique Sacerdotes ſint, mirum quanta noſtri homines animos paganorum lætitia affecerint, ad quos ſæpius excurrerant, quantaque ab iis cum gratia ac beneuolentiæ ſignificatione excepti, nunquam ſine egregio incremento redierint. Nec ſupplicia ſubituris defuit opera. Hoc anno ſexta Rhetoricæ adiecta eſt Schola, in eam Auditorum numerus auctior indies, cum ætate, eruditione & pietate Adoleſcentium. Quinque omninò Diui Benedicti Præ-

lati instituti, nostrum cum Scholis suo illustrarunt aduentu domicilium, salutati ligata & soluta, tùm Latino, tum Græco idiomate recitata à nostræ iuuentutis oratione, sanè intimi cùm illorum erga Societatem amoris & beneuolentiæ significatione. Ex quibus erat, qui ex Gallia ad has partes ad negotia Monasteriorum tractanda missus venerat, vir omni pietate & eruditione instructissimus, & publica memoria dignissimus.

Ciuium quoque beneuolentiam experti sumus, cùm in fabrilibus pro ædificio concedendis, tùm in compescendis petulantibus, qui nocturnæ quieti suis leuitatibus, & insolentiis incommodabant. Cùm item tempore nocturni illius incendii, nostri de rebus suis soliciti non parum premerentur, adfuit mox in publicis eo tempore curis ad portam Senator, qui nos & bene sperare iussit, & omni metu solutos esse voluit. Nec illud omittendum, cum eodem illo vespere primi nostri funestum illud incendium animaduertissent, primique signo in auertendum commune malum edito excitassent incolas, incredibile est, quantum nobis vigilantia apud ciues peperit beneuolentiæ; asserentes iam tunc primum se sapere, Iesuitas non in eos eorúmque caput moliri perniciem, quin potius omnibus somno incuriæ obrutis, pro omnibus agere excubias. Ad exitum huius anni, tertii anni probatio ad hoc Collegium translata est; Et cum decem Patrib⁹ in eius ResidentiaEberndorffensi inchoata. Locus ad hanc exercitationem inprimis oportun⁹, atque adeò ipsius R.P.N. Generalis deliberationes, omnium vota meritò expleat; cui nihil, quod vel

ad cor-

ad corporis incolumitatē, vel ad animi quietē comparandam exercitamentorum exercitiorumque commodum ſpectat apparatum, deeſſe videatur. Deus Optimus Maximus, vota piorum, ſupplicationes & induſtriam rata ſecundet, quibus acclinatus velit hanc ſquallidam ſyluam hæreſum ſentibus oppletam expurgare, & cœleſtis auræ afflare ſpiritu, vberibuſque irrigatam imbribus recreare.

Adducti ſubditi ad maiorem Sacramentorū frequentationem, Matrimonia ritè compoſita; diſsidentes reconciliati, & huius generis plura pro bono animorum præſtita.

RESIDENTIA ZAGRA-bienſis.

ANno 1606. duo è Societate Patres primi hanc̄ meſſem ſunt ingreſsi, vt quamprimum piis ciuium poſtulatis ſatisfaciāt, eorum adſint votis, ſalutemque omnium iuxta inſtitutum Societatis ſedulò ac diligenter procurent & promoueant. Accepêre illi, vt cœlitus miſſum mandâtum. Hi poſtquam Illyricos fines attigiſſent, humaniſsimè excipiuntur, habentur in hoſpitiis liberaliter, gratis alimenta omnia miniſtrantibus, quorum benignitati noſtri quoque debitis obſequiis iuxta morem Societatis non defuêre, hoc ad reliqua humanitatis officia in ipſo itinere addiderūt, quod vbi idonea occaſio offerebatur, ſermone exemploque ſalutari, & competenti morum grauitate, populum ad omne virtutis decus deducere non intermiſerint; vnde factum, vt antequam Za-

grabiam peruenissent, 50. personarum, earumque magna parte nobilium, generales vitæ totius confessiones exciperent, duos Lutheri asseclas ad Orthodoxæ fidei gremium reduxerunt, plures in fide titubantes ad veritatis petram applicarunt. Porrò vbi Zagrabiam Patres venissent, tota ciuitas in plateas effusa, iucundo sereno que vultu, ex aduentu nostrorum gestiebat, & quanto desiderio antea Sociorum IESV videndorum tenebatur, tanto maiore nunc præsentes conspiciens, voluptate perfundebatur, cuius rei argumentum esse potest, quod vix è curru Patres descenderant, præcipui quique Senatores comitantibus plebeis compluribus, ad eos salutandos & humanisśimè excipiendos confluxêre, quos etiam tanta humanitate, & affabilitate complexi sunt, vt quibuscunq; rebus indigerēt, liberalisśimè eis subministrarent. Ciuitatis Iudex tribus ferè mensibus Patres in sua domo hospites habuit, inde propter angustias loci in domum aliā nostrorum vsibus accommodatiorem sponte cedente Domino domus, translati sunt, vbi eo vsq; habitauerunt, donec Sereniss. Archid. Ferdinandus Societati nostræ addictisśimus Princeps, suas eis proprias ædes attribueret. Interea dùm hæc circa mutationem habitationis agerentur, ciues Patrib⁹ nihil patiuntur dèesse, quoad victum, vestem, lectum, aliaq; requisita, sese fide obligant, nostris in singulos annos, donec de fundatione Collegii aliunde prouisum fuerit, certam pecuniæ summam pro occurrentibus necesśitatibus coëmendis attributuros, tritici item, & vini non exiguam copiam, quod & fecere hactenus, imò statim postquā certas ac

tas ac fixas ſedes Patres nacti fuerant, vineã vnam, ſyluas duas, cum 40. iugeribus terræ, tritici feraciſſimis, eis perpetuo poſsidendas tradiderunt, eam ſibi ſolicitudinem relinquentes, vt & agrorum, & vineæ cultura in ſingulos annos noſtris non deſit, & ſi quid fructus inde promanauerit, ab eorundẽ ſubditis vt in noſtrorum horreum comportetur. Non minor humanitas erga Patres Regni Procerum ac reliquorum nobilium fuit, vbi enim de aduentu noſtrorum edocti fuiſſent, eam non vulgaribus indiciis, & argumentis declararunt, vnde alii pecunia, frugibus alii, alii vino & reliquis ad vitam ſuſtentandam neceſſariis Patrum paupertati ſuccurrerunt. Patres vbi primum facultas data fuit, Reuerendiſsimum Zagrabienſem Antiſtitem adeunt, eo fine, vt Chriſti Euangelium per ipſius Diœceſim bona ipſius venia prædicarent, accepit eos vultu placidiſsimo Religioſus Præſul, multumque ſibi congratulatꝰ eſt, quod ſe paſtore tales diuina bonitas in ſuam meſſem immittat operarios, animat verbis amantibus Patres, omnemq; facultatem ac poteſtatem eis vltrò concedit, dataq; benedictione, conſolatos dimittit.

Dominica inſequente Patrum vnus in primario ciuitatis templo ad populum concionẽ habuit, maximo omnium ordinum, ætatum & ſexuum concurſu, ſiquidem magnum illos inceſſerat deſiderium nouum hominem, & ſanctitatis apud eos opinione eximium, audiendi. Feſto alio ex eadem cathedra habuit ad populum ſermonem alter, pari applauſu, & fructu, quo alter exceptus eſt. Sex ab errore Lutheri ad veritatẽ Catholicam reducti, in-

ter quos 50. annorũ viri 24. in fide nutãtes confirmati. Atq; hic duorũ mensium ferè extitit fructus.

Anno sequẽte ciues, vbi manifestè animaduertũt, tãtos ex nostrorũ concionibus fructus breuissimo temporis interuallo, in cõmune bonũ promanare, longèque vberiores ex iuuentutis institutione futuros, omnem mouere cœperunt lapidem, vt Magistros qui Scholis præessent, à P. Prouinciali impetrarent. Igitur posthabitis omnibus priuatis commodis, Scholarum fabricam, supra monasterii cuiusdam, nunc verò penitus diruti, antiqua rudera aggrediuntur, & breui tempore ad fastigium perducunt. Primò quidem Societatis superiores magnam difficultatem prætendunt, neque vllis precibus adduci possunt, vt eis hac in parte gratificentur, non videbant siquidem vnde tot personæ sine vllis adhuc stabilibus bonis ali, sustentarique possent. Verumenimuero cùm indies solicitarentur, spesque futuræ prouisionis non modica promitteretur, & duos pro initio Magistros, quandoquidem ex Hungaria insano furore hæreticorum nostri eo tempore pellebantur. Scholarum initium eiusmodi fuit. Conuocatis ære campano discipulis Spiritus sancti opem petituri, ad templum supplicationum more Crucibus prælatis, sibi inuicem iuncti processêre. Ciuitatis Parochus indutus veste linea, hymno Veni Creator Spiritus, initium dedit, qui donec ad ipsa templi veniretur limina, iteratus fuit. Sequebatur processionem ingens hominum turba inprimisque RR. Antistites duo, Zagrabiensis, & Bosnensis, qui cum Venerabili capitulo adesse voluerunt. Præterea Regni proceres ac

res ac Magnates, & alii complures viri nobiles, qui tunc ad publica comitia celebranda conuenerant. Ad templum S. Marci, quod in hac vrbe est præcipuum, vbi ventum est, P. Superior Missam de Spiritu Sancto canere aggreditur, Ciues interea, in signum lætitiæ & gratulationis, cùm caneretur Euangelium, cum salutaris Hostia in altum tolleretur, & demum cùm post sacrum Missæ officium benedictio daretur, ter festo maiorum bombardarum sono applauserunt. Re diuina peracta, ex suggestu nostrorum vnus de tàm eximio Regni toti erga Societatem affectu, de ciuitatis erga nos propensissima voluntate & beneuolentia, de vtilitate ac literarum emolumento ad præsentes orationē habuit, qua finita eodem prorsus ordine, quo antea, Scholas versus processêre. Parochus, Te Deum laudamus intonat, cuius vocem innumerabilis, quæ sequebatur multitudo excepit. Cùm ad medium forum ventum esset, ciues iterum omnia tormenta exonerare iubent, fit lætitia ingens, & incredibilis applausus. In classibus Reuerendissimi ac cæteri Magnates, à pueris vario carmine salutati sunt, ac demum actis à P. superiore gratiis, quod tenuitatem nostram, augusta sua præsentia cohonestarint, tantoque studio & fauore, conatibus nostris applauserint, ad propria singuli rediêre; quo etiam die Reuerendissimus Zagrabiensis vna nobiscum prandere voluit. Scholarum Societatis vbi per Regnum fama diuulgata fuit, magna ex omnibus partibus confluere cœpit iuuentus; ipse etiam Prórex, quem hic summum vocant Banum, filium suum nostræ tradidit disciplinæ, quem secuti complures alii nobiles.

Vnum circiter post mensem profectus sui, in publico theatro, opera ciuium in foro erecto, specimen dedêre. Siquidem eo ipso die, quo sacra Hostia per omnes vrbis partes magna populi Christiani lætitia & deuotione circumfertur, nouum quoddam drama de Illyriæ partibus variis, exhibuerunt, tanta spectante omnium multitudine, vt eos forum vix capere potuerit, & quidem ea dexteritate, vt multis ex proceribus summam admirationem mouerint. Iam qui fuêre animorum fructus, videamus.

Circa Paschales ferias, qui apud nos peccatorum suorum sarcinas deposuerunt, & se sacro pane refici curarunt, 1600. fuêre, ex illis complures ex ipsa Bosnia, aliisque remotissimis partibus aduenerant. Ex his 800. plures generales totius vitæ confessiones explicarunt. Triginta anus deliræ à variis superstitionibus, quib. quæstũ quæritabãt, sunt abstractæ, & ad rectius sentiendũ atq; viuendum pertractæ. Per sagarum præstigias, quibus hæ partes admodum scatent, 20. homines dementati, & diurnis nocturnisque terroribus exagitati, beneficio sacri Agni, & aquæ lustralis haustu atque aspersione, integræ sanitati mentis sunt restituti. Eiusdem Agni beneficio duæ mulieres grauiter in partu laborantes, feliciter fœtum sunt enixæ. Persona quædam accepta à vicino iniuria, veneficiis eum dementis potestate deiicere parabat, verum cùm audiret, nostrum de superiori loco contra tales maleficos verba facientem, pœnasque sempiternas apud inferos minitantem, à nefario deterrita proposito, omnibus in posterum

rum veneficiis & incantationibus finem imposuit, peccatisque sacra confessione expiatis, dignam Christiano homine vitam instituit, cuius postmodum hortatu & monitis duæ aliæ personæ ex eodem baratro ad securum viuendi portum sunt pertractæ. A carnium esu diebus Sabbathi sex familiis persuasum est, vt ad consuetas transirent dapes. Quos dæmon & carnis desideria, impudica copula irretitos tenebat, ad tædas Christianas & legitimas, nostrorum adhortationibus transierunt; octo hæresim repudiarunt, Catholicisque aggregati sunt, fuere octo, paruus quidem numerus; sed in ciuitate Catholica, quæ Dei est bonitas, vix plures tali labe infecti inuenti fuere. Est etiam inter multos gratia resarta, quam variæ disciderant offensiones; inter quos duo primarii Sclauoniæ Proceres, quorum animi & cogitationes, nihil præter arma & vindictam spirabant, in pristinam amicitiæ statum redierunt.

Euocati aliquoties magnis precibus Patres, ad oppida & Procerum arces, vt eis diuinis rebus adessent, maximo cum fructu, & animorum emolumento, isthic semper versati sunt, tantumque sui desideriũ nonnullorum in animis reliquerunt, vt dixerint Zagrabiæ, se aut ædes nouas ad habitandum extructuros, aut antiquas empturos, tantum vt frequentiori nostrorum consuetudine frui posśint, eorumque concionibus ac sacris frequentius interesse.

Venio nunc ad piorum liberalitatem & erga nos munificentiam. Quia enim Residentia

hæc nondum certis redditibus stabilita est; idcirco inopiam nostram, variis munusculis piorum liberalitas conata est subleuare. Et inprimis quidem Illustrißimi Domini Ioannis Draskouicii Croatiæ Buni, potißimum in hoc genere eluxit virtus, qui se nobis non benefactorem tantum & Patronum, sed parentem etiam futurum fide data promisit. Is igitur eleemosynæ nomine 509. taleros nobis contulit, tria generosi vini vasa, tritici, hordei, & aliorum victualium bonam quãtitatem submisit. Vestiuit nostros omnes, & in necessitatibus occurrentibus, vt ad se confugerent præcepit. Agit hic strenuè apud suam Maiestatem, cæterosque Regnicolas de certa aliqua conditione huic loco procuranda. Reuerendißimus quoque Zagrabiensis Antistes paternam nostri curam semel susceptam, haud facilè elabi patitur, siquidem & vino & frumento, cæterisque ad vitam sustentandam necessitatibus, nobis adhuc nunquam defuit, quin imò eum ipsi aliquando dicentem audiuimus, nihil se habere quod nobiscum non libentißimè communicare vellet. Cæteros prætereo, nè videar hic eleemosynarum Catagolum texere, hoc tamen dico, hactenus, Deo laudes, nunquam in tanta necesßitate fuisse, cui bonorum virorum liberalitas non statim occurrisset. Nouæ huius Residentiæ felici omninò, ac optato cursu annus hic conclusus fuisset, nisi eum tristißimus, ac planè luctuosus P. Ioannis Zanitii superioris obitus ad metam ferè properantem intercepisset. Annos ætatis habebat 49. quorum in Societate vixit 18. Coadiutor formatus. Is igitur cùm Augu-

sto

ſto menſe, Græcio domum reuertiſſet, cumq; accenſus calore, poſt aliquot peponis bolos in cœna ſumptos, ſitim vino reſtinguere non valeret, frigidam paulò auidius ſumpſit, eademque nocte grauiſsima eum inuaſit diſſenteria, comprehenſus ea diebus vndecim grauiſsimè afflictus fuit.

Cùmq; morbi violentia omne prorſus medicamenti genus reſpueret, ad mortem feliciter oppetendam ſe comparat. Imagines BB. noſtrorũ quatuor ſibi dari poſcit, quas religiosè intuens, oculoſque ſubinde cœlum verſus attollens, pias tantiſque mixtas ſingultibus fundebat lacrymas, quas vbi exoſculatus reuerenter fuiſſet, Patri quocum ad hanc miſsionem primus venerat, etiam intuendas tradidit; ad quem etiam: ſeparamur inquit, mi Pater, atque ab inuicem diuellimur, qui vna in hac Domini vinea, coniunctiſsimè viximus. Per ego te Chriſti ſacra viſcera rogo, nè hanc miſsionem tot impetratam precibus diſſolui patiare, non deerunt piorum virorum conatus, qui eam ad iuſtam Collegii formam aliquando perducant, ego vt vides ad ſummum propero Imperatorem, cui conatus noſtros gratiſsimos fuiſſe ſcio, vt apud eũ cauſam veſtram agam, totiuſque Croatiæ patriæ noſtræ negotium commendem. Petitaque ab eo de more Societatis indulgentia plenaria, Sacramẽtis munitus omnib⁹, ad Creatorem ſuum, cui fideliter ſeruiuerat abiturus, placidiſsimè obdormiuit. Hic olim ex Canonico Nitrienſi in Societatem noſtram adſcriptus, in difficillimis cauſis, etiam in Regni comitiis egregiam Societati multoties operam præſtitit, & Collegii Vngarici iura ſtrenuè defendit

fendit. Opinio quæ de viri sanctimonia habebatur, audita eius morte, ciuitatem vniuersam & vicinos nobiles ad eius visendum cadauer exciuit: multi vtriusque sexus homines vberrimis obitum eius defleuerunt lacrymis, audiuimus dicentem quendam, morte duorum filiorum, quos habebat, si liceret, emere vellet P. Zanitii vitam. Alius proprii parentis sui occasum se non ita indoluisse affirmabat, vt P. Ioannis. Illius funus præcedente agmine discipulorum, Reuerendissimorũ Zagrabiensis & Bosnensis, item totius Capituli, & Franciscanorum præsentia, ac demum publica totius ciuitatis mœstitia, cohonestatum est.

Clerus vniuersus, etiam ipsi Antistites, amicti linteis, vna nobiscum in duas partes distributis, preces defunctorum persoluerunt; posteroque die magno populi conuentu solenni Ceremonia exequiæ celebratæ, multis Sacerdotibus expiandæ illius animæ gratia, rem diuinam facientibus. Tribus Sacerdotibus, vnoque Magistro, huius Patris iactura paulò pòst compensata fuit, vt octo è nostris in hac Residentia vixerint.

Commemorandus inprimis est Procerum huius patriæ, erga religionem Catholicam Zelus, & erga Societatem propensa voluntas, quæ maximè emicuerunt, cum delegatis ad comitia Vngarica, pro noui Regis coronatione in mandatis dederunt, vt antiquius nihil habeant, quam vt negotium religionis tueantur, opera, qua possent, maxima; Societatis Iesu præterea Patrum, sint memores, eosque pro sua virili defendant, non defuturos quippe, qui eos ex Croatia exterminatos cupiant.

Quod

Quod vtrumque illi ea animi constantia ac magnanimitate, eo pietatis ac patriæ conseruandæ zelo, fecere, vt stuporem Hungaris, exemplum Catholicis, specimen posteritati præberent eximium. Nā cùm Hungari religionis libertatem extorsissent, omnibus sectis atque hæreseon monstris in Hungaria frœna laxassent, vt in Croatia quoque eidem licentiæ porta aperiretur, omnem conati sunt mouere lapidem. Verum vbi Croatiæ magnates animaduerterunt, agi hic non de fortunæ bonis, temporum atque casuum vicissitudini obnoxiis, sed de animorum sempiterna salute atque incolumitate, nulla ratione eis hac in re assentiri voluerunt, sed vnanimi consensu vna cum legatis suis protestationem publicam fecerunt, malle se à Societate Coronæ, cui tot iam annorum centuriis nullo cogente aut impellente, sed sua sponte subiecti fuerunt, Hungarorumque inueterata consuetudine separare, aliumque Regem, aliam Coronam, aliam denique gentem, cum qua se perpetuo necessitudinis vinculo adstringant, quærere. Sumat sibi tātum animi Lutheri aliquis a ut Caluini buccinator, vt audeat in Regno nostro cōparere, ibique sui veneni semina spargere, profectò etiamsi ipsa Hydra mille capitum fuerit, priuabitur omnibus, aut certè, alligata ad collum parte rupis, per Sauum flumen albam Græcam versus noua nunciaturus, mittetur. Hoc responso Hungari aliud vrgere cœperunt, vt nimirum Iesuitas saltem, quos non ita pridem in Croatiā inuexerūt, amandarent; sed hoc etiam pari animi constantia & virtute, eandem à Corona secessionem minitantes, recusauerunt.

In om-

In omnibus inquiunt, reliquis cum Hungaris consentiemus, fœdus ac coronæ Societatem intactam inuiolatamque seruabimus, verum in religionis negotio, nè latum quidem vnguem cedemus, neque Iesuitas pedem è regno mouere patiemur. Si vobis licitum doctores in finibus vestris seruare quos vultis, sit etiam nobis licitum seruare quos volumus. Vnde Illustrissimus Dominus Banus, in literis ad Illustrissimum Nuntium Apostolicum, hæc inter alia: nouerit sua Illustrissima ac Reuerendissima Dominatio, maluisse nos vnanimi consensu à Coronæ Hungaricæ Societate separare, quam hoc sanctissimo ordine (nostrum intelligit) carere. Nunc ad ea quæ à nostris in animarum salute procuranda tùm domi, tùm foris gesta sunt. Vnum tantummodo Croaticæ linguæ Sacerdotem perfectè gnarum, maiore anni parte habuimus, qui tamen attulit eum operæ fructum, qui à pluribus meritò esset expectandus. Conciones tanto hominum concursu habuit, vt persæpè templi angustiis prohiberentur. Igitur qui eius concionibus ad lucem veritatis peruenere, fuere quatuor, externi illi ex aliis circa locis huc adducti; his addemus quintũ præcipuæ nobilitatis in hoc regno virum, qui cum sacratissimo Corporis Christi die nostrum audiuisset de hoc mysterio pro concione disserentem, veritati cessit, peccata vitæ præteritæ confessione sacra explicuit, & erroribꝰ quibus ad hunc vsque diem fuit implicitus, æternum valedixit, sex errorum ac vanitatis præcones, è possessione sua exturbauit, duosque Catholicos Sacerdotes eorum loco substituit. Idem Za-

grabiam

grabiam ad nos currum bene onuſtum libris hæreticis tranſmiſit.

Duæ perſonæ è locis remotiſsimis, quæ noſtrorum nè nomen quidem inaudiuerant, interno quodam motu & inſtinctu, vt nouis Sacerdotibus, qui nuper Zagrabiam venerunt, conſcientiæ latebras aperirent, ſomniiſque, in quibus noſtrorum hominum forma ijs obiiciebatur, attractæ ad nos venere, & confeſsione peccata purgauere. Tertius item longè Zagrabia diſtans, ab anno medio, ingenuè fatebatur, ſe dies atque noctes internis moneri inſpirationibus, aliquandò etiam in ſomniis à Deipara Virgine impelli, vt ſi quietam atque tranquillam conſcientiam habere velit, ad Societatis Patres conferat Zagrabiam, iſtic vt quærat medicos, qui eius animæ morbos ſanent, & antidota præſcribant; venit inuitatus homo, & rara contritione apud nos delicta expiauit. Mulier iræ intemperantia furens, filiolam infantem, eo quod à fletu ſibi temperare nollet, Diabolo deuouet, eamque vt ad terram allidat imprecatur, qui mox viſibili apparens ſpecie, è ſinu parentis cum ſumma furia abreptam ad terram proiicit, ac penè mortuam relinquit, mater etiam tali hoſpite perterrita attonitæ ſimilis, vix ſpiritum trahebat, aduertunt vicini, & ad nos auxilii gratia accurrunt, aduolat noſter, vtramque ſemimortuam conſpicatur, quæ Agni Dei appenſione, luſtraliſque aquæ aſperſione ſpiritus amiſſos paululum reſumere cœperunt, ac non multò pòſt, ſtatui priſtino reſtitutæ ſunt. Par item vnum nefariis irretitum nuptiis, legitimi matrimonii legibus vitam emendauit. Eorum qui

verborum ambagibus ac præſtigiis, variiſque geſticulationibus, morbidos releuare conantur, à tali vaniſsimo quæſtu medendique ratione duodecim perſonæ ſexus vtriuſque noſtrorum cohortationibus ſunt abductæ. Sex item maleficis, qui fallacibus ſuperſtitionibus addicti, vitam paganis ſimilem agebant, bene conſultum eſt, ſiquidem tātæ impietati finem aliquando fecerunt. Has ſuperſtitiones & varia veneficiorum genera noſter pro concione volebat abolitas, qui cùm vehementius in eiuſmodi Cyrces inueheretur, quidam ádeò ægrè tulit, vt ipſummet concionatorem veneficiis implicare, variiſque incantationibus circumuenire modis omnibus conaretur, verum æſculapia illius quæ parabat pharmaca, inania fuêre omnia, neque noſtro quidpiam nocuêre; quod vbi mulier aduertit ſe nihil proficere, pœnitentia ducta ingemuit, vanamque artem deteſtata eſt. Quos Sathan nocturnis terriculamentis, ac variis, infeſtabat illuſionibus, ceræ benedictæ & ſacræ aquæ beneficio opera noſtrorum liberati fuerunt. Earundem ſacrarum rerum vſu fœminæ duæ difficili partu laborantes, feliciter enixæ conualuerunt. Effectum prætereà in ciuitate eſt, opera noſtrorum, vt officinæ mercatorum, quæ diebus Dominicis, non ſecus ac cæteris hebdomadæ feriis ob forum illa die fieri ſolitum, prima ſtatim luce aperiebantur, hominesque tùm coëmendis, tùm diſtrahendis mercibus occupati, ſacra negligerent, non niſi poſt ipſam concionem panderentur. Quia verò vnicum tantūmodo ex noſtris habebam⁹, qui Croaticam Linguā noſſet, idemque aſsiduis concioni-

bus

bus occupatus, nihilominus tamen circa resurgentis Christi festa, solus mille & 500. excepit confessiones. Alter Hungaricæ & Germanicæ Linguæ gnarus, quarum hic etiam non modicus est vsus, 300. homines absolutos dimisit, generales totius vitæ plures ducentis.

Restincta præterea sunt multorum odia, sed illud momenti permagni, quod ciuitatem Zagrabiensem in magnā calamitatem pertraxisset. Quo tempore Iudex suo defungebatur munere, alterque in eius locum eligebatur, Senatoris quoq; ordo, factione nonnullorum mutatus fuit, hoc vnum laborantes, vt tota Reip. administratio in cōmunitatem, salua tamen Iudicis & Consulis potestate, deriuaretur, quæ res adeò multis displicuit, vt in ipsa curia audacter dicerent: malle se oppetere mortem potius, quam in istam depositionis Senatus sententiam, aliqui verò vlterius progressi, in maioris etiam authoritatis viros, atque ipsum Iudicem conuitiorum iacula vibrare, ac maledictis quibusdam impetere, non erubuerint, minitari etiam arma, nisi à sententia discesserint. Soluto conuentu Iudex cum iuratis ad domum propriam se recepit, quidue facto sit opus cum illis deliberat, suadent vt factiosi pacisque publicæ perturbatores comprehendantur, & in proximam turrim detrudantur. Iudex singulos ad se accersit quos habere potuit, ac benè castigatos verbis, per ciuitatis satellites, clam nè aliis innotesceret, ad turrim deduci iubet: duæ horæ vix transierant, cum ecce magna eorum manus, qui inclusorum fauebant partibus, armata in foro volitare cōspicitur, quæ ad tur-

rim captiuorum liberandi gratia, portasque effringendi, iamiam iter parabant, ac si quid Iudex cum suis moliretur manus cum illo conferere, ad vnum vsque Sacramento se obstrinxernnt. Qui ex hac re graue periculum metuebant, protinus ad nos qui conspirationem indicarent, accurrunt, obnixeque rogant, vt si qua via fieri posset, tanto ciuitatis malo occurreremus. Nostri videntes magnum impendere malum, absque vlla mora nocte iam intempesta ad Iudicem aduolant, quantoque ipse ac tota Respublica versetur in periculo, admonent, suadent ac etiam rogant, vt si se saluum, ac ciuitatem ipsam habere velit, vinctos in turri liberos abire sinat, neque defuturum alium modum, quo in illos animaduertere postea posit. Assensit protinus Iudex, ac simul cum Patribus ad seditiosos illos se contulit, arma vt deponant vrget, atque ad pacem & tranquillitatem eos cohortatur: furere illi, ac in ipsum etiam Iudicem inuehi incipiunt, ac nisi (sic enim inquiebāt) Reuerendorum Patrum nos moueret præsentia, aliud experirere, mādat Iudex, vt vincti educantur, vtq; ad propria singuli se recipiant, concedit. Postero die plurimi qui nobis gratias agerent ad nos venêre, quorum opera tantam cladem à ceruicibus multorum atque iugulis āmotam esse fatebantur.

Præpositus quidam magnæ authoritatis, à nobis animo auerso omninò fuit, verum graui correptus morbo nobis ita coniunctus est, vt non aliis quam nostris conscientiæ latebras recludere vellet. Quin imò in extremo agone nostros à se nec tantillum abesse voluit, in manibusque nostrorum

extre-

extremum ſpiritum reddidit; quem ille, vitæ termino appropinquans cantando: Benedictus Dominus Deus Iſrael &c. placidiſsimè exhalauit, cui⁹ etiam teſtamento paupertas noſtra nonnihil releuata fuit. Alius præterea neſcio quo æſtro percit⁹, vehementius in quodam frequenti virorum cõſeſſu, in nos nomenque noſtrum debacchatus eſt, dignoſque aiebat eſſe, qui de cacumine turris illius, quam demonſtrabat digito, daremur præcipites. Cæterum hoc ipſius tàm ardens votum in caput infelicis recidit; nam cùm eandem turrim poſt aliquot horas conſcenderet, iamq; ſupremum penè gradum teneret, vi quadam repulſus, præceps, capite deorſum ruit, contuſus peneque exanimatus, domum refertur, ipſemet poſtea iuſtam hanc Dei in ſe vindictam fuiſſe coram multis fatebatur, qui nimirum tanta procacitate linguæ, in Patres innocentes fuiſſet debacchatus, qui vbi poſtmodum priſtinæ ſanitati reſtitutus fuit, ſupplex à nobis veniam petere non erubuit.

Scholæ frequentia iuuenum creuere hoc anno lectiorum, ſiue mores ſpectes, ſiue ingenia, ſiquidẽ 300. tribus claſsibus diſtinctos numerauimus, quorum nobiles plures 100. fuêre, tres ad ſacram D. Pauli Principis Eremitarum familiam ex illis ſe contulerunt. In publico præterea theatro, impenſa ciuium in medio fori extructo, ter hoc anno infinita hominum multitudine ſpectante, ingenii ſui præclarum ſpecimen dederunt; diebus videlicet quibus maior licentia bacchandi eſſe conſueuit, iterum ſacris Corporis Chriſti feriis, quibus Zagrabiam tota penè Croatia confluere ſolet. Tertio in

repetitione ſtudiorum præſente toto regno in comitiis, quo tempore tragœdiam de Iephte ſpectádam dederunt; quorum alacres alioquin animos ad maiora tentanda Reuerendiſsimus Antiſtes Zagrabienſis incitauit, qui pro ſua erga Societatem vniuerſam, atque iuuentutem innata propenſione pulcherrimos libellos præmii loco primis dari curauit. Spectaculum id tale fuit quod multorum iuuenum parentibus lacrymas præ gaudio elicuerit. Ad ſuperioris anni ſecundam claſſem Grámatices, creſcente Auditorum numero, tertia hoc anno addenda fuit, in qua Syntaxi mixta Poëſis nõ ſine fructu explicata eſt. Commendauit eorum diligentiam in hiſce terris nunquam antea viſa Epiſtolarum & carminum ſcriptio, quæ in præcipuo ciuitatis templo die quo diuiniſsima Hoſtia per vrbis plateas religiosè defertur, affixa fuit, ad quæ legenda non vulgus ſolum, ſed ipſi etiam Reuerendiſsimi atque Magnates litteris paululum exculti conuenêre, laborarunt cum ſumma voluptate vt ænigmata ſoluerent, & logogryphos enodarent. Doctrina Chriſtiana Dominicis diebus maxima populi frequentia horis pomeridianis cœpta eſt, ad quam non matres duntaxat cum puellulis, ſed præcipui etiam ciues conueniunt. Excurſiones nonnullæ in circumiecta loca habitæ, quorũ fructus extitit non contemnendus, 4000. hominum noſtrum de ſuperiore loco aliquando verba facientem audiuerunt, ex quibus ducenti circiter vna concione permoti exomologeſim frequentarunt. Trecentis alio tempore communionem ſacram dedit noſter præmiſſa confeſsione. Currit veluti

ſigno

ſigno dato ex omnibus circumiacentibus pagis, maxima hominum multitudo, vbi primum intelligit noſtrum concionandi gratia ad aliquod templum aduenisse. Vt in funere cuiuſdam præcipui nobilis (cuius olim virtute Petrina è Turcarum iugo erepta fuit, & demum à proprio mancipio Turca trucidati) noſter concionem haberet, euocatus fuit, vbi dùm de incertitudine horæ deque legitima ad mortem præparatione peroraſſet, nobiles duo, annis ferè tribus, pluſquam Vatiniano odio diſsidentes, ita compũcti fuêre, vt poſtmodum coram noſtro cæteriſque illuſtribus viris collachrymante altero dexteris iunctis, æternum amicitiæ fœdus inierint. Religioſorum cuiuſdam Monaſterii, confeſsiones non ſemel maximo eorundem fructu exceptæ, quorum ſuperior facultate à ſuo Generali obtenta, non alteri quam noſtris vitæ maculas detegere ſtatuit. Addã poſtremo loco, q̃ ad inſignẽ piorum erga nos liberalitatem, diuinãq; quam experimur prouidentiam pertinere videtur. Ciuium inprimis ea eſt de nobis cura & ſolicitudo, vt hoc anno ex ſuis facultatibus territorium quoddam cum ſex colonis, agris, pratis, ſyluis, in perpetuum donarint, maioraque polliceantur. Illuſtriſsimus Dominus Banus licet maiorem penè anni partem abfuerit, nobis tamen per ſuos nunquam defuit, ſiquidem eos per literas ſæpius commonefecit, vt vino, frumento, cæteriſque alimentis, ac etiam pecuniis noſtræ ſuccurrerent paupertati. Ad Hungarica comitia properans tantam reliquit pecuniæ ſummam, quantam ad finem anni iſtius nobis ſufficientem eſſe exiſtimauit. Audiui-


mus illum non ſemel dicentem, nos Reſidentiamque noſtram ſibi ita curæ eſſe, vt etiam dormiens de illa cogitet, quonam pacto iam ad certam Collegii ſtructuram perducere poſsit. Interim tamen ſe noſtrum procuratorem futurum fide data promiſit.

Reuerendiſsimum Dominũ Antiſtitem Zagrabiẽsẽ in ſimili genere parentem proiſus experti ſumus, nam præter alia ab eo liberaliter ſubminiſtrata, ſacram quoque veſtem & calicem cum corporalibus donauit. Inſuper equum pretii quadraginta talerorum, noſtris aptiſsimum vſibus nobis necopinantibus tranſmiſit. Sed neque Sereniſsimi Ferdinandi Archiducis Auſtriæ, quem primo loco ponere debuiſſem, in nos defuit liberalitas & beneficentia. Is ſiquidem pro ea qua eſt in res ſacras propenſiſsima voluntate, caſulas duas magni pretii, ex proprio ſuo ſacello acceptas ad nos muneris loco miſit. Matrona etiam ex præcipua nobilitate Styriæ, cùm rebus humanis nuntium remittere vellet, duas ſericas veſtes Sacerdotũ vſib⁹ perpetui loco monimenti legauit. Alia item non contemnendum argenti pondus ad calices & ampullas conficiendas dono dedit. Capitaneus præterea Petrinenſis, vir noſtro ordini addictiſsimus, centum taleros ad veſtes coëmendas vltrò nobis obtulit, ac data etiam manu promiſit, ſe quotannis nobis ſummã hanc pro veſtitu deponere velle, Deus Optimus Maximus tantam pietatem cœleſtibus donis compenſare dignetur.

LIT-

LITTERÆ ANNVÆ PROVINCIÆ BELGICÆ SOCIETATIS IESV ANNI millesimi sexcentesimi octaui.

PROVINCIA BELgica.



Xcoluêre Belgicam Prouinciam Socii vniuersim 729. in viginti tribus domiciliis diuersi hab tant. In Louaniensi Collegio 61. Tornaci, in Domo Probationis centum viginti tres. In Collegio 26. Audomari in Collegio 29. in Seminario Anglicano 19. Duaci 42. Antuerpia duas habet nostrorum habitationes, prima, quę hactenus Collegium, nunc Scholarum digressu in Domum Professam præparatur; recenset (connumeratis octo qui in Missione Hollandica) vndé quadraginta. Secunda, in qua Schola & Theologia Moralis, vincit octonis. Iam in Leodiensi Collegio 38. numerati. In Traiectensi 22. quinque amplius in Brugensi 19. In Iprensi 34. in Cortracensi. In Gandensi 25. In Vallencenensi 23. In Insulensi viginti septem. In Montensi 25. tribus minus in Bergensi. 21. in Attrebatensi, vno minus in Luxenburgensi 43. in Bruxellensi, viginti vnus in Cameracensi. In Missione VVatensi quinque, vita exiêre non plus vndecim. Iniêre Societatem plus quinquaginta.

Antequam ad singula Collegia: de Prouinciæ

 statu

ſtatu pauca in communi, ita enim & diuina in hanc Societatis partem benignitas, & ipſi Collegiorum arctis in rebus expectati proceſſus, ſtylo clariore innoteſcent. Quatuor erant, quæ triſtiorem hunc annum redderent. Hyemis aſperitas, veris intemperies, annonæ caritas, belli metus. Habuit enim hic annus tàm longam, tàmque aduerſam hyemem, vt lethifera multis fuerit: ver autem tàm triſte ac pluuium, vt corrumpentibus ſata imbribus (vix vt agreſtis natio à conuitiis in Deum, Diuoſque temperaret) magna formido eſſet ſterilitatis: & iam præſens erat annonæ caritas, vnde fames, ni Deus auerteret, ingens timeretur: neq; interea opinione præliorum nullis dùm certis induciis, ſed temporali tantum indicto armorum ocio, quieſcebant, cuius otii ceſſationiſque alia vis erat nulla, quàm vt nè vrbes, locaué oppugnarentur, nec totis caſtris aut ex profeſſo ſublatis ſignis dimicaretur, non verò nè in fortuitis occurſibus (nam ſæpius id factitatum) hoſti in hoſtem manu liceret feruore vti. Imperatæ aduerſus tot incommoda ab Epiſcopis ad omnia templa certis ſingulorum vicibus continuæ preces: quas & noſtri nonnullis ſubinde maioris conciẽdæ pietatis, pœnitentiæque additamentis (vt dicetur in Vallencenenſi) cumulauere. Ergo in melius cuncta rediêre, quodque ſatis mirari quis nequeat, inter caduceum & tubam, ſeptena diuerſis in Collegiis templa, ſenaque Scholarum Gymnaſia, aut à fundamentis ſurgere vidimus, aut nuper fundata promoueri, aut promota exædificari, ſolum Bruellenſe aliquam moram habuit, & ſi in ipſa mora ſacellum

dome-

domesticum aliaque haud parum necessaria interim exstructa, Insulense autem adeò breuissimi temporis interpellationem, intermissionemq; vicit, vt ferantur hac vna æstate in molem totius operis, Domus, Templi, Scholarum: quadragita circiter millia florenorum de publico ærario expensa. Neque verò minus, & molimina virtutum, & lucra processêre animarum. Hæretici tota Prouincia, trecenti circiter, desertis perfidiæ, errorumque signis ad castra nostra reuertêre. Et Hollandiam tamen, Angliamque, vbi ferè quam in tota cætera Prouincia recenseri plures soliti; quod me rerum gestarum adhuc literæ deficiant, tacitas in præsentia habeo.

COLLEGIVM LOVAniense.

NVmerati hoc anno è nostris Louanii 61. Sacerdotes septemdecim, quorum vnus Scripturæ sacræ, simul & Hebraicæ, alii duo Theologiæ Scholasticæ Professores. Habent è domesticis Auditores tricenos ternos. Sed horum quaterni inter Sacerdotes recensiti. Sunt præter hos rei domesticæ curatores quindecim. E numero Studiosorum in Indiam bini, terni in Galliam: illi amplificandæ religionis: hi expoliendæ linguæ gratia. Supremum hic diem obiit P. Martinus Delrio sacrarum litterarum in hac Academia quondam Professor, vir in magna doctrina singularis modestiæ, & Hæreticorum præsertim testatus hostis: cuius vtinã omnia aduersus eos scripta superessent, nec

nec quæ præcipuus feruor exararat, miſerandi caſus malignitas abſtuliſſet! patria erat Antuerpienſis, etſi ab Hiſpanis oriundus, & quatuor vota pridem nuncupauerat: cuius anni in Societate 28. in omni vita 57. fuêre. Olim Regius Brabantiæ conſiliarius erat, maluit hic eſſe religioſus: fuitque verò haud ſanè infructuoſus. Philoſophiam, Theologiam, Linguam Hebraicam, Scripturam ſacram, Duaci, Leodii, Louanii, poſtremoque Græcii in Stiria docuit: reliquitque ingenii ſui & pietatis illuſtria poſteris monumenta. Tandem Græcio in Hiſpaniam profectus, indeque in Belgium poſtliminio reuerſus, cùm Antuerpiam cogitaret, eſſetque in itinere Louanienſi, ſolito grauioribus conflictatus calculi doloribus, accelerantem præſenſit prædixitque mortem. Mox itaque Louanii, vbi ei votum moriendi erat, ſic inualuit morbi vis, vt nō plus biduo eum differret. Qui audito vicinæ mortis nuntio, conſtanti, placidoque vultu paratum ſe iampridem ad hunc agonem reſpondit, totumque biduum ſic inter grauiſsimos egit dolores, vt aliud nihil ex eius ore, niſi ô Bone Ieſu, ſit Deus Benedictus; auge Domine dolorem, auge patientiam, donec optata illi mors ſilentium impoſuit, audiretur. Migremus hinc ad vitæ fructus. Binæ hactenus Sodalitates floruêre: vna Philoſophorum, quorum numerus 360. Alia Theologorum mixtim iuriſque prudentium. Sed hæc abundante ſupra modū multitudine, in duas nunc diuiſa. Ita ternæ hoc anno Sodalitates Beatæ Virginis haberi cœptæ. Et quidem ex ea, quæ Philoſophorum, in varios religioſorum ordines quinquaginta, in Societatem no-

nostram quindecim ingressi. Nunc ad externa.

Portò familiæ subsidia & emolumenta fuêre hoc anno: primùm annuus quadringentorum circiter florenorum census ex testamento D. Martini VVittens Canonici & Pastoris in D. Hermanni, Thenis, vrbe Brabantiæ, qui nos bonorum suorum ex asse scripsit hæredes, cui proinde à nostris digne parentatum. Deinde vectigalis quingentorum ducatorum super decimas maris Castiliensis, ope ac diligentia P. Petri de Caruaine Procuratoris Hispaniæ, quieta ac pacifica possessio, quæ benignitate, ac munificentia Dominæ Mariæ Ianheyen, viduæ D. Ioannis de Camargo, post vtriusq; obitum ad nos defluxit.

DOMVS PROBAtionis Tornacensis.

CEntum 23. Sociis habitata est hæc Domus, partim veteranis, partim tironibus, istorum Sacerdotes quinque, Adiutores octo, horum decem Sacerdotes, Scholastici 81. Adiutores 18. Præter quos multi alii, præsertim secundo tirocinii anno in Collegiis versantur, vel humaniorum litterarum studia repetentes, vel ad opera domestica deputati, nam si vniuersorum tironum numerus colligatur, is erit centum circiter & quadraginta. Atque is etiam longè copiosior fuisset, si quis

quis aut eos locus capere potuisset, aut operarum necessitas postulasset. Nam & plurimi ad Societatem alioqui valde idonei à P. Prouinciali in aliud tempus dilati: & eorum quos ipse lectissimos admisit, nulli nisi bona parentum, aut tutorum voluntate, imò & postulatione, atque etiam deprecatione admissi. Ita enim multorum vel occultis inimicitiis, vel apertis calumniis è re bonoq; Societatis visum occurrere. Quare & eiusdem Societatis apud vulgus creuit existimatio; & qui cum difficultate sunt recepti, quamuis omnes egregiis naturæ ingeniique viribus, vel claris natalibus præpollentes, tamen vocationis suæ, & eluctatorum in via memores impedimentorum, daturi sunt operam, vti Deo bene iuuante confidimus, vt non facilè sibi de manibus elabi sinant, quod non nisi magno conatu apprehenderunt. Nunc post fidei Christianæ tirocinium à nostris tironibus aliquamdiù continuatum, vix vnum reperias, qui se tanti doni patiatur exortem, traditur autem ab eis illa doctrina locis viginti quatuor. Nosocomia, custodias publicas aliaque eiusmodi tamquam communia hic transeo: sed illud pro præceptorum Ecclesiæ custodia, est nouum. Inuitatus enim nonnemo isque fortuna pauper, ad interdictas certo die carnes vescendas, iam eas, remordente licet acrius conscientia, momorderat, degustaratque, sed parum is abfuit, quin primum ei frustum esset peccati, secundum supplicii. Nam primo quidem vorato, secundus bolus ita in mediis hæsit faucibus, vt videretur nihil alud, quam in transgressoris perniciem niti; resque in desperationem ibat, ni infau-

ſtum mortis fruſtum ſimul cum ſanguine commiſtum expuiſſet. Itaque hoc defunctus periculo nihil fecit moræ, quin extemplò ad Sacerdotem noſtrum totam expurgatutus conſcientiam aduolaret.

Dùm verò in proximos ita piæ charitatis officia dilatantur; locum dedit diuina prouidentia domus quoque ſpatia extendendi. Nam horti noſtris contigui, vicinumque horreum magno ædium commodo coëmpta. In huius area locus eſt extruendo ſacello peropportunus. Id ſacellum quod centum circiter pedes longum erit, Illuſtris Vicecomes de Montenaken teſtimonium ſuæ in Societatem benignitatis ſuſcepit ædificandum. Atq; vt clarius iactandum in Domino cogitatum noſtrum diſceremus, tempeſtiuæ nonnunquam eleemoſynæ, velut cœleſtis prouidentiæ manu, improuisò oblatæ.

COLLEGIVM TORNAcenſe.

DEgunt hic è noſtris viginti ſex, Sacerdotes tredecim, Magiſtri ſex, quorum vnus Sacerdotibus connumeratus, Coadiutores ſeptem. Ex his vnus ſtudiis humanioribus repetendis, alii aliis vacant. Patrem Philippum Amandum hoc anno mœſti extulimus, virum ſanè haud magis cognomento, quam inſigni humanitate, comitate, modeſtia verè amandum. Montibus, quod eſt Hannoniæ caput, oriundus Societatē anno ætatis trigeſimo ſecūdo ingreſſus fuerat, in qua

in qua peracto biennii tirocinio, non plus altero biennio superfuit. Ac priore quidem anno confessionibus concionibusque in pagis præsertim minoribusque oppidis non sine vbere fructu occupatus, altero deinde, eoquè postremo secundæ classi Grammatices præpositus, magna cùm animi tùm submissione, tùm contentione in eam totus incũbebat. Cùm eum ad patientiæ certamen, in quo sẽper ipse superior, primo violenta colica prouocauit. Deinde inter alios dolores grauissimos gangræna incurabilis inuasit, quæ & paucis eum diebus abstulit. Eius funus quia concionem Dominicam sequeretur, multo comitatu; virtutum autem mentio, dùm ipse Auditorum precibus commẽdaretur, nõ paucis lacrymis est decorata. Dùm pietatis pœnitentiæque declamantur argumenta, non semel vtiles lacrymas, veramque pœnitentiam conciuit, speculum peccatoris exhibebatur; plures tunsis peccatorum dolore pectoribus, discessêre, hos inter, vir primarius, næ inquit, si cum peccatore sic agitur, conscientiæ aliter excubabo. Aliàs alia Christi patientis instrumenta schemate Angelico lugubriter dabant. Duo Societati nomen dedere, tertius alii ordini. Maior B. Virginis Sodalitas, quæ ex viris maturis, honoratisque constat, exemplo Reuerendissimi Episcopi D. de Betencourt, qui publicis eius priuatisque conuentibus frequens interest, viget indies magis magisq;. Hic cùm nuper R. P. Prouincialis post breuem ad Sodales exhortationem, sacra in singulos numismata dispertisset, Præfectus ipse Sodalitatis, qui summi templi est Canonicus, sacræque Theolo-

giæ

giæ Doctor, perque celebris concionator, comprobatis atque collaudatis, quæ à R.P. Prouinciali dicta erant, eidem breui oratione extemporanea amplissimas totius congregationis nomine gratias egit. Quæ verò à R.P.N. Generali de euitandis externorum mensis nouissimè sancita, ea multum etiam in vulgo probantur, atque à nostris sanctè obseruantur. Mutationem porrò vrbis hæreseos olim erroribus corruptissimæ, satis ipsa confessionum, communionumque in hac æde frequentia declarat, nam illis quidem audiendis vix 14. Sacerdotes, his autem vix perpetua antemeridiano tempore salutaris pabuli distributio, sufficit. Fuêre enim ipsis Christi natalitiis conuiuæ tria millia ducenti, & nouissimi Iubilei tempore tribus occurrentibus festis, vuo milli amplius, hoc est quatuor millia ducenti cibo Angelico satiati. Duo etiam à luporum conciliabulis ad ouile Ecclesiæ aggregati. Pessima consuetudo corruptelaq; publica maiorum religione hic adoleuerat: ea modo optimo abrogata. Nam cum Dominicis Festum Venerabilis Sacramenti consequentibus in plures menses parœciæ singulæ sancto instituto solemnẽ supplicationem vicibus obirent, eam supplicationem plurima, indignissimaque sese intermiscens nubilis Adolescentiæ petulantia, deformabat. Nã plateæ ramoso floreoque ornatu ad æmulationem magna interim sacri audiendi incuria, variè instruebantur. Virgines è suis vicis alio suorum consodalium choro stipatæ, omnesque in faciem hodie nuptarum comptæ prodibant: his, ex ædibus suis iuuenculi per mediam processionem occurrebãt,

vinumque propinabant; hinc risus, clamores, cachinni, aliaque fœdiora sequebantur; postmodum verò conuiuia, compotationes, choreæ in multam noctem, & indies plures agitabantur. Ergo vt omnes eæ supplicationes eadem simul Dominica, nimirum ea quæ Festo Corporis Christi proximè succedit, gregibus puellarum aliisque nugis intermissis, celebrarentur, nostrorum querimonia, pastorum assensu, Episcopi mandato, bonorum omnium comprobatione sancitum. Seni septuagenario rationis vsu, sensibusque aliquot horas defecto acceptis demum pœnitentiæ indiciis, simul cum Sacerdotali absolutione bona mens quamprimum reddita. Puellæ annos octodecim ophthalmia laboranti, fusis in æde nostra coram D. Virginis è ligno Sichemiensi statua precibus, inuenta sanitas. Virgines duæ verecundia, castimoniaque periclitantes, stabili in matrimonio collocatæ. Finem hic facerem, si sineret Hispani præsidii feruor, atque ad spirituales thesauros sanctus animi impetus, vt de se silentium agerem, horum vni alteriq; benedicta vltimæ congregationis generalis numismata P. Rectoris manu data erant, manauit hic rumor ostentatione donatorum. Igitur alii atque alii vsque ad ductores ipsos, integrasque turmas certatim ad eandem beneficentiam concurrêre, in orbemque domi nostræ dispositi, magna cum religionis significatione, eadem fauoris Apostolici munuscula, lætis gratantibusq; animis excepêre. Inopia rei familiaris diuersa amicorum benignitate, quingentis circiter aureis subleuata. Templi altare primarium multiplici cortinarum apparatu,

albi,

albi, rubri, viridis, cærulei coloris, ſed præcipuè è byſſo candida precioſa conueſtitum.

COLLEGIVM AVDOmarenſe.

INcoluêre hoc Collegium 29. ex his Sacerdotes 15. quorum quindecim tertium probationis annum decurrêre: alii bini Theologiam moralem, totidem litteras humaniores profeſsi, & præter hos alii Magiſtri 4. cæteri rei familiaris adminiſtri. Diſcipulorum numerus ſexcenti. Sodalium B Virginis centum triginta, extra numerum hunc ſunt Angli, quibus ſua in ſeminario Sodalitas, ſed noſtri ſuæ congregationis locum munifica pietate ornarunt: ara mobili, amiculis aræ frontem obtegentibus, columnis affabrè factis, cortinis byſsinis, candelabris æreis. Quinque alibi, tres in Societate vitam religioſam amplexi. Spiritualibus B. P. N. exercitiis octoni deni per hunc annum exculti. In his è cœnobio Bertiniano deni: & qui non ſibi tãtum, ſed etiam ſubditis ſuis plurimum profecit, Paſtor vnus. Mulier quædam poſtulato à noſtris cingulo, quod contactu cathedræ D. Petri religioſum erat, eoque cincta, periculoſiſsimis partus doloribus, quibus triduo conflictata fuerat, feliciter & cum bona valetudine defuncta eſt, beneque habet. Atque vt nè Catecheſim, cuius idem ferè tenor, qui annis ſuperioribus, omninò tacitam prætereamus: quædam Virgo theſauri Deiparæ Virginis cuſtos, tenuis quidem fortuna, ſed pietate in Patronam diues, ſolita erat eius imaginem, qua co-

ram, quotiescunque doctrinæ Christianæ lectio habetur, turbæ fit geniculatio, votiuis floribus quaqua poterat conquisitis, nec enim ei hortus suppetebat, sedulò redimire, ea igitur in morbum lapsa, cùm sub horam maximè Catechisticam, è viuis exire sæpenumero repetisset, quo nimirum pluribus ibi congregatorum precibus cœleste sibi iter properaret, haudquaquam irrita tàm pii & diligentis voti fuit. Morti enim vicina cum Patrem nostrum accersisset, obtentaque peccatorum venia ad cœlum itineri accincta anhelaret, peropportunè cecidit, vt dùm ordinarie iuxta moribũdam preces ad Deum funderentur, optatissimo tempore, inter duodecimam scilicet & primam (quæ hora est Catecheseos) animam expiraret, & quidem cùm ad ea Sacerdos legendo verba peruenisset: Iubilantium te Virginum chorus excipiat: quodam velut indicio piam illam atque obsequiosam Virginem à Regina Virginum, specie quadam remunerationis exceptam, interque choros Virginum in cœlo collocatam. Aliæ sunt in eodem cœtu Catechistico adultiores ætate, & scientia Virgines, imò & Matronæ, quę iunioribus imperitioribusque, & eluendorum, & reficiendorum animorum, siue cõfessione, siue communione methodum tradunt, plus verò hoc est, quod frequẽtibus, de pietate, de perfectione, de cæteris officiis inter sese collatis sermonibus, quodam velut mundi contemptu, contraque cœlestium sapore, mutuò inebriant, & inebriantur. Quatuor intrauêre claustra, & sese deuouere: æmulantur, insistuntq; duplo plures, multi à cacodæmonis ludificationi-

bus

bus vindicati. Phrenetico inferorum pœnis sua sententia damnato, idque crebrò inconditè vociferanti, tantisper rationis vsus, dùm annos malè actos pœnitendo reuocaret, diuina bonitate resti tutus. Castetum, Ariam, aliaq; fructuosissimarum excursionum spatia ex lege præscripta prætereo.

COLLEGIVM DVAcense.

NVmerus nostrorum Duaci 42. Sacerdotum quidem 17. & ex his Professorum Theologiæ & Metaphysicæ singuli, Philosophiæ 4. aliorum autem, Magistri humaniorum litterarum seni, Theologiæ domesticus Adiutor vnus: Metaphysicæ 9. cæteri Coadiutores. Graues senio, & morbis excessêre terni, Patres duo, Coadiutor vnus. Prior illorum P. Ioannes Maior Bethuniensis trium votorum Professus, celebris quondam concionator. Quod munus annos tredecim Leodii obiit magna totius populi, præsertimque Gerardi Grosbeecke piæ memoriæ Cardinalis, & Episcopi simul Principisque Leodiensis, commendatione, qui de Palatio aut Cathedrali Ecclesia frequens ad eius conciones descendebat. Post verò surrepens animi, cerebrique ægritudo, multos eũ annos inutilem habuit. Finiuit autem anno ætatis 67. à qua ætate alter Pater duobus annis abfuit, Coadiutor vnus. Vixerunt in Societate; Primus annos 49. Secundus 37. Postremus Quintinus de Lanoy, patria Lendiensis in Hannonia, Coadiutor formatus, vnum & quadraginta; alter verò Sacer-

dos, nempè P. Ioannes de Fosset, Buccinii vrbe Hānoniæ natus, præcipuam in studiis humanitatis operam posuit. Annos octodecim is in Societate docuit, & primis quidem nouem Grammaticæ prima Rudimenta, totidem aliis classes proximas: pòst audiendis confessionibus totus institit, vir in perferendis chiragræ, podagræq; doloribus fortissimus. Vide verò turbam in trium vita functorum locum ingruentem. Quadraginta duo eximia morum, ingeniique indole Adolescentes, decursis recenter Philosophiæ spatiis, velut impetu facto Societatem petunt, vrgentque, nec vllas, nec Præceptorum, quos Patronos testesq; voluntatis suæ precariò faciunt, nec R. P. Prouincialis æquissimas seu excusationes, seu dilationes, nisi ægrè, & necessario admittunt: nec tamen fieri potest, vt cuncti quamuis meriti & mœrentes capiantur. Quibusdam ingressus, aliis spes datur. Ergo admissi in præsentia octodecim, cæteri opperiuntur. Neque est hæc tota messis Academiæ Duacensis. Triginta octo præterea istorum condiscipuli aut consodales, ad alios religiosorum ordines eodem spiritu aspirant. Quod si desiderium est scire quanta sit tota turba, è qua tàm multi de mundo fugitiui, cēsi sunt hoc anno, vt ab infimis ascendamus, humaniorum artium studiosi 400. Philosophiæ 600. Theologiæ propè centum. Magistri concluso cursu Aristoteleo creati 163. è quibus egregium progressus sui specimen, propugnatis è tota Philosophia thesibus, dedêre duodecim, idq; tùm sui magna cum laude, tùm ipsorum Mecœnatum, quibus dedicatæ eę theses erant, haud minori gloria & voluptate. Ab hæresi reuocati sunt sex.

COL-

COLLEGIVM ANTVER-
pienſe.

DVo hic domicilia comprehendo, vnum Collegium,& parem Collegio domum alteram, quæ Collegii mox rationem induet, priore domicilio in Domum Profeſſorum conuerſo. Eſt verò eiuſmodi hæc noua habitatio, vt & loci opportunitate, & laxitate ſpatii, & aëris temperie tàm noſtros ad vſus rationeſque ſit accommoda, vt tota vrbe vix vlla. Quo die iuuentus in hanc traducta, Scholarumque celebrata dedicatio, nouum eius ſacellum feſto cantu muſiciſque inſtrumentis, operante tùm ſacris Reuerendiſsimo vrbis Antiſtite, inſigni magiſtratus corona circũcincto, mirificè perſonuit. Hoc ergo nunc politioris litteraturæ Gymnaſium, hæc Theologiæ moralis palæſtra, vbi vniuerſim officii noſtri operæ religioſæ quadraginta ſeptem, & in his Sacerdotes quindecim, quorum nouem Theologiæ morali, & cum iis totidem necdum Sacerdotes, imò duob⁹ plures operam nauant. Adde Magiſtros ſex,& alterum Magiſterio item deſtinatum, ſed nunc ſolius valetudinis ſtudioſum: Coadiutores octo. Hic Magiſter Carolus Cauerel patria Arienſis, ſtudii ſui moralis curſum, non vt cæteri annorum ſpatio, ſed occupata, vt credi poteſt, precibus morte, præfiniuit. Probus enim & pius cùm eſſet, ſeptenniumque in Societate docendis, partim Græcis, partim Latinis litteris inſudaſſet, ægerque huc & vitalibus labefactatis, aduenilſet, lenta menſium a-

liquot tabe viribus corporis defectus, magno pietatis sensu præclarisque virtutum relictis vestigiis, ad eum diem quem votis omnibus, etiam à Deo supplex expetierat, veram ad patriam emigrauit. Is erat dies sacrato cineri sacer, quo vti in hanc laboriosam Societatem ingressus erat, ita eodem ad gloriosam euolare gestiebat. Reuertor ad litterariam Theologicamque facultatem: in illa Adolescentes præclara indole quingenti, eoque plures: in hac Auditores circiter sexaginta, partim externi, partim Societatis pari vtrique numero, nisi q, istorum subinde excrescat. Nec verò sine Diua sua tutelari, cuius clientelæ Parthenia Sodalitas se deuouit, facta hûc Scholarum commigratio, posuit enim hic domicilium cum Patrona sua vetus Sodalitium, & noua item emeritorum Studiosorum cohors, recens lecta, quæ eidem D. Matri militaret. Cuius auspiciis in clarissimo magnorum virorum consessu, postquam habita fuisset de cultu Deiparæ sanè elegans oratio, Reuerendissimus Antistes nostri ordinis amantissimus suam nouo militi Pontificiam benedictionem, musicis hinc inde instrumentis circumsonantibus, impertiit. Adscribûtur in eam Sodalitatem ij ferè, qui ad Scholas nostras Theologicas ventitant, tùm etiam qui tota vrbe sparsi sunt Adolescentes litterarum gnari, & nuptiarum adhuc ignari. Qui huic pietatis militiæ nomen darent, primo ipso die censi octoginta, inter quos insigni eruditione & auctoritate Doctores aliquot, hisque titulo & dignitate suppares alii complures, qui suo exemplo desideria ambiendæ Sodalitatis contubernalium gregaliumque animis

nimis accendêre, vt breui postea numerus ad centum viginti excreuerit.

Iam ad vetus domicilium. Ibi sexdecim Sacerdotes, & vno minus Coadiutores, id est vniuersè triginta vnus habitant. Subuentum & familiæ nobili, quæ extremæ egestatis deteriora malo ipso remedia cogitabat, ea nunc corrogatis cura nostra eleemosynis, periculo exempta Societate vitam adscribit. Neque egentes tantùm benefica manu adiuti, sed malignè etiam à nonnullis retenta, suis sunt dominis ad aliquot aureorum millia suasoribus nostris, redhibita. Neque nulla fuit in congressu cum hæreticis palma. Cessere loco complures, & Ecclesiæ iugo sese volentes subdidere. In his primas tenet sexagenarius senex, qui fide bona malam præcauit mortem. Sed Adolescentis Lutherani facilior captura, qui dùm imprudens retia nostra propius accedit, in ea se induit. Is Catholici specie templum ingressus, aræque summæ vicinus, adeoque ipsi sacratarum epularum mensæ, dùm fortè alio mens diuisa est, incumbebat, & iam tempus erat pabuli cœlestis distribuendi, ad eumque veniebatur, cùm ipse in turba Catholica alienæ veritus fidei apparere, Hostiam mauult, quã infamiam admittere, sed admissa cùm cohorruisset, iam lacrymis singultuque plenus, ac velut Christi captiuus duci petit ad Sacerdotem, ibiq; fidem simul & peccata confitetur. Tertius vagæ instabilisque fidei erat. Is regionatim discursans, cùm nunc in hos, nunc in illos se conuentus ingereret, cunctosque tamquam informes ac difformes despiceret, postremo Ecclesiam Catholicam

vt maximè omnium vniformem sic probat tenetque, nullis vt parentum minis, nè adiecto quidem exhæredationis metu, à concepta semel animi constantia posſit dimoueri. Alius ſuper eam peſtē, alio quoq; morbo quam maximè grauabatur: Pariter ergo & illius ſanitatem, & huius leuamen, cum meliori fide ſuſcepit. Profuit etiam non nemini recognouiſſe in æde Prætoria Bergēſi ab aduerſariis incenſa Sacerdotum noſtrorum antiquiſſima ornamenta. Nam ex iſtde religionis conie cta antiquitas, aditum ei ad illam patefecit. De excurſionibus ad tria militum propugnacula, vrbi proxima, nihil dico aliud, niſi poſtremi Iubilei indulgentia (triginta tùm ædem noſtram in vrbe Sacerdotes pro confeſsionibus tenebant, & copia tamen pœnitentium vincebantur) cum exaſperatis permaligna ſtipendii ſolutione militibus, nulla exprimendæ, ſed nè extorquendæ quidem pietatis ſpes affulgeret, vnius è noſtris induſtriam ardoremque eò valuiſſe, vt extra ſeptem malè obſtinatos, vnus non eſſet omnium reliquorum, qui impotens iracundiæ, quam bonæ gratiæ potens eſſe mallet.

COLLEGIVM LEODIenſe.

TRiginta octo in hoc Collegio recenſiti, Sacerdotes 19. quorum duo aliis quatuor Magiſtris iuncti, iuuentutem litteris humanioribus informant. Ad idem munus tres alii, & ex his tirones duo præparantur. Cæteri Coadiutores.

Diſci-

Diſcipuli quinis in claſsibus, mille circiter & centum, futurique omninò longè plures, ni ob infimæ claſsis anguſtias plurimi quamuis haud inepti, excluderentur, horum tanta in multitudine inſignis modeſtia vltimo Iubileo, cùm à Magiſtris duplici ſerie ad aras indulgentiis deſtinatas deducerentur, cunctis ciuibus ſtupori fuit. Cœptus hoc anno ad Clericos, qui ſub noſtra ſunt diſciplina, bis quot menſib⁹ ſuper eorum ſtatu atque officio haberi ſermo: viſaque eſt eadem opera ad tenuiores eorum condiſcipulos, quibus ſcilicet animarum cura, ad quam præpoporè multi, magno ſuæ alienæq; ſalutis diſpendio adſpirant, extendenda.

Theatralis à iuuentute noſtra D. Auguſtini cõuerſio, nonnullis ad ſeriam morum profuit conuerſionem, duobus præſertim Eccleſiaſticis; quorum vnus à ſe pellicem, alter totam peccatorum fecem abiecit. Proximis antecineralibus nouo quodam adaugendæ pietatis commento auocatus ad ſeria populus, magis hic quam vnquam aliàs, deſiit debacchari. Nam apparatus ad denunciatam quadraginta horarum deprecationem is fuit, vt eius diſperſa per vrbem fama, ſeu pietate, ſeu curioſitate innumerabilem huc populum contraxerit. In ara maxima loco aliquot gradibus ſcãſili ſacra in theca Venerabilis Hoſtia per criſtallum emicabat. In gradibus vtrimque lumina condecenti ordine collucebant. Parietes pro dierum varietate coloris varii periſtromatis inſternebantur. Fuit primo die pullus color, paſsionis inſtrumentis egregiè diſtinctus; ſecundo candidus; miro ac prædiuiti apparatu (dicatus enim Virgini Siche-

chemienſi is dies) tertio iterum pullus, mœſtuſq;, qui obſtructis vndequaque lucis extraneæ viis, meram noctem in ipſo meridie, niſi quod cereis luminibus, vt ſtellulis vincebatur, ſimulabat, pioq; horrore introeuntium animas ad pietatis habitum incitabat. Duplicabant eum horrorem pallida mortis ſpecies, & nouiſsimorum hominum expreſſæ in tabulis figuræ. Neu'e quid exſuſcitandis mentibus deeſſet, lectiſsimi Symphoniaci certos in choros diſtributi, adiecta inſtrumentorum muſicorum prædulci melodia, manè rem diuinam, à meridie ſacros hymnos, ſecundum concionem accinebant. Inter hos dies ſecundus eminuit. Nam ſacra D. Matris è quercu Sichemienſi effigies pompa per ædem mediá magnificentiſsima ſacris manibus deportata. Hanc præibant duplici agmine Angeli, & hi faces, illi Deiparæ encomia picturis expreſſa præferebant, intereaque litaniæ exquiſito vocum concentu artificioque reſonantes, præſentem turbam voluptate conuenientiſsima demulcebat. Ergo nunquam in vrbe libera, vt rumor fuit, minus inſolentiæ viſum. B.P. meditationibus complurium vita correcta, vniuſque vacillans in fide animus, ſuper firma petra ſtabilitus. Pellices, concubinos, etſi generali confeſsione purgatos in præſentia fugio, atque ad duarum viduarum dignisſimas memoria virtutes tranſcurro. Prior mercatoriam exercebat, ſed honeſtam, & ipſa perhoneſta: huic cum longo apud nos Sacramentorum vſu familiaris eſcæ rerum diuinarum ſenſus cepiſſet, vitæ perfectioris in aliquo valetudinarii miniſterio deſiderium ſubiit. Sed præter dehortatores

res

res domesticos, etiam filius propè infans anhelantem ad altiora animum veluti manicis retentabat. Tamen hunc respectum diuinus vicit. Filio tutores, egenis bona, se Deo credidit, sicque omnibus valere iussis, in Xenodochio misericordiæ infirmorum sè obsequiis ancillam dedit; negatq; porrò hodiè, alios sibi in hac vita dies illuxisse lætiores. Altera genere nobilis, institutione hæretica, viro in his quidem conformi, sed in cæteris tàm incommode difficilique nupta fuerat, vt eo dissidiis ad secubitum, ad secessionem, ad diuortium, & illius obitu ad secundas, sed cum Deo, fideque nuptias, neque remorantibus itidem liberis, adspirarit. Cum hæreticis luctæ frequentes; capti octo. In his claro genere mulier, quæ cum in Galliæ confinio litigaret, inducta ab hæreticis causæ suæ patronis, ad Caluinistarum itare conuentiuncula, biblia reuoluere, Missæ cæremonias missas facere, sic facilè factu fore, vt in hæretico tribunali secundum ipsam lis daretur. Ita fecerat. Sed postquam vlterius ad castimoniæ subuersionem eadem spe impunitatis, cuniculos agi videt, tùm obscœnos homines, apostatasque detestata, sese recipit, culpã confitetur, libros exurit, eos deserit. Stylum hic verto in laudem magnæ Matris. Certa mulier claris natalibus immani difficultate parturitionis laborabat. Quod mirum, quando fœtus sex hebdomadis integra secundina emortuus, & materna in aluo putens perseueraret, materque in doloribus; atque vnde auxilium, nisi à Deipara Sichemiensi? Eius ergo paruulam statuam, aliasque simul reliquias vno è Patribus commodante accipit; iterq; ad eius-

ad eiuſdem Diuæ Cellam Sichemienſem inſuper vouet, non reuixit quidem fœtus, ſed quod abunde beneficii, ſatiſque miraculi habuit, eo non tàm remiſſo; quam fruſtratim educto, tàm ſana ilico & omnis expers doloris fuit, ac ſi & paulò antè eius ignara. Hactenus domi geſta, quæ foris verbo adiungam. In quodam pago cum plena peccatorum remiſsio Catecheſis nomine caperetur, tantus eo die ad cœlicas dapes fuit concurſus, quantum ab annis quadraginta, etiam feriis Paſchalibus viſum eſſe, non eſt memoria. In illo concionabatur vnus è Sociis, cùm fortè prætериens eques externus, relicto alicubi equo, templum ingreditur, differentem de ſacris myſteriis ſedulò audit; ibi ipſi ſibi oſtenditur, quantoque in periculo verſetur, intelligit. Ergo animus dolore compungitur, vitamque priorem cum propoſito melioris deteſtatur. Alio in oppido bini Patres totos quindecim dies generalibus confeſsionibus audiendis poſuerunt, quodam in monaſterio arculas habebant ſingulæ Religioſę, aſſeruandis, quas propinqui ſubinde afferebant, paruulis delitiis, curatum vt hunc delitioſum amorem eiuſcemodi quiſquiliarum abdicatione caſtigarent.

RE-

RESIDENTIA DIONANtensis.

POstquam annos aliquot duorum Patrũ missio Dionantum fuit, & per eos bonus Societatis odor spargi, lucrique faciendarum animarum ardor, industriaque cognosci cœpta, simul cœpit huius vrbis incolas habendi Collegii & retinendorum Patrum cupido. Itaque meritò iam nunc, dùm de Collegio adhuc res pendet, Residentia fœlicibus sanè auspiciis instituta. Eam in præsentia octoni è nostris tenent, curantque. Ac quia principalem curam circa rerum initia versari æquum est, præposterè agam, ni ab Augusto mense originem ducam. Eo enim extremo terni è nostris superiorum iussu, tàm opportunè illuc venêre, ac si è Cœlo missi. Nam proximis Calendis Septembribus, cùm nescio qua Principis Leodiensis offensione, subitò se armis circumsessam vrbs attonita videret, atque iam ex castro, quod vrbi munitissimum imminet, bellica tormenta exonerari, octo hominum millia in armis esse, obsistente nullo suburbana aggredi, occupareque; re tàm subita meritò consternatus ciuis, ad nostros accurrere, exposcere, si quid in promptu consilii foret; nostri, cùm pro tanto discrimine sacris essent operati, vtrimque compositionis interpretes, Angelosque pacis se offerre, ex vrbe ad minaces copias, inde ad oppidanos vltrò citròque commeare, agere cum obsidentibus, vt tantisper quam molirentur impressionem, reprimerent: cum obsessis, nè se

nè se viribus quibus poterant, tueri accelerarent. Ita sub meridiem motus omnis, rebus ex Principis sententia permissis, conquieuit, receptæ in vrbem copiæ, præter consules, vinctumque vnum in arcem abductos, nihil nocuêre. Sed eodem die accepto commeatu retrò in Condrusios, vnde venerant, abiêre. Ita nostris re bene gesta, vtrimque tamquam vrbis conseruatoribus gratiæ actæ. Fuit & alia hoc ipso anno in hoc nouali messis; lætique aliquot manipuli deportati. Tres Angli furcæ adiudicati, hæresim, cui à puero assueuerant, in ipsa morte destituêre. Horum vnus nobilitatis suæ respectu, grauiorem hunc excessum faciebat, sed post multa doloris leniendi argumenta, acceptis de manu Sacerdotis nostri globulis precariis, sic cis totam noctem inhæsit, vt die insequenti cum stupore omnium lætus atque alacris sese morti iúgeret. Tres honestas familias inhonesta iam pridem dissensio distrahebat, accitus noster ad reponendam inter partes amicitiam, cùm vnum experiretur animo perferocem, neque pacis verba satis pacifica admittentem, imò è concordiæ loco sese cum indignatione proripientem, ipse eum insecutus, fortiorique rationis adortus aculeo, quid facturus, inquit, sis, si tibi breui moriendum sit? necessariò ait ille, ignoscam, mihique ignosci petam, tùm noster amplius super inopina morte fugitiuisque occasionibus ingerere, donec in pacis viam reducto, eam inter omnes reconciliationis gratiâ, legemque esse fecit, vt qui alterum prior verbo factouè violaret, is bono iure certa pecunia sacrario inferenda multaretur. Ibi ergo mortis; hic autem Iudi-

Iudicij metus valuit. Violatam à se Virginem ducere quidam detrectabat, plenaque periculi res erat, puellæ scilicet, vitrico ei mortem machinante. Incussus igitur diuini Iudicij metus non duci tantùm illam, sed & benignè haberi, casteque amari perpulit. Itaque hactenus admodum vnanimes, concordesque viuunt.

COLLEGIVM TRAIECtense.

TRaiectensi domicilio viginti duo continentur, Sacerdotes 9. quorum vnus inter senos Magistros censendus. Coadiutores septem, Repetens vnus.

Operosus nobis hic annus, nimirum sacræ Diuorum reliquiæ, quæ duobus in Canonicorum téplis plurimæ & singulares asseruantur, quæq; post singulas duntaxat annorum hebdomadas publicitus monstrari solent, hàc æstate omnium expositæ oculis, maximam nobis suppeditauere perpetuorum laborum materiam. Cùm enim celeberrima sit è longinquis regionibus ad Diui Seruatij vrbis huius Episcopi, & Patroni, ac penè perpetua peregrinatio, propterea que indies ad ædem ei sacram vnus è nostris ad excipiendas confessiones ablegandus sit: tùm numquam, neque maior, neq; celebrior, quam sub Patroni Festum mense Maio, & hoc quotannis: aut sub sacrarum ostensionem reliquiarum, mense Iulio, singulis tantùm septennijs. Quare proxima D. Seruatii celebritate tantus alienigenarum è tota Gallia, Burgundia, maximè-

que Britannia concursus atque impetus fuit, vt paucis diebus tredecim millia peregrinorum hic censa sint. Nostris itaque pondus diei & æstus incubuit: atque ab exortu solis ad occasum in labore continuo tàm in nostra, quàm in æde primaria confitentibus aures datæ. Molestiam lenibant ipsæ pœnitentium lacrymæ, suspiria, gemitus, circaque aram D. Seruatii humillima nudis genibus adreptatio. Promptis tamen nostrorum ad omnes iuuandos voluntatibus non pares omnium vires fuêre, cum & in tàm infinita hominum multudine, atque ex tàm multiplici squallidorum egenorumque anhelitu, tàm graui templum odore oppleretur, vt ingressus ipse esset horrori, nostris nihilominus in statione sua magno animo perseuerantibus, fuit vt vni atque alteri per incurrentem morbum labor foret deponendus: cæteri verò quibus virium plus fuit, haud ignari locum hic, si vsquam, isti Imperatoris dicto dandum esse: Christi bonus odor, toti in animarum lucra per squallores, per nidores incubuêre. Atque hæc in festo D. Seruatij. Cùm autem solemnis illa reliquiarum demõstratio, duobus pòst mensibus per dies quatuordecim in duobus templis præcipuis fieret, rursus peregrinorum concursus, rursus nostrorum labor, quotidie ab vno è nostris, iam Gallicè, iam Flandricè concio reliquiarum ostensioni præmittebatur.

Catechesis vt nè deflorescceret variis est actibus interpolata, inprimis profuêre breues atque appositi ad illiciendos tenendosque Auditores dialogi, iam pueri IESV in medio Doctorum disputantis, iam S.

iam S. Catharinæ Philosophos redarguentis, iam S. Ceciliæ Tiburcium & Valerianum fide Christiana imbuentis, iam Regum trium Christo infanti munera offerentium, quæ cum nonnullo exhibita apparatu iuuentutem vrbanam, imò & parentes ipsos ad eam doctrinam vel sectandam, vel liberis imperandam, mirum quam incenderint. Neq; tamen hæ res tàm prosperæ fuerunt, quin eas aliqua æmulationis salebra confricaret. Certi ordinis superior priuatim publiceq; ordini suo præceptam concionis horam lectioneque hac occupatam, questus est, multis enim retrò temporibus habitam à suis in eodem, & templo, & hora concionē, nunc eam horam malè à nostris vsurpatam, iure bono abs se reposci, & nos repetundarum reos facere: fortè memoria exciderat ipsummet aliquot ante annos in idem ascensum præbuisse, cessimus tamen, & hic iam secundo didicimus, alijs cedendo non nimium nobis decedere. Nam ipse vrbis Gubernator, pro suo in Catechismum studio, eiectos è prima parochia, in ampliorem ac nobiliorem locum auctoritate sua traduxit. A D. Seruatij enim Canonicis, vt sua in æde omnium maxima nobis erudiendę pueritiæ facerent facultatem, impetrauit. Ita qui nouam Catechismi institutionem cudebat, ad idemq; nostris deprimendis alios ordines inuitabat, isto primæ suæ molitionis improspero successu, eius ꝓpositi perseuerantiam interrūpit. Sodalitas est quædam eiusdem doctrinæ, ea vtriusq; ciuilis Ecclesiasticiq; Magistratus capitibus constat, cui noster vt director præest. Hæc vltima congregatione decreuit ex vna Schola (domi-

nicalem vocant, vbi Christiano tirocinio soli ferè pauperes erudiuntur) quia nimis conferta turba esset, duas inposterum esse oportere, item totius iuuentutis, quo absentium mutandorumque ratio haberi posset, accuratam descriptionem faciédam. Tertio libros futiles ineptosque de Scholis triuialibus proscribendos: proindeque Canonicis vtriusque Collegij, quorum sit ea cura propria dándam operam, vt certos libellos vernaculæ conscriptos, erudiendis paruulis turbæ ludimagistrorum præscriberent. Quam quoque in partem sedulò ab nostris inuigilatur. Hæresim abiecêre quatuor. Quibus facilè patior Gallum quendam è Lemonicum tractu hùc peregrinum, sese numero quintum addere. Quamuis enim nulla nostra opera, sed alrerius tantum magni viri in Gallia conuersi sit secutus exemplum, tamen hic errores eiurare, hic iustas ob causas Baptismi aquis sub conditione tingi voluit, hic denique subdoli hostis technas expertus, fidei nostræ signo refutauit. Quodam die è Xenodochio in locum abditiorem manè egressus, adesse sibi aduertit nescio quem (ministri hæretici color, habitusque erat) qui inter sermonès, itanè, inquit, à tramite veritatis transuersim te rapi passus es? imò ab errore in viam, ait ille, simulq; manum fronti, isto quamuis inuitissimo, Crucem impressurus admouet, inprimitque, & mox quam vanus esset is comes, cùm euanuit, apparuit. Iam cæterorum quæ restant quædam perstringo tantùm. Christianæ enim pietatis in militari contubernio fax salutaris eluxit. Gregarius miles commilitonis sui á malitia saucij animam Zelo pietatis
sibi

ſibi cœlo lucrandam duxit. Itaque diù eum hortatus, ſuæ vt ſalutis curam, tanto in vitæ periculo gereret, dùm fruſtra niti ſe videt, auxilium à noſtris expoſcit, vnumque è Patribus ad inuitiſsimum licet hominem ducit. Iſtum noſter nihil quam de mente curanda minus anxium, præſertim quod vulnus, etſi in pectore non vſque adeò lethiferum chirurgo videretur: inuenit, conuenitque; ſed nihil primo congreſſu, neque de condonanda percuſſoris iniuria, neque de animo expiando proficit: tamen inſequentibus dieb⁹, ſiue ex infixo monitionum aculeo, ſiue ex contubernalis pia ſolicitudine, reuocat noſtrum, neceſſaria ediſcit, vitam recognoſcit, omnium deniq; annorum inſignem pœnitentiam agit, recurato deinde vt videbatur, obductoque vulnere, ad eiuſdem vel alterius inteſtini mali ſenſum, vicinam mortem præſagiens, rurſus accito Patri confitetur, capit viaticum, excedit. Quæ nunc tàm pio commilitoni debetur ciuica, per quem iſti vita æterna, vt ſpes eſt, condonatur? Templi ædificiique contigui ſtructura iuſtè proceſsit: amicorum item benignitas, primo D. Gubernatoris, qui ſemel trecentos, ſemel, vna cum cohorte ſua præſidiaria, quam ad liberalitatis communionem inuitauit, quingentos florenos contribuit: deíde viri conſularis, qui totidem, etiamq; Magiſtratus, qui tota æſtate in ſingulas hebdomadas florenos quinquaginta addixit: poſtremoque vnius piæ matronæ, quæ trecentos prius mutuos, deinde nobis proprios eſſe voluit.

COLLEGIVM BRVgense.

HIc habitauêre 27. Sacerdotes 12. quorum vnus aliis quinque Magiſtris ſociatus, cæteri officiis domeſticis deputati. Domi, foriſque labor, fructuſque haud pœnitendus. Prima hebdomadæ ſanctæ feria conquiſiti à noſtris vndique huius vrbis pauperes ac mendici, atque ad Collegium ſpe boni nonnullius certa hora præſtò eſſe iuſsi. Adfuêre amplius trecentis. Ergo in claſſes duas Gallorum Flandrorumque ordinati, ſua vtrique lingua confeſsionis communioniſq; præcepta ante meridiem edocti; poſt meridiem, cuncti ſimiliter eodem ſpei fomento ad peccatorum ſarcinas in templo noſtro deponendas conuenêre. Vbi poſteaquam ſe exonerarunt, tùm ſigillatim à confeſſariis nomen Ieſu in charta deſcriptum, ad obtinendam pro foribus noſtris ſtipem, vice teſſeræ datum. Quod quicumq; ad ianitorem referrent, ſingulis panibus candidis donarentur. Annonæ caritas tùm erat, fuêreque diſtributi panes trecenti quinquaginta. Sicque miſella iſta natio duplicibus miſerijs animæ corporiſque nonnihil eſt ſubleuata. Aliàs quoque per eandem acerbiſsimæ hyemis, annonæque difficultatem, complures militum Germanorum ægritudine, inedia, nuditate miſerabiles noſtris aliorumq; conquiſitis per nos eleemoſynis, cibo, potu, veſte aliqua donati, ſicque in publicum & ad Sacramenta inducti, plures alios macie ſua, & ſquallore ad eadem charitatis officia

ſibi

ſibi Sociiſque exhibenda permouêre. Ex his quindeni magno natu, quorum bona pars ſeſe confirmationis oleo ſignandos Reuerendiſsimo Epiſcopo exhibuerat, ab eodem ſunt menſa tùm excepti. Plures duodecim relictis Lutheri, Caluinique caſtris, ad militiæ Catholicæ vexillum tranſiêre. Inter quos in Tubingenſi Academia honorum gradus quidam conſcenderat, qui dubio mentis iudicio annum ipſum inter fidem, erroreſque fluctuatus, tandem in Eccleſiæ portum euaſit. Idem nunc, & cum illo vna vir alius eruditus, æquè hæreſeos lacte nutritus, poſt receptos ſe in veræ matris ſinu, eiuſque viuificis refectos ſacramentis, optata iam demum conſcientiæ pace ac tranquillitate perfrui cum grato animi ſenſu profitentur. Gallorum Germanorumque militum non pauci à via fidei hactenus aberrantes, nouum Eccleſiæ Sacramentum dixere: & Oſtendæ quidem loco hoſtium latrociniis olim infami, ſuus diuinis reb⁹ honos redditus, debitaque priſcis Cærimoniis veneratio reſtituta. Oleum Sacroſanctum à Brugenſi Antiſtite datum ſolemni publicoque ritu, quod adhuc clandeſtinè tantùm, ſummam in ædem eſt delatum. Etiam terni deni numero Catholicorum prona volũtate adſcripti. In eadem vrbe ciuis primarius & locuples, conciuem ſuum, à quo ſe iniuriis violatum querebatur, ſtricto ferro ad necem perſequebatur, cædemque iam patraſſet, ni vnus è noſtris iſtàc fortè tranſiens medium ſe immittere auſus, ipſi furioſo gladium è manibus vi ſumma extorſiſſet. Ita optimi & ciuis & amici noſtri vita confidenti charitate conſeruata. Vnus Deiparæ ſe-

rico amiculo aureis quamuis prætexto exornauit: alij sacrario eius cohonestando haud exigui precij supellectilem adiecere. Nonnulli hebdomadarijs confessionibus semestres generales, licet nostri moris ignari, adijciendas sibi pio instituto maiorem ad profectũ imposuêre. Funebris verò pompa, qua suum extulere consodalem, placido pietatis affectu, non modò condiscipulorum, sed etiam ciuium animos permulsit. Antecedebant funus qui vexilla & imagines D. Matris deferebãt. Chorus musicorum sequebatur, psalmos in vicos, quà ad templum via est, modulantium: deinde cætera Sodalium turba ordine suo. Defuncti corpus ab Adolescentibus Angelico habitu conuestitis succollabatur. Dixisses non funus duci sed triumphum agi. Venio ad Catechesim, ea septem locis numeroso paruulorum grandiorumque concursu, ardentibusque omnium studiis celebratur. Nã illi quidem ita flagrant, vt tarda sit omnis Catechismi hora: Hi verò vel hora altera, nè locus desit, horam præuertunt. Ita nimirum ordine, cantu, quæstiunculis, gloria, munusculis, cunctorum animi capiuntur. Initio enim suaui modulatione, nunc à puero, nunc à puella, nunc à pluribus simul choris, inde puerorum, hinc puellarum, hymni pij lingua patria continuè præcinuntur: tunc indicto turbæ silentio propositisque modestiæ, atque audientiæ præmijs, quæ nullus cùm mereatur, nisi qui manibus orabundorum ritu decenter complexis, oculisque in Magistrum conuersis, sedens in silentio perseueret, sic coram octingentis, eoque amplius pueris, nullo vel minimo strepitu interpellante,

puncta doctrinæ Christianæ explicantur: interque alia ternæ quæstiunculæ circa ritus traditionesque Ecclesiasticas à quibuscunq;, quibus id cordi fuerit, lectione proxima soluendę proponuntur: vnde fit vt solicitè liberi à parentibus, hi ab eruditorib⁹, enodationem exquirant, eoque nomine interdum in concionem paruulorum nonnulli veniant, vt percepta earum expositione doctiores domum redeant. Post eas quæstiones è pueris iam quini, iam deni, iam numero maiore inter se interrogāt, respondentque ea scilicet quæ à Doctore, scripto accepta didicere: quorum singula responsa idem ille qui præest excipit, enucleatque. Quo facto iterum cantus, iterumque noua expositio. Resq; fit illustrior, quod pueri puellæque cantandi periti in certos choros bifariam dispertiti, scamnis altiorib⁹ insident. Istique inter canendum, corona in vertice, lauru in dextra conspicui, hæ totidem in choros ex aduerso æmulæ, veloque ferè byssino, alioue patrio tegmine opertæ candidissima manu lilia prætendēt, es, discertāt autem apparatu maiore quotannis, aliquoties sparsis inter sese quæstiūculis, mira inter dicendum vultus morumque ingenuitate & gratia. Cùm est dies aliqua solemnior, ei congruum quidpiam inducitur, vt proximo aduentu D. Ioannes Baptista efformato quàm proximè veritatem habitu, qui ramosum ingressus suggestū, oratione conuenienti pœnitentiam deprædicans, suspiria & lacrymas, confitendique voluntates expresśit, aliàs Gabrielis ad Virgin em nuncius: aliàs Reges Pastoresque ad præsepe: aliàs alia. Dominica verò Palmarum quædam virguncula horam bene mag-

ne magnam, B. Veronicæ perſonam agens, cùm bis mille circiter hominum adeſſet, ſummo ſilentio, nec ſine inſigni animorum commotione audita. Matrona quædam tres corollas affabrè factas, per tres filiolos ſuos verſibus abs ſe congruenter compoſitis, ipſo SS. Trinitatis die, Sanctiſsimæ obtulit Trinitati, Patri cæruleam, purpuream Saluatori, candidam Spiritui Sancto. Plura eiuſdem modi alias ab alijs variè excogitata animos tenuere. Viſum ſemel triginta notis dignoſcendam hæreticorum Synagogam in medio ponere, multis licet eorum ringentibus, tamen fuêre qui libenter vincerentur, cederentque veritati. Mulier Hollanda cum eidem aliquoties doctrinæ interfuiſſet, damnatis gentilium ſuorum erroribus, perfidam inquit, iſtorum euangelicorum fidem! Ieſuitas mihi tetro carbone velut dæmonas depingebant, & ecce illos nunc intueor vt Angelos Dei. Ad promerendas vltimi Iubilei gratias, ad ſtatuta templa exercitus idem iſte puerilis velut acies bene ordinata, hoc ferè proceſsit ordine: agmen ducebat Angelus Catechiſmi tutelaris, circum maiorem, hedera veſtitum, bracteaque aurea interſtinctum, manu tenens, in quo Catechiſmi titulus pedali atque conſpicuo charactere exarat⁹: proximè autem vexilla aliquot piis ſignata imaginibus, deinde totus grex iuuentutis longè maximus quaterno inceſſu, primo pueri, dein puellæ ſequebantur. Quibus vicini erant cantorum chori, in ſenos, denos, vicenos diſtributi: poſtremo ipſa pompa. In prima fronte virgunculæ virtutum formas idoneo habitu ſcenico referentes, primo tres Theologicæ, tùm qua-

quatuor quas vocant Carninales, dehinc aliæ septem totidem peccatis capitalibus oppositæ, post has Euangelica consilia succedebant. His subibāt bonorum operum genera, istis opera misericordiæ:& nè sim longior, eodem filo cæteram sequelam seu virtutum, seu vitiorum imaginare. Sed etiam intererat Michaël Archangelus & virtutum Regina, & secundum eam pœnitentia, vinctum trahens cum tota vitiorum cohorte mundi Principem. Hanc pompam plurimi mortales studio suorum in tàm insigni turba excognoscendorum consequebantur. Vbi ad forum ventum est, ad meditullium, ibi ad Augustißimam D. Virg. statuam omnes geniculati, & in eius honorem hymnus foro medio decantatus. Inde vlterius ad ædem sacrā, & ibi oratione facta, retrò in locum, vnde egreßi in publicum erant, pari silentio modestiaque reuertêre. Ex quibus sentias haud longè à vero aberrasse, qui nihil aliud sibi vrbem Brugensem, quam magnum videri Catechismum dixit. Denique res nostra cùm familiaris, cum sacra nonnihil accepit hoc anno incrementi, illa quidem aliquo auctu vectigalis: hæc verò partim argēteorum pocillorum vsui altaris, partim Angelicarum statuarum, ex eadem materia, partim quoque trium vestium Sacerdotalium acceßione, quarum vnam argenteam preciosam, trecentisque amplius florenis æstimatam, pia quædam matrona filio, quem vnicum Societati nostræ obtulit, primum sacris operanti commodatam, huic Collegio dedit. Noui Gymnasii structura superiori anno Brugensis atque Franconatensis Senatus prolixa benignitate incho-

inchoata, iam ad faſtigium vſque eleuata. Itaque ſub autumnales nuper ferias, quo tempore iuuentutis noſtræ inter ſuos principibus nauatæ diligētiæ præmia diſtribui ſolita, eorumdem Mœcenatium deprædicata in theatrali ſcena liberalitas, nonnullum ſui in litteras fauoris fructum bene audiendo percepit.

COLLEGIVM Iprenſe.

NVmerati hoc anno Ipris è noſtris 19. Sacerdotes 8. è quibus vnus cum Magiſtris quíque claſſes miniſtrant; cæteri rei domeſticæ Adiutores. Nouum ſcholarum ædificium, quod quinque exedris, aulaque conſtat perampla, ante biennium inchoatum, hoc demum anno perfectum eſt. Omnibus ergo comparatis Reuerendiſſimus Epiſcopus Iprenſis, poſt breuem, & appoſitam ſingularum claſsium gratulationem, Gymnaſium ſolemni benedictione luſtrauit. Mox in templo noſtro ritu Pontificali in magna procerum Corona, ad implorandam Spiritus Sancti gratiam, ſacris operatus eſt. Denique feſta pompa, eò traducti Studioſi, tota applaudente ciuitate, data paulò pòſt in ea aula Tragicocomedia de vita & Martyrio SS. Iuliani & Baſiliſſæ, inſigni apparatu, nouo in id theatro à Senatu decreto, picturis variis acuatim diſtincto: & venuſtè cecidit, vt ſub idem tempus vir nobilis aliquot è bracteato corio periſtromata Collegio moriens legaret, ea ſcenæ aptata illuſtriora omnia reddidêre, reddentque in poſterum. Lectiſsimo auditorio mirificè placuit ſeu argumenti

pietas,

pietas, ſeu dignitas actionis: Reuerendiſsimo inprimis Antiſtiti, qui imminente tùm ſtudiorum renouatione, lautis præmijs iuuentutem munerare voluit, attributis in id florenis quinquaginta; ad feſtum templi ornatum acceſsêre coronæ penſiles Phrygio opere amplius quadraginta. Hoc anno quo toto inter Sereniſsimos Archiduces, & ordines Hollandiæ de pace tractatum eſt, etiam Collegio huic quaſi quoddam concordiæ ſidus illuxit, lites enim aliquot moleſtæ, quæ nobis cum viris quibuſdam nobilibus intercedebant, amica trāſactione conſopitæ; vna inprimis, quam Collegiū adeunda prioratus cuiuſdam poſſeſsione ſuam fecerat, quæque duobus penè ſæculis expediri non potuerat, [illegible] qua idem Reuerendiſsimus Præſul, pro ſua humanitate interpres, ac Angelus pacis eſſe voluit. Hoc facto quieti Collegij, publicæque ædificationi conſultum, magna optimatum approbatione. Cæterum in omnibus Societatis noſtræ officiis, domi & foris ſtrenuè laboratum. Morientibus cuiuſque conditionis opera præſtita diù noctuque. Ex his quidam vir primarius quingentos florenos Collegio legauit. Supplicio afficiendis ex voluntate Magiſtratuum vſus obtinuit, vt noſtri aſsiſtant; & ſolemne eſt cum ijs in cuſtodia ſupremam noctem tranſigere, quò aptius ad mortem comparentur, horum cum nemo non piè obierit, tùm in duobus maximè enituit diuina bonitas. Alter ob latrocinia morti addictus, mira in Caluiniana hæreſi pertinacia, cum iam rationibus reſpondere non poſſet; obſtinabat ſilentium: ergo noſtri à diſputatione ad preces verſi; quas ille etiā

illu-

illudebat; inde visum est hominem aliquot horis sibi relinquere, quo spatium haberet secum expendendi quæ audierat, summo mane redintegrato certamine nonnihil melior visus est, donec tandem imminente hora supplicii, nostro vehementius contestante de eius salute conclamatum, siquidem in hæresi mori vellet, si verò ea eiurata Ecclesiæ Catholicæ remedia amplecteretur, animam suam ad Christi tribunal opponente, manus dedit. Et ab vltima pueritia exomologesi facta, spei plenus in veræ fidei professione magno omnium gaudio; iudicum imprimis & nostro, vitam finiuit. Alter, nullum inquieti animi signum dabat, cùm ecce sub ipsa propè carnificis manu Sacerdotem nostrum seuocans, magno documento fuit, quanti referat huic hominum generi ad extremũ vsque spiritum adesse, eosque de sincera confessione identidem admonere. Pauperum inopiæ verecundiæque corrogatis eleemosynis consultum. Puella ex ijs, quæ ad Catechismum ventitant, & in nostro confiteri solent, non prius monendo destitię, quam matrem suam propè sexagenariam, quæ à triginta amplius annis pœnitentiæ Sacramẽto abstinuerat, ad confitendum de tota vita vni è nostro adduxit. Maior B. Virginis Sodalitas, quæ Ecclesiasticis, nobilibus, & honestis ciuibus constat, hoc demum anno ad meliorem formam, maiorem frequentiam exactioremque Romanarum legum obseruationem traducta, magna bonorum omnium approbatione. Cætera cum alijs ferè similia.

COLLEGIVM CORtracenſe.

DEguntin hoc Collegio Socij triginta quatuor, Sacerdotes vndecim, Magiſtri ſex,tirones nouem,vno minus Coadiutores, tironibus ſecundum tirocinii annum per ſtudia græcæ latinæque linguæ exigentibus bini è Sacerdotum numero præceptores aſsignati. Vita exceſsit Ioannes de Bois patria Namurcenſis,annos natus quiquaginta ſex,quorum in Societate viginti quatuor, in continuo ferè culinæ, ac perdiligenti miniſterio expendit. Eum pietati, mortiſque meditationi impenſius vacantem morbus vltimus occupauit, dieſque octo acerbis doloribus agitatum, nono eripuit. Nec enim fefellere eum tacitè ingruentis lethi veſtigia, propterea maturus in ſe comparando,experendiſque vltrò viæ Sacramentis,itineri ſe beatorum accinxerat,quod comite ad extremum vſque patientia, cum ſpe bona ingreſſus eſt:hancque poſt ſe famam reliquit,facilem admodum, cunctiſque commodum fuiſſe, dictoque ſuperiorum ſemper audiētem. Honeſta quædam, & admodum religioſa matrona nobis confiteri ſolita, diuturnæ ægritudinis languore affecta, nuncque lecto affixa, dùm ad ſe Sacerdotem confeſsionis gratia veretur auocare, mariti voto Deiparæq; meritis medelam inuenit. Nam cùm is ad B. Virginem quarto ab vrbe ſtadio diſtantem, pro coniugis incolumitate peregrinationem peregiſſet, illa eodem ferè momento,quo maritus domum,reuerſa eſt ad ſanitatem.

Pater

Pater pro filiæ salute, quæ varijs morbis adeòque spiritu maligno agitata (sic ab omnibus rebus sacris abhorrebat) vulgò credebatur nudum corpus lorica ferrea circumplexus, ad D. Virginem Sichemiensem spatio triginta milliarum deuoto itinere peregrinatus, eidem suæ filiæ beneficium melioris status precariò impetrauit. Quínquemestri infanti, cui brachium supra curationis modum intumuerat, admota B. Virginis è quercu Aspricolli statua, reddidit sanitatem. E minori Deiparæ Sodalitio nonnullus pietatis extraordinariæ bonus odor adspirauit. Nam Patronæ sacellum in vrbis mœnibus situm, turmatim cum suis decursionibus extremo hebdomade adire soliti Sodales, ibi litanias recitant, musicosque interdum modulos hortante festo adiiciunt, atque etiam exẽpla singuli, auspicante ipso consultore, aut è Sanctorum historijs, aut ex inauditiunculis domum repetentes in via commemorant. Catecheseos in certo pago is fructus fuit, vt pro denis aut vicenis, qui se viuifico reficiendos Sacramento in Paschalibus efferebant, nunc duceni, tricenique numerentur. Templi ædificatio superiori anno cœpta, simul cum adhærentibus ædificiis Collegio percõmodis, ad fastigium vsque perducta. In eam rem collectæ vicatim pecuniæ bis mille & quadringentorum florenorum summa perflata. Tantus porrò conferendi ardor fuit, vt matronæ armillas, alíumque mundum muliebrem, pauperes vltimum nummum, quamuis multum recusantibus, obtruserint. Sylua, lignorumque materies ab amicis, & nobilitate Cortracena suppediatæ.

COL-

COLLEGIVM GANDENSE.

FVêre in hoc Collegio 25. Sacerdotes 11. Magistri 6. Coadiutores 8. Etsi annus hic Gandensi Collegio lætus, vberq; fructibus, tamen nè iura hospitalitatis posthabeã, à mœstis exordiar. Nam P. Iacobum Blosium Antuerpia Brugas superiorum iussu contendentem, & in hoc Collegio iam hospitem, in medio itinere, siue media in obedientia mors intercepit. Hic Magister, hic studiorum præfectus, hic Rector olim fuerat, virtutumq; suarum, præsertim submissionis animi, non obscura monumenta in domesticorum animis reliquerat. Meminere enim nonnulli, etiam tùm cùm Rectoris officio fungeretur, vidisse se ollas mundantem, lateres perpurgantem, vilissimis quibusq; ministeriis, vt rebus præcipuis, inhærentem, insudantẽ: deniq; sui respectus ita negligentem, vt cùm ob vultus naturalem seueritatem subterfugere eum pœnitentes viderentur, ipse hoc velut sui cõtemtu exultaret, nihilq; de animi contentione laboribusq;, eo in genere propterea remitteret: atq; è cõtrario ita perdomandi corporis diligentem atque strenuum, vt cruore flagellorum ac verberum adhuc stillanti duritiem sacci cilicini non rarò superiniiceret. Eundem ferunt cùm in tirocinio versaretur, nunquam cœlesti illo altaris manna, absq; insolito quodam diuini saporis gustu, cæterorumq; etiam eduliorũ fastidio pasci solitum. Harum ergo virtutum, quasi vnanimis quidam in extremas

horas concursus, velut patientiæ ad ferendam carnis in tibia computrescentis incisionem subseruiuit, nam ita eam tulit, vt nostris à rei sæuitia oculos, ipsis chirurgis animum auocantibus, ipse solus pati constanti animo, & vultu; tantùm subinde in cœlum cum suspirio suspicere, ac pro ingenerata sui in semet vindicandi consuetudine, facultatem sibi culpas omnes pane & aqua expiandi dolere sublatam. Erat ann⁹ ætatis 43. in Societate 23. à quatuor votorum professione tertius, cùm abiit: & præter q̄ supra posui etiam aliquot annis humaniores literas, tribus Theologiā moralem docuerat.

Insignis in hoc Gymnasio iuuentus, & pietas Partheniis Sodalibus præcipuè cordi. Horum vn⁹ graui confectus ægritudine, etiam macie, coloreq; penè exanguis, vt mœstos medicorum iudicio parentes vidit, fretus Patronæ suæ fiducia, bono este animo, inquit, parentes mei. Si curare medici non possunt, num etiam B. Virgo non poterit? Quo extemporali filii sui dicto stupefacti iuxta & erecti parentes, in proximum pagum, vbi sculpta è ligno Aspricolli nota miraculis imago colebatur, eum duobus è nostris comitantibus deducunt. Hîc exomologesi simul & Synaxi recreatus, regredi ad bonam valetudinem cœpit, qua integrè recuperata, testes accepti beneficii festos versus, panegyrosque aræ salutari consecrauit. Quod æmulati eorundem studiorum riuales, die præstituto eum comitantes, sua ibidem poëmata iuêre dedicatum. Porrò ciuium Sodalitas vt ætate robustior, sic fructu. In eam è Canonicis, è Senatu, regioque consilio lectissimi quique adlecti; quorum in odorem virtutis ipse in D. Petri

Petri eximius Archimandrita, vir ætate iam prouectus, ac præ cæteris dignitate conſpicu⁹, ſe currere dignum duxit. Is ſummo cum animi ſenſu votiuã Sodalitii formulam cùm recitaret, omnium in ſe oculos conuertebat; eius exemplum ſecutus rerum ipſius Adiutor, idem mox votum nuncupauit, ſeque vna cum cœnobio in Virginis eiuſdem clientelam exhibuit. Id cauſæ fuit cur merito idem dies ſolemni muſica, feſtiſque carminibus fuerit celebratior. Iam vt breui multa complectar, aliorum Societatis noſtræ munerum hoc in loco commoda teſtantur, & ipſa auditorum in concionib⁹, quanta numquam antehac, frequentia, & creberrimus Sacramentorum vſus. Valetudinaria frequenter adita, vlceroſis, morbidiſque cibus obſoniumque Sacerdotis noſtri manu paratum, curatumq;: alia item neceſſaria, vrbis Præfecto ſumptus faciente, auctoritatemque interponente, liberaliter ꝓuiſa. Vincti in libertatem nonnumquam aſſerti: deniqueita cum vitiis luctatum, vt pene vniuerſa ciuitas ad eiuſdem Patris nutum, arbitriumque omnib⁹ pietatis exercitiis ſit compoſita. In hoc quoque idem incubuit, vt nè poſt diſceſſum ſuum iuuentus remaneret, ob parentum penuriam, inerudita. Decreti itaque Senatuſconſulto eam in rem annui floreni ducenti. Querebantur nonnulli Prouinciales de magnitudine vectigalium, de Præfectorum, exactorumque duritie: immunitas eo anno impetrata. Sexta verò feria ſanctioris hebdomadæ, cùm ipſe Gubernator multis ſtipatus, Patri inter deambulandum libenter ſe omne ius præfecturæ eo die ceſſurum dixiſſet,

bene habet,inquit ille,quando igitur Christus hodie plurimos exemit vinculis, & ego vinctos tuos flagito, etsi autem haud facile id factu erat,tamen qua in Deum est pietate, atque in Sacerdotes obseruãtia,ita fieri imperauit. Magna igitur his similibusq; officiis collecta militum ciuiumq; beneuolentia,qua tamen nisi commodo pauperum, numquam est abusus.Nam q, sacro & solemni D. Greg rii die,quem diem magnificis epulis ex more ciues celebrabant antiquo,rogatus nè publicę se subtraheret festiuitati, sed communis lætitiæ consors esse vellet, admisit ea lege, vt sibi charisq; seorsim obsonia mitterentur.Quod cùm studiosè fieret, ipse vniuersa fercula in pauperum hilaritatem (& erant admodum lauta) cum admiratione primo istorum,postremo etiam cum laude & amore trãsmisit. Deniq; ex ea Prouincia decedenti,è publico ærario ad templi Gandensis structuram Philippici centum addicti: Quibus Præfectus militesq; duo florenorum millia addidêre.Pòst verò cùm Gandaui,Senator vrbanus è prima nobilitate missionis eius enarrari emolumenta inaudiret,mille sexcentos florenos eiusmodi missionum bono promotionique adnumerauit. Iam vt hinc ad arces Philippinas gradum faciamus,eæ sunt certæ munitiones à Philippo Rege huius Hispaniæ Regis parente cõtra Hollandorum subitas incursiones in eo tractu excitatæ, ibi nec Sacerdos vllus erat,nec pietas vlla: penè ferarum more, sine Sacramentis, sine Cærimoniis viuebatur. Ergo diuini timoris, per abrupta vitiorum currentibus, frœni iniecti, recolligendæ ritu Catholico cœlestis gratiæ norma præscripta:
edia

odia nonnullorum in Sacerdotis noſtri oculis mutuo amplexu finita: longi temporis libidine falſo coniugii prætextu velatæ, in legitimas nuptias verſæ, idque non ſemel, vnoue in thoro, ſed ſepties, vbi contra militarem ludificandi, ac maledicendi licentiam & ſerii ſermonis faſtidia atq; contempt⁹, viriliter ſtando, & modeſtia, atq; humanitate cum ſannis ac ludibriis decertando: patientia & longanimitate, magis quam vlla alia re, quæſita victoria. Idem ferendæ fouendæuè pietatis ſtudium etiam in pagis viguit: in eoque inprimis, qui à D. Nicolao nomen, agrique VVaſiani fermè eſt caput, meſſis apparuit copioſior. Hic ad primum Patris aduentum latè rumore diſperſo, tantus factus eſt vndique omnium concurſus, vt ter eodem die concionanti, totidem vicibus ampliſsimum alioqui templum pro Auditorum turba eſſet anguſtum, cùmque diebus feſtis, vulgo promiſcuis paterent nundinationibus officinæ, iniecta animis tàm fœdi mercimonii religione, frequentibus pro concione inuectiuis, tota iam peruerſi moris corruptela conſenuit. Pro parca item atque reſtricta famelicas animas non plus ſemel quotannis diuino pabulo inſtaurandi conſuetudine, vſus frequentior cœleſtis menſæ introductus. Catecheſeos quoq;, dùm tradita rudioribus doctrina etiam magnis ſapit, guſtus aliquis impoſterum datus. Nam alendum è publico Sacerdotem quempiam, qui Chriſtianos tirones per noſtra veſtigia edoceret, ſuſcepere. Denique gratiſsima illic noſtrorum opera: & eius ditionis Magiſtratus templi noſtri ædificio ſexcentos florenos aſsignauit. Ita fit vt domi foriſ-

que propensas bonorum omnium in nos voluntates experiamur;ac domi præsertim, cùm & nonnullorum animi,quià nobis paulò ante hæc videbantur alieniores, sensim demitigentur, ipseq; huius vrbis Senatus totus commodis nostris studeat, qui & rei familiaris angustias florenis sexcentis leuauit; & tribus millibus,quos æde extruendæ hoc anno impenderat,alia insuper octo adiecit,cui publicę munificentiæ neq; priuata multorũ liberalitas defuit: nouoq; tẽplo acerui lapidum ingẽtes,antiquo rerũ preciosissimarũ multa supellex aggesta.

COLLEGIVM VALLECENENSE.

NVmerauit Vallecenense Collegium 23. Sacerdotes 12. Præceptores 5. quorum terni inter Sacerdotes comprehensi, reliquos Coadiutores. Doctrina Christiana præter dies festos in quinq; locis; etiam alias in nouem ludis triuialibus diligenter explicata. Eius discendæ feruorem in puerorum animis incendêre cùm frequens vtriusque prætoris præsentia,& alteri9 quidem in candidis panibus cibisque in pauperes distribuendis benignitas, tùm externus nonnunquã aliquis apparatus, cùm scilicet præcipua Catechismi capita è superiori loco lectissimi quique puerorũ scenicè induti,& sua siue virtutis,siue vitij epigraphe insigniti, propè vniuerso Senatu spectãte, exhiberent.Et interim adultis æuoq; maturioribus,maturior quoq;,& velut adultior fructus isque multiplex. Ab hæreseos errore duo: ab salutis desperatione vna; à duello par vnum reuocatum. Et quidem horum alter (is à Sacerdote nostro iurgii pro-

gij prouocationiſq; conſcio, hærere in æde noſtra, & tantiſper dùm aduerſarius, nefarijque ſpectatores eum in ſcelerato campo expectant, ſacris pluribus immorari iuſſus erat) is nunc inquam, in vnam religioſorum cohortem, honeſtiori cum hoſte tergemina pugna conflictur⁹, noui nominis Athleta tranſiuit. Fœmina ſuauiſsimis moribus diſsimillimo iuueni nupta, cum eius ferociam aſperitatemq; nec ferre poſſet, nec ſanare, id accepit à quodam noſtrûm conſilij, vt mariti Angelum tutelarem precibus conueniret, eiuſque opem in emolliendo coniuge poſtularet, ita paruo negotio talem illum habituram, qualem vellet. Talibus enim cõtra tales morbos remedijs P. Petrum Fabrum ſanctæ memoriæ, vnum è 10. primis, vti ſolitum ferũt. Pari ergo fiduciæ par euentus. Nam ipſa deinceps coniugem admodum facilem, commodumq; habuit. Violatæ in Feſto S. Nicolai, publicæ religionis pœnam opifex quidam in ipſo opere clarè deprehendit. Nam dùm poſthabita adeundi diuini ſacrificij cura, opus tertio aggreditur, tertio frangit: neque hoc interruptis quidem, ſed continuatis vicibus. Quod ipſemet damnum nulli alij, quam ſuæ vecordiæ, religioniſq; neglectui aſsignauit. Et verò iſta haud neglexiſſe, vni præ cæteris magno bono fuit. Nam certus ciuis eum tàm attentè primum regnum Dei quærentem in tẽplo noſtro conſpicatus, credidit ſuum eſſe illi & cætera adijcere. Duxit domum, cibo refecit, calceis, veſteque alia induit. Auxit verò huius Collegij nomen gratiamque apud populares crebra Guillelmi à Bergis ducis, Archiepiſcopi Cameracenſis, quamdiù hic commora-

tus eſt,cum noſtris conſuetudo. Nam & quotidiè in templo noſtro fecit, & idem templum duabus continuò Dominicis locum cœleſtis paſcuæ, vbi ouiculas ſuas precioſis de manu ſuaChriſti alimentis ſaginaret,eſſe voluit. Et quidem vtroque in iſto oppido ipſi Abbates magni nominis viri pueris in Catechiſmi certamine victoribus præmia ſtatuere, immò & Præſul ipſeHaſnoniēſis intereſſe diſſertationi voluit, poſtque eam, cunctorum indigenarum nomine ſingulares Patri noſtro gratias egit.Et nunc viæ piorum dogmatum paſsim cantibus perſtrepunt, ſcituq; ad ſalutem neceſſaria, puerorum vocibus,ſalubriter,eorum ignaris inculcantur.Homini ruſticano, vita ex graui morbo periclitanti, dùm ſalubri conſilio acquieſcit, animæque medicinam curationi corporis præfert, ita vtriq; ſimul incolumitas aduenit, vt non alii cauſæ quam peccatorum purgationi pharmacoque immortalitatis adſcribat.

Data fuêre hoc anno, primum inſtrumenta veſtiendis altaribus, è byſſo aliaque materia, alius atque alius coloris permulta. Item ſternendæ populo menſæ Euchariſticæ, inſignes mappæ damaſcenæ,tapeſque egregius.Et præter multa leuiora, exculptæ Lipſanothecæ habitu virgineo,dimidiatæ formæ corporis humani ſuppares, quæ ad vtrumque D. Virginis Sichemienſis latus conſpicuæ, venuſtis coloribus radiant: ipſa autem Deiparæ effigies corona ex puro auro redimita, cœptoque ligneo magnificentiſsimo, affabrè incluſa, plus quiddam habet maieſtatis. Suntque hæc omnia præter auream coronam ciuis Parthenii munus, piæ cu-

uſdam

iuſdam Virginis donum. Domi autem varia ſtructura, ſeu pontis ſuper Scaldim, ſeu ſacelli domeſtici, ſeu penſilium graduum miro artificio ad ſphæræ inſtar conuolutorum, quibus ad aulam Sodalitatis declamationumque eſt aſcenſus. Atq; ad initia quidem pontis (qui ob hoc maximè neceſſarius erat, quod per veterem tranſeuntes publico omnium ſeu ad Scholas, ſeu ad templum iretur, patebamus aſpectui) Senatus Valcenenſis trecentos florenos attribuit. Abſoluto igitur hoc opere ſolido, ſimul elegantique, plumbæiſque laminis & ſcandulis marmoreis cooperto, atque vndiquaq; affixis tamen grato interuallo feneſtris, communito, nunc magno viæ compendio, & liberi interim ab alienorum oculis, & immunes ab aëris cœlique iniuriis, ad Scholas templumque imus.

COLLEGIVM INSVLENSE.

INſulis commorati 27. Sacerdotes 13. quorum vnus alijs quinque Magiſtris adiunctus, cæteri rerum domeſticarum anminiſtri. Precium operæ in vnius peccatoris inſigni conuerſione eluxit. Is lurco erat ſexagenarius, vitę ſuæ & bonorū peſsimè prodigus, vulgoque ita notus, vt ludi opera crederetur, ſi homini nihil aliud ad eam ętatem, quam abdomini gulæque ſeruienti, eamque ob rem domeſtici inſtar turbinis omnia dilapidanti, atque in fœneratorias officinas deferenti, cogitaret quis aliquas temperantiæ leges poni poſſe, tamen Deo cor eius animumque inter Catechiſmi explicationem

tãgente; ab eo impetratũ est non modò vt ad frugẽ se reciperet, sed et. vt diligenti totius ætatis recognitione penitus animã perpurgaret, defectamq; tanto interuallo gratiæ spiritualis sanguine, crebris diuinæ Eucharistiæ medicamentis recrearet. Bis itaq; quot mensibus, ad viuifici illius Sacramenti sumptionem accedere, imposterum firmo mentis proposito decreuit. Atque vt hinc totius ciuilis pietatis aliqua fiat coniectura, communicantium in æde nostra multitudo, singulis quidem Dominicis mille circiter capitibus censetur; primis verò mensiũ, bis mille: festis autem solemnioribus, trecentis insuper aut quadringentis, cum tamen cæteris quoque in templis non exigua sit eadem ad Sacramenta adeuntium copia. Sacris B. P. N. commentationibus exculti nouem, quorum tres in Capucinorum, vnus in Franciscanorum Ordinem adscripti. Duodecim hęreseos erroribus expediti. Inter quos hi famosiores: vnus ex eorum numero, quos à præcipuo officio Prædicantes vocant, qui tuendæ exitialis sectæ studio, Zeloque feruidus, vicenis super recta fide congressionibus, tandem à deterrima nouerca profugus, ad veræ Matris sinum refugit. Tertius mercator locuples & pecuniosus, cui tanti suus error fuerat, vt eum amori patriæ anteponeret, eiusque causa voluntario ad Batauos exilio, seque totamque familiam prædamnaret. Sed cum vxor negotiorum causa hùc fortè remigrasset, ea conuentu Sacerdotis nostri, ad sinceræ amorem religionis extimulata, eodem pellicere maritum suum cordi habuit. Facta igitur habendæ à Principibus securitatis ad reuertendum, salutisque opera no-

ra nostrorum inueniendæ sponsione, coniugem literis ad reditum inuitauit. Nec ei conditio displicuit. Quare accepto principali diplomate reuers⁹, Ecclesiæ reconciliatus est. Neque aliam fuisse hactenus defectionis suæ causam vulgò prædicabat, quam perditam Sacerdotum vitam, quorum improbis moribus non consentaneam esse quam tenerent fidem, sibi persuadere non posset. Sed attentis sanctorum Episcoporum vigilijs, nunc multò accuratiꝰ viuitur. Pro castimoniæ custodia contra picturarum lasciuiam, fœdasque imaginum illecebras ventum. Ergo & pictor quidquid domi erat in imaginibus lubricitatis, aut coloribus obduxit, aut igni adusit. Vt vicino in castro, vbi turpissimæ rerum facies erāt, ad quas certatim ab proteruis currebatur, cùm plus obtineri non posset, vt fores diligentiori cura obseratæ spem voluptatis præcluderent, impetratum. Collegium propè iam ad fastigium ascendit, templi cultui plus mille florenorum: in noui Collegij augmēta haud minus quadragenis millibus vna æstate impensum. Adeò Illustrissimus comes huius vrbis Gubernator, & ipse vna Senatus, bene de Societate nostra mereri, gaudio, & honori ducunt.

COLLEGIVM MONTENSE.

IN Montensi Collegio censi è nostris 25. Sacerdotes 13. Magistri præter duos Sacerdotibus adnumeratos, quatuor. Officijs externis occupati 8. insignes hic annus optimiq; successus habuit pacificationes: præcipuā inter viros primæ amplitudinis, alterū vrbis prætorem, alterū Senatus Principē,

neq;

neque ſanè leui ex cauſa orto diſsidio. Quippe inter vtriuſq; liberos vulnera inſidiæque interceſſerant, fueratque alter ab altero clandeſtino dolo percuſſus, cuius parente tantam filii iniuriam non facilè decocturo; in magnas clades, peioraque exempla res vergebat. Pax ergo ſtetit in Patris Rectoris diligenti maturatione atque induſtria. Enituit verò in tenui fortuna, non tenuis fidei retinendæ conſtantia. Mulierem pauperculam germanus frater, celebratis in Gallia cum muliere hæretica nuptiis, aliquando hic reuiſerat, eamque hinc Pariſios cũ nouenni filia, vt cõmodius victuram, ſuadendo, hortando, ſecum pertraxerat, cùm ibi non multum moræ fuit, & iſti infauſti coniuges, eam ſuper fidei rebus exagitare, conuitiis & maledictis inceſſere, poſtremo gutturi gladiolum admouere, & nî ipſa qu amprimum à venenata, vt aiebat, ſecta Papiſtarũ reſipiſceret, aſſeuerare in iugulum extemplò adactum iri: illa nihilominus firmiter locum tenere, nec à ſuſcepto fidei propoſito vel latum vnguem deflexuram affirmare: donec poſt lõgam ibi luctam manibus elapſa, poſtque aliquot dies filiola quoque, quam in præſentia nequiuerat, per aurigam Montenſem, cui caſum expoſuerat, ſolerter erepta, præoptauit quinquaginta paſſuum millib⁹ mendicato hùc redire, quam faciliorem ibi vitam cum aliquo fidei detrimento agitare. Inter complures pagorum pueros certamen Catechiſticum initum eſt. Triũ enim quatuorvè pagorum pueriles turmæ in campum deſcendere: ibi aperto loco (nec enim templi anguſtię, prę ſertim cùm matres ipſæ, & cum his viri ſeneſque ſpectandi ſtudio

dio aduenissent, tantam multitudinem capere potuissent) hinc inde cantiones, quæstiones, responsiones, pugnæ in morem velut tela volitare, summaque omnes animi contentione, vincendiq; conatu hoc agere, atque in triumphum niti. Sic disciplina, quæ alioqui amara primo gustu visa esset, etiam cum auiditate hausta, & cum voluptate, gaudioq; digesta. Vide autem si hæc res non magnum quoque ad deuinciendos magnatum animos afferat momẽtum. Domino certi pagi ita inuisum erat Societatis nomen, vt seuerissimè vxori suæ omne cum nostris colloquium interdiceret, domumque admitti penitus prohiberet, ipsammet alioqui (quod candidè postmodum Sacerdoti nostro fassus est) locum domi non habituram: pòst verò vbi operam Societatis non intra locupletum gratiam, nobilitatisque respectum stare conspexit, neque adeò delicatum esse hominum genus, quam sibi ipse persuasisset, sed ad egenorum quoq; subsidia carbonariorumque mappalia humilesque casas, & despectissimos congressus, nec fortuitò tantùm, aut necessitate, sed ex instituto, gratisque extendi animaduertit, oculisque suis credidit, tùm amplecti nostros, tùm contra semet ipse suique similes tueri, & ipse al us esse: tùm pro annua confessione, sibi menstruam imperare, nec alio cognitore conscientiæ, quam nostro vti velle. Denique idem ipse in templi nostri ædificationem haud illiberalem nuper eleemosynam misit Hoc enim demum anno magna bonorum omnium aggratulatione, noui templi fundamenta, vtroque & regio, & ciuitatis Senatu, multisque Cœnobiarchis, viris-

virisque primarijs præsentibus, auspicato iacta: quibus primum lapidem Dux Arschotanus per legatum suum, quod morbo ipse impediretur, suffundauit; sacro, cæterisque Cærimonijs Illustrissimus ac Reuerendissimus Archiepiscopus Cameracensis ritu solemni operatus est: qui quo propensissimi in nos animi sui locupletius testimonium exhiberet, frequentissima concione super hac noua molitione verba habuit, eamque publicæ priuatæque cunctorum liberalitati commendauit. Quare eas sumus ciuilis munificentiæ iam nunc experti primitias, vt si cæteri temporis deinceps congruerit beneuolentia, haudquaquam futura sit exædificationis mora spe iustæ expectationis productior. Iā ædis nostræ antiquæ instrumentum precioso altaris peripetasmate ex auro textili, opere Phrygio: itemque pallio sacro, cæterisq; Sacerdotalibus indumentis, calice insuper binisque candelabris, & Polabro vaseolisque argenteis auro variegatis, bis mille circiter impensa florenorum, accreuit.

COLLEGIVM BERgense.

HAbuit hoc Collegium 22. Sacerdotes 12. quorum vnus inter Magistros. Ij seni fuêre, totidemque Coadiutores. Vnus Theologiæ moralis Adiutor. Cæteri in secundo anno tirocinij partim politiori litteraturæ, partim alijs addicti. Repetens vnus. Aperta hoc anno noua Theologiæ moralis Schola, magno & pastorum huius Diœcesis bono, & ipsius Reuerendiss. Iprensis Episcopi

piſcopi, quod datis litteris teſtatus eſt, gaudio. Ornauit eum diem primo ſolemne ſacrum, deinde ipſius profeſſoris in celebri conſeſſu, elegans oratio. Cui & ipſe S. VVinochi Cænobiarcha interfuit, vir ordinis noſtri amantiſsimus, & qui è cœnobio ſuo hùc aliquoties quotidie his informandos ſtudijs mittit. Scholarum Humanitatis fœlix curſus augeſcẽte diſcipulorum & numero & virtute. In his vnius admiranda indoles. Nam admodum puer, & tantùm decennis, duas ante hac Quadrageſimas, & nunc tertiam, ſeruato ex ritu Eccleſiæ ieiunio, ſtricte obſeruat: nec auerti ſe ab hoc more, & ieiunij amore permittit. Quin & illud omnibus hebdomadis quarta & quĩta feria ſibi indixit: tertiaque inſuper illi inoleuit optimi exempli conſuetudo: nempe rerum capitalium damnatos cum ieiunio, tùm roſario ab expiatoriis flammis, quantũ in ipſo ſit, vindicandi. Quædam verò religionis olim adſtricta, nuncque Iudæam ſe fingens, oppidoque Nazareth oriunda, filioque ſuo lumen linguamque à B. Virgine Sichemienſi redditam, perinde ementiens, bis baptiſmi Confirmationiſque Sacramentis initiata, lucellum vndiquaque mendaciis venabatur, hic tandẽ morti adiudicata, cùm totam in ſinceræ vitæ telam pœnitentia retexuiſſet, ſecurius exceſsit. Miles Normandus noſtri exercitus fideique ad Papiam in Hungaria deſertor, Turcarumque poſthæc decurio, ſimul hic tandem errorum, omniſque vitæ finem; cum magna diuinæ erga ſe bonitatis recognitione, in Eccleſiæ gremio ſpeque bona poſuit.

Hon-

Hondiſcatæ celeberrimo municipio Catecheſis, concioque de more habita: itemque Dumkercæ, ſed illud hîc amplius, quod ad Hiſpanum militem per Quadrageſimam, eius gentis lingua bis quaq; hebdomade peroratum, ſed in Nouoportu non ignoto Flandriæ oppido, opera fructuque res ſtetit. Hic binæ ternæve interdum conciones die vno habitæ, & eo motu, vt certatim ad confeſsionem Iubilei reſpectu confluentibus, à matutino ad veſpertinum tempus, vix vacui quicquam temporis permitteretur, idque diebus pluſculis. Hîc defunctorum piaculari die, circa templa, (quod aliàs inſuetum) in precibus magno paſtoris ipſius gaudio atque admiratione, à plurimis pernoctatum. Hîc triginta tres, damnatis nouarum opinionum erroribus, ad antiquam fidei certitudinem ſe recepêre, nihilque antiquius duxêre. Hîc iræ odiis flagrantes inter bono loco natos reſtinctæ. Hîc vir primarius, accepta à vili homuncione contumelia, poſt tres ad eum ſubmiſſos percuſſores, demum noſtri rogatu, ſimul contumelioſis iniuriam, ſimul percuſſoribus, quamuis re infecta, cædis faciendæ pretium remiſit; tamen ita ſi darent operam, vt peccata ſibi à Sacerdote per pœnitentiam remitterentur. Hîc denique mulier, mali ſpiritus intemperiis falſo agitari profeſſa, compluribus in fraudem pertractis, tandem à noſtro malæ ſimulationis deprehenſa, ſeorſimque à turbis abducta, dolum malum confiteri iuſſa, tàm plene acquieuit, tàmq; feruidè in pœnitentiam ſe dedit, vt eius nunc mirificum quoddam, ac ſingulare præſtet exemplar. Atque hæc peregrè. Reuiſo paucis domum, & ibi

iacta noui templi fundamenta reperio, atq; nonnullas item ædificiorum appẽdices nouo huic Collegio adstructas, constanti scilicet Senatus Bergensis etiam tali rerum statu in nos beneuolentia, neque taceo sacram supellectilem scypho argenteo iustæ magnitudinis porrigendæ ablutioni Eucharisticæ, itemque vario altaris ornatu adauctam.

COLLEGIVM LVXEMburgense.

Recensuit Luxemburgense Collegium viginti. E quibus Sacerdotes nouem, Magistri quinque, Coadiutores sex. Frugifer hic annus foris, sed domi admodum luctuosus fuit. Intrauêre enim morbus, morbique pedissequa mors familiam, & domesticorum aliquos graui ægritudine, vnum obitu, omnes mœrore atroci percussere. Nam Patrem ipsum familias, clarissimum non huius tantùm Collegii, sed totius Luxemburgensis tractus lumen, inuidiosa mors extinxit. Is est P. Theodorus Ottonius, patria Becanus, Collegii Rector, insigni virtute Religiosus. Nam cum morbis sanè multis grauibusque, asthmate, calculo, vertigine, podagra, chiraga, aliis super alios cumulatis conflictaretur; supra omnem querelam animus erat, & tamquam spectator solùm, non experiens morbum esset, bene habentis locum tenebat, in omnesque officij sui partes, nusquam nisi necessariò deficiens, excubabat. Fuitque aliquoties, cùm ad populum dicturus tàm debilis conscenderet, vt vel ipsius iudicio digiti impulsu sterni posset: cùm

interea constanti inuictoque animi robore perorans, morborum animi, vitiorumque monstra sui aliorumque victor prosterneret. Et vbi noua quæpiam infirmitas hactenus incognita adueniret, benignè gratanterque vt à Deo missam hospitem excipiebat, nouoque cœli beneficio se dignatum prædicabat. Nec vllum in supremo languore frequentius votum, quam vt doloris modus cum æquali patientiæ gradu increſceret. Iam verò virtutes suas quas secretas habuit! Qui tanto studio quidquid sibi laudi atque ornamento verti posset declinauit, vt eum nemo vnquam domesticorum vel minimum de rebus suis meminerit inferre sermonem. Neque illud silebo, quod extrema infirmitate, cum permutanda vestis eius intima, aliena opera, re exigente videretur, nonnulli cur (insolitũ sibi) difficilius hic acquiesceret, mirarentur; vt natura & virtute ad facetias grauitate, modestiaque conditas compositus erat, suam ioco leuauit admirationem, nempe ictu glandis sinistro in brachio, vulnus olim accepisse, & cauterium intelligebat, quod tanta hactenus industria occuluerat, vt nè intimis quidem notum esset, nedum vllis molestum: qui inuisebant seu nostri essent, seu amici, degustato eius spiritu vix siccis oculis diuidebantur, ante alios ipsi vrbis primores, quib⁹ identidem suos Luxemburgenses, vt verus parens, protensa in longum cura, toto nisu commendabat. Patri spirituali eum animanti, atque laborum metam velut è vicino præmonstranti, atqui magis illud, inquit, vereor, receperunt mercedem suam. Adeò popularem auram, pronasque in se hominum voluntates

suspe-

ſuſpectabat, quorum præſertim laudes, vt certas virtutum incantrices, plenis modeſtiæ velis refugiebat. Itaque noſtras etiam, pro longiore eius vita orationes, eodem ſubmiſsionis ſpiritu deprecabatur: iam enim ſummo Numini decretum, infructuoſam, infœlicemque arborem, vti ſe reputabat [& tamen qui conciones eius laudabat, non doctas, non diſertas, ſed ſanctas appellabat] de ſolo, quod tamdiù fruſtra occuparet, amputari: iam adeſſe tempus fertiliorem aliam, meliorumque fructuum inſerendi. Viſus verò eſt exceſſus ſui vicinitatem, quodam præſagio mentis, aliquanto ſpatio præuertiſſe. Nam P. Miniſtro rationem ei conſcientiæ, vt mos eſt, reddenti, cum inſolita quadam mentis teneritudine, age, inquit, Pater: in preces incumbe nunc diligentius. Nec enim diu, vt mihi videor, ſum ſuperſtes. Paulò pòſt cùm decubuiſſet, maturæ ſolicitudine animum ad omnia Sacramenta appulit, neque de extrema vnctione, quia firmior videretur ambigentibns dubitationem liberam ſiuit, ſed eam mox vſurpare voluit: ſecundum quam domeſticis, vt alter Iacob, largam paternæ pietatis benedictionem infudit. Tùm illa in ore & corde crebrò voluere. O BONE IESV. Mì Ieſu quando venies? fuitque ad extremum hoc ei nomen ſeu vigilanti, ſeu expergiſcenti ſingulare ſemper refugiũ. Tandem decimo ſeptimo Calendas Februarias, eodem ſcilicet die, quo anno ſuperiore frater noſter Ioannes Hartlibius, quem ob ingenuum animi cãdorem religioſa iunctam pietate, ſimplicitateq; mirè dilexerat, frequentique per annum memoria vſurpabat, voti ſui compos, ad eum Patreſq; ſuos eſt

aggregatus. Post mortem, in ore ac vultu color quam exanguium melior, vt quamuis morbi non parum ægrotantem deformassent, tamen vita functum, non auersareris sed amares. Iam honos sepulturæ cui adhuc in Belgio tantus? siquidem decreuit amplissimus ordo Senatorius Luxenburgensis, referente summo consilii Præside, vt P. Theodoro Becano optimo Luxemburgensium Patri, Apostoloque appellato, pompa funebris quã magnificentissima paratu, sumptuque publico instrueretur, vt personantibus spatio tridui toto oppido campanis, luctus mœrorque ageretur: vt curiæ parietes atro colore mœsti essent: & æque principis templi chorus consimili amictu communem omnium tristitiam testaretur. Quibus examussim factis, corpus ipsum honorificentissimo comitatu, ipsis ipsa sponte in partem pompæ venientibus Patribus Dominicanis ac Franciscanis, iis autem, qui de Sodalitate deque Magistratu aut cõsilio erant, ardentes cereos præferentibus, in summam ædem maximo ciuitatis concursu deportatum, atque ad sinistram aræ maximæ, sacris ritè & solemniter peractis, in sepulchro, vbi vxor Fundatoris templi posita fuerat, quodque ducentis propè annis intactum permanserat, religiosè conditum ac tumulatum. Neq; Luxenburgi tantùm, in omnibus templis, idque biduo (nam vt nè triduo, nostri inuidiæ metu intercessere) lugubris iste campanarum sonus, & exequiæ fuere, sed in remotioribus etiam eiusdem terræ oppidis, præsertimque Iuodii ab Canonicorum qui ibi sunt Collegio, & alibi à Pastoribus, quorum erat ferè nemo, quin

eiusdem

eiuſdem Patris conſiliis adiutum ſe in arduis ferret. Die ſecundo apud Franciſcanos, Senatu, & iuuentute noſtra ibidem ſupplicante, iuſta facta. Denique Dominus Præſes, qui præcipuo cum affectu viuentem coluerat, mortuumque ſaltem effigie tenus, quam ſibi depingendam poſt eius obitum in mœroris ſolatium curauerat, intra domeſticos parietes retinebat, tertio rurſus die in D. Nicolai à ſe ſuaque familia voluit parentatum. Etiam in ſacello curiæ per dies aliquot, præſentibus inibi conſiliariis, res diuina pro eo celebrata. Cætera eius Patris optimè virtutibus ſuis de Societate meriti, (quandoquidem æquum eſt propinquiores plus adire hæreditatis) eius Collegii domeſticis fideli retinenda memoria relinquo. Tres adoleſcẽtes Societatem noſtram obtinuerunt. Nobilis Adoleſcens diſciplinæ noſtræ haud ita pridem alumnus, poſtquam matrimonio iunctꝰ, caſtro cuidam Præfectus eſt, incolas, vicinoſque ſuos rerum fidei perquam rudes atque ignaros expertus, culturæ admota manu, inſtruendo, hortando, increpando plꝰ ſapere cœleſtia docuit, imò & Eccleſiaſticorum quorundam corruptelæ, pudorem, modumq; iniecit. Talis & vxor inter fœminas. Nam & ruſticanis mulieribus legendi roſarii, aliorumque piorum exercitiorum rationes præſcribit: & partes Agni cerei Luxenburgo, vnde nouem abeſt milliaribus, expetitas, byſſoque in corculorum ſpeciem contexta incluſas, contra veneficia, incantationeſque diſpertit. Septennis Puſio in montem à venefica transferri ſuetus, Deumque abnegare & portentoſa oculis pati prodigia, & damnatis intereſſe tri-

pudiis frequens adactus, ſacri Agni cerei geſtamine, velut immunitatis bulla munitus, omni deinceps nefandi conciliabuli commercio liber fuit. Eiuſdem Agni ſimul & confeſsionis beneficio, Adoleſcens quidam amoris ante infectus veneficio, amare deſiit. Bulgarus quadragenarius, Chriſtianis quidem in Bulgaria parentibus natus, ſed prima pueritia à Turcis captus, circunciſus, in errores, in militiam inductus, contra nos diù in acie in armis ſtetit. Pannonij eum cepêre, arctiſque in vinculis, quod lytro ſoluendo par non eſſet, diù habuere. Hic humani prorſus auxilii expers expeſque, priſtinæ educationis memor, veniã peccatorum plurima & calidiſsima prece Deum expoſcit; firmoque recipiendæ fidei Catholicæ propoſito de ſui liberatione, cum cœleſtibus paciſcitur. B. Virginem, Sanctum Nicolaum, aliumque Diuorum ſoluendis captiuis clarum in vota accerſit, atque ad Deum allegat. Itaque dormienti Deipara filium ſuum ſinu geſtans ſe oſtendit, ſpondet libertatem, & oculis abit. Ipſe expergefactus ſi quis præſtò ſit, rimatur, videt neminem, ad ſomnum rediit. Et ecce rurſus viſu nouo & noua proximæ libertatis ſponſione confirmatur. Vox erat, ora SPIRITVM SANCTVM, euades. An fortè quia inter Hongariæ vel Daciæ Arrianos tùm captiuus? veri ſimile eſt dictu, ideò SPIRITVM SANCTVM exorare iuſſum, quem ipſi temnunt; Quid multa? vix dies quintus interceſsit, & milites ex agro Luxemburgenſi olim in Turcas profecti, repertum eum, numellis, compedibus confractis, dùm hùc reuerterentur, ſecum adduxere. Itaq;

voti

voti reus, vno nunc è nostris directore in nouo militiæ spiritualis procinctu versatur, Diuiq; Bernardi cingulum & religiosi Ordinis arma exambit, vt meliora deinceps sub immortali Imperatore stipendia mereatur. Diuersa Religiosarum monasteria libentissimis earum superioribus, per admonitiones, & hortationes, consilia, in perfectioris vitæ formam redacta, rerumq; cœlestium gustu aliquatenus inescata. Deinde votum publicum, plurimis in adiacentibus pagis, de colendo in honorẽ B^mae^ Virginis à meridie Sabbatho, communiter nuncupatum (quia peccatorum hinc maxima occasio, & ex multorum vel incuria vel scrupulis nasceretur) in alia pia opera, cum Nuncii Apostolici facultate, incredibili rusticorum gaudio, & Soc^tis^ optima apud ipsos gratia, & existimitione commutatum. Oppida ad quæ itum, Vianda & Theonis villa. Hic quidem conciliatus nostris Gubernator, magis magisque, præsertim è funebri oratione in exequiis parentis orante nostro habita, magno ad aliorum conuersionem nobis vsui erit. Atque ex hinc sæpius ad Gallicas conciones in commodum salutemq; militis præsidiarii, etiamq; excipiendas confessiones Patrem aduocauit: ipseque adeò Gubernator ad pœnitentiam domesticis suis omnib^9^ exemplo præiuit: fuitque in Sacramentis vtilitas permagna. Milites item duo hebdomade sancta Patris intercessu vinculis exiere. Viandæ verò, quod Auriacæ ditionis oppidum est, per Quadragesimã, Catecheses, conciones, confessiones, & harum quidem multæ generales fructum habuere labori parem. Ad Catechesim, studio incredibili omnis ætas gradusq; concurrit. Ipse castri Gubernator

quamuis grandæuus, quamuis via difficili, tamen ad eam è monte in profundam vallem descendit. Vbi cùm causas inaudisset, cur pulsus ille Angelicæ Salutationis admonitor in templis institutus esset, mox in castrum suum reduxit, hodieque seruat. Idem Pater, Ludimagistris, qui terni totidem hic Scholas moderātur, auctor fuit atque hortator, diligentem vt Catechesis curam se absente retinerent. Et verò iam nonnulli totum Catechismum memoria tenent, publicèque in templo recitantes ingenti parentum lætitia, celeris sui progressus specimen præbent. Inter duos fratres nobiles turpi abiecta discordia, qua Sacramentis cum graui multorum offensione abstinebant, rediit germanitas concors. Sed nihil nostros æque in admiratione posuit, quam quod vilibus & abiectis mortalium, siue gregariis militibus morbo afflictis, seu plagiariis, ita destinatis ad necem, non clausos, non obsignatos officiorum nostrorum fontes animaduertere. Ita vnus qui de supplicio ad supplicium ibat, edoctus bona morte vltimum redimere suppliciorum, & se dignum cœlo facere. Sparso igitur per eos dies Societatis odore suauissimo, longe gratior reditus nostrorum eò fuerit, quam accessus fuit.

COL-

COLLEGIVM ATTRE-batenſe.

VErſati è noſtris Attrebati 21. Sacerdotes 9. quorum vnus inter ſenos Magiſtros numerand⁹, cæteri Coadiutores. Vita exiere duo: vnus P. Ioannes Foucquart, patria Athenſis, vir moribus placidis & ſermone taciturnus, actis in Societate 27. annis, & in tota vita quinquaginta octo. Anglorum ſeminario Audomari erecto, primus, & magna cum laude octo annis circiter præfuit. Aliàs variis in Collegiis varia munia, eodem vitæ tenore, poſtremo & vitæ ipſius hic extremum munus obiit. Alter Claudius Hagart, patria Hannonius, breuiorem quam prior, & Societatis, & totius vitæ curſum peregit: vitæ quidem annis quadraginta duobus, Societatis verò quatuor. Is relicta Parochi cura, atque (vt nonnulli talium appetentes beneficiorum appellant) ab opimo paſtoratu, ad optimam vt ipſe iudicauit, noſtram hanc Societatem tranſiuit, moxque à tirocinio celebres cathedras euangelii præconio calidus feruiduſque concionator, ornauit. Magna enim in concionibus dicendis vi, Zeloque præſtabat. Quo etiam nomine non paruum Atrebatibus ſui reliquit deſiderium, ad quos licet perafflicta valetudine, quæ tamen leuari ferè ſemper viſa eſt, poſtquàm dixerat, aliquot annos inſigni cū animi feruore verba habuit. Fuit vterque Adiutor formatus, & ſepulti ambo, vbi piæ memoriæ P. Ioannes Thunes, huius Collegii primus Rector in æde ſcilicet S. Vedaſti, libentiſ-

Ss 5 ſimo

ſimo eius monaſterii Præſule, qui Patres alios ſibi ſuiſque fratribus meritò fore apud Deum auxiliatores prædicat. Quin & iiſdem monumentum è marmore meditatur, dignus ipſe ob ſua in Societatem noſtram continua beneficia, æterno monumento. Is nuper inopiam noſtram familiarem non modica pecunia ſubleuauit, & propediem in noua quæ nobis extruxit ædificia fauente Deo commigrabimus. In cuſtodiis publicis, (vbi tàm grata Magiſtratui opera noſtrorum, vt ſolis facultas ſit quoſlibet, & quandolibet conueniendi) piorum libellorum copia ad vinctorum occupationem ſolatiumque procurata. Ibi certæ viduæ filius ob æs alienum multos menſes detentus, ſancta via liberatus eſt. Cùm enim mœſta mater nè Patris quidem noſtri vllis ad propinquos, adeòq; fratrem ipſum allegationibus, ſponſorem pro filio vllum inueniret: maiore tibi, inquit noſter, auxilio eſt opus: faciendum ſemel curabis de Spiritu Sancto, tùm fratrem adibis [inexorabilem antehàc ſe is prębuerat] haudque dubiè exorabis. Acquieuit, animumque inflexit, & filium eduxit. Conſimili pietate & in alias viduas, atque etiam in ætate confectos vſi ſumus. Plurimæ enim Virgines in parentum ſubſidium libenter nuptijs abſtinuere.

COL-

COLLEGIVM BRVxellenſe.

COnſtat hoc Collegium Sociis 43. quorum Sacerdotes 19. & ex his duo in miſsione Friſiæ. Profeſſores 6. Scholaſticus 1. Coadiutores 18. Habet Gymnaſium quingentos Adoleſcẽtes: magnam partem, quà nobilitate, quà ingenio præſtantes. Ij coram Sereniſsimis Principibus Alberto & Iſabella, Antonium magnum in theatro, partes agentibus non minus ducentis actoribus, ſingulari gratia & apparatu exhibuere. Tertio igitur reponenda eadem ſcena fuit, totidemque vicibus, [tanta rerum perſonarumq; nouitas, & varietas erat, productis ſcilicet Ægyptiis, Indis, Antropophagis, Barbaris, Pontificibus, Imperatoribus, Cardinalibus, Epiſcopis, & præterea variis animalibus & monſtris] ita multitudini placuit, vt Itali, Hiſpani, Galli, nihil par vidiſſe faterentur. Tanta igitur fuit multitudo ſpectatorum, vt credantur iſto triduo plures fuiſſe viginti millibus. Perque multos dies in aula Principum nulla de re quam de Antonio crebrior mentio. Ac nè voluptati tantùm fuerit, nulli autem vtilitati, Necromanticus, animaduerſis, quæ à dœmonibus contra Diui Antonii perſonam gerebantur, ſic confuſus animo captuſque eſt, vt poſtridie proiectis multorum annorum ſordibus, maliſque tribus eiuratis, ſibi Deum reconciliarit. Alii quoque complures ad ſæculi opũq; abdicationẽ eo ſpectaculo cõmoti. Maior Deip. Sodalitas allatis ex vrbe literis Romãæ hoc an-

anno aggregata, mirum quam nunc lectiſsimis ex omni ordine in eam adſcriptis frequens ſit ac numeroſa. Præter ſolitas conciones patria lingua etiam per Quadrageſimam in ſacello Principum, ipſis audientibus, habitæ. Et præter Catecheſes ordinarias, noua quoque altera in ſuburbano templo addita. Homini deſperationis ſpiritu acto, quem quatuor validi iuuenes rabiem, iraſque ſpumantem vix tenebant, cùm B. P. N. imaginem Sacerdos noſter obuertiſſet, illico feruidi motus reſedere, compoſque ſui factus, eidem Patri totam ibi noctem excubanti ſananda animæ vulnera dedit, ſenſimque ex inueterato malo, quod triennium iam obtinuerat, penitus emerſit. In cuius beneficii (q̃ B. P. Ignatio ſecundum Deum refert acceptum) gratam memoriam Deiparæ Virginis imaginem acu pictam Collegio dedit. Nunc ad miſsiones, in quibus etſi non breuis mora, nec fructus, præſertim in Friſienſi, tamen ſtylus breuis erit. Prius de Aloſto: vicinum eſt Bruxellæ oppidum, vbi promulgatis miſsionum noſtrarum indulgẽtiis, multos è finitimis pagis ad eas promerendas exſciuere: ibidemque condicto iam duello commodum interuenere, pactumque mortis nefarium, vita vtrique ſeruata, interrupere. Iam ad Friſiam quod attinet, ibi totum annum Patres duo commorati, & quo Reipublicæ Chriſtianæ bono, ſatis eſt inde fieri coniecturam, quod & ſancta repurgauere, & à vero Paſtore paſcuiſque per hæreſeos dumeta aberrantes, ad ouile Eccleſiæ plures ducentis reduxere. Dùm hæret hoc anno per temporum iniquitatem maioris templi fabrica, domeſticum ſacellum

lum noſtris, externorumque vſibus apprimè neceſſarium, nè foras diuinæ rei faciendæ gratia eundum ſit, interim exædificatum.

COLLEGIVM CAMERACENSE.

HAbuit hoc Collegium 21. Sacerdotes, 10. Magiſtros, quorum duo in Sacerdotibus computati, ſex, tironem vnum, Actores rerum domeſticarum ſeptem. Noſtros hoc anno variè grauiterque morbus exercuit, vnumque adeò, è Magiſtrorum numero, ætate, ſtudiiſque florentem, & iam ſecundum annum in regenda claſſe Poëtices nauiter, induſtrièque verſantem, exemit. Is eſt Magiſter Paſchaſius Antonij, patria Leodienſis, ea modeſtia, pietate, diuinorumque præſertim colloquiorum vſu, atque amore tanto, vt extrema ægritudine, quæ duos circiter menſes eum detinuit, cùm identidem abductus à ſenſibus cætera q̃ dicerentur, nihil aduerteret, tamen vbi de rebus diuinis ſermo miſceretur (ita nimirũ ijs aſſueuerat) tùm ſibi præſens eſſe, tùm ad ea quæ audiret attendere, dixiſſes hic ſolum viuere, cæteris pridem emortuum. Ergo in ea pietate, etſi nondum expleto in Societate quinquiennio, & 24. dumtaxat annos natus, conſenuit, atque ad vitæ alterius nouitatem ſpei plenus tranſiuit. Iam fauſtum cæteris in rebus initium ſanctæ B.P.N. Ignatij meditationes dabunt, quarum ſpirituales aquas, religioſi aliquot ex Ordine D. Benedicti hic velut è fonte ipſo, decurſis exercitiis, potati, in monaſte-

rium

rium ſuum egregia irrigatione deriuarunt. Atque vt intelligatur quanta fuerit, quamque diffuſa emanatio, non pigebit vnius datis ad Patrem noſtrum litteris teſtatum laudare teſtimonium. Eius hæc ſententia: indies, inquit, augetur noſtra omnium ad meditandum deuotio & deſiderium, plurimum inde fructum Deo fauente recipimus. Ad quod facilius præſtandum, omnes ad Eccleſiam certa quadam ſemihora conuenimus. Hæc ille. Ita trium Religioſorum [nec enim plures in his fuere exercitiis] bona diligenſque inſtructio, totam cæterorum turbam ad idem pietatis genus domi experiundum, continuandumque pertraxit. Iam ſanctarum reliquiarum quanta aduerſus morbos, quamque præſens ſit medela, in vna fœmina graui iſchiade vexata, nuper eminuit. Nullam ei quietem neque diu, neque noctu, vis morbi indulgebat: auctor fuit vnus è noſtris, tùm vt partem affectam aqua luſtrali aſpergeret, tùm vt Beati Patris Ignatii, Diuique Bernardi reliquias, quas ipſe commodarat, pro leuamento geſtaret, fecitque, poſtridie ſanitati reſtituta eſt. Ac nè redditæ incolumitatis cauſa vllatenus maneret obſcura paucis pòſt diebus cùm eas Patri noſtro reſtituendas depoſuiſſet, ſubitò priſtini dolores recrudeſcere: Iterum verò applicitis rurſus euaneſcere manifeſto iudicio viſi. Nec ſimilis experimenti exors vnus è domeſticis noſtris fuit, qui nocte quadam vehementi febre æſtuans, inſertis collo Beati Patris noſtri, vnaque Diui Ioannis Baptiſtæ reliquiis plene reualuit. Porrò tantus Catecheſeos ardor paruis magniſque iniectus, vt aſsignatum

tum

rum ei tradendæ tempus, nonnulli [tanta concurrentium multitudo] duabus interdum horis anteuertant, nec verò indulgentiarum honos, famesque minor: quando scilicet Iubilei tempore, non vrbani tantùm, sed rusticani quoque ex agris ingenti numero in ædem nostram Sacramentorum gratia certatim concurrerint. Postremo grauissimas inter viros acres bellicososque inimicitias, multorumque opinione, & experimento implacabiles (quippe quas mutuis vulneribus exulceratas, velutque sanguine scriptas, frustra curare non pauci tentarant) placuit Deo, constanti nostrorum labore & intercessu persanare. Terminetur hoc Collegium insigni amicorum aduersus nos fauore, sed præsertim Domini Dei incomprehensa in suos prouidentia. Fuit semel, cum domo magnis inter ædificandum impensis exhausta, nūmus domi reliquus esset nullus, quo inopi ac pauperculo cuidam operario, cui nauatę hic perdiligentis operæ debita merces erat, in præsenti persolueretur: & ille interim vrgebat exposcens & expectans vnde sibi suæque familiæ necessarium panem coëmeret, cùm noster nè in promptu quidem id temporis haberet, vnde peti mutuum commodè posset. Rursus ergo ad cubiculum atque ad euoluendos curiosius loculos conuertitur, dùmq; omnes funditus exinanitos deprehendens, quem adeat, vnde petat, dubius hæret; ecce tibi homo certus ab Illmo ac R^{mo} Guilielmo de Berges, Duce & Archiepiscopo Cameracensi ad Collegium missus, Patrem Procuratorem vocat, eique nec opinanti eiusdem Ill^{mi} nomine centum aureorum eleemosynam in manu ponit. Ita munificus ille Antistes

velut quodam nominis impulſu, vt ſæpè alias, ita nunc potiſsimè paupertati noſtræq; neceſsitati in tempore adfuit opportuno. Nonnihil quoque ad leuandam huius Collegii inopiam Illuſtriſsimi Gubernatoris Ioannis de Riuas, Societatis noſtræ perſtudioſi, valuit auctoritas atque commendatio. Effecit enim vt certorum redituum, quos huic Collegio primarii quidam opulentique viri à ciuitate Cameracenſi ex debito perſoluendas, nobis attribuerant, neque multis iam abhinc annis, ob ærarii inopiam, perſoluti erant, iam tandem ab Ordinibus Cameraceſiis ita ſolutio nobis addiceretur, vt quinquenni ſpatio mille floreni in annos ſingulos ad integræ ſolutionis complementum aſsignarentur. Item ab Archiduce Alberto Philippici centum dati, ad ædem verò quod attinet, veſtes aliquot Sacerdotales extimæ, magni precij, & calix quinquaginta coronatis æſtimatus, præter alios ornatus, aræque emblemata, in ſacræ ſupellectilis acceſsionem venere. Altare autem ipſum inſigni ac magnifica tabula affabrè ſculpta pictaque, ſumptu & liberalitate Magiſtratus Cameraceni exornatum. Centum quinquaginta coronati nunc in eam impenſi, & deinceps inauratio decorque varius expectatur.

MIS-

MISSIO HOLLANDICA.

IN ea ſeni hactenus Sacerdotes, nunc octoni verſantur. Quanto autem rei Chriſtianæ emolumẽto, clarius quidem pernotuiſſet, ſi litteræ ſingulorum in manus veniſſent; tamen vel ex binis quas Patres duo misêre, nõnulla poterit fructuum omnium fieri coniectura. Eorum alter, quamuis affecta frequenter valetudine, & virium minus potens, tamen hos mihi manipulos deportauit, auditos à ſe pœnitentes bis mille quadraginta ſex, refectos cœleſtibus epulis plus mille octingentis, initiatos aquis ſalutaribus quingenos quinos: ſuppletas lauacri cœleſtis Cæremonias in quinquagenis ternis: Adoleſcentem quendam annorum vnius & viginti ex Mennonitis parentibus oriundum, ſimul cum ſalubri lympha, incredibili mentis gaudio fuiſſe perfuſum. Is nunc è ſolo patrio ad noſtras Scholas diſciplinamque tranſmigrauit. Præterea centum circiter matrimonia indiſſolubilibus Eccleſiæ vinculis abs ſe conſtricta, cùm antea magnam partem nullo ſatis firmo ſocietatis glutino cohærerent. Moribundos item ad extremum agonem inuicti roboris oleo nouem inunctos, & de multis hæreticorum conuerſionibus hanc eſſe palmarem: magno natu virum, atque à Mennonitis, iam quadraginta antè annis, vt noto communiq; vtar vocabulo, rebaptiſatum, iam tandem veſperi deciduæ ætatis ab iſtorum ſecta excidiſſe, actaque præteriti temporis ſeria pœnitentia, iam in Eccle-

ſiæ caſtris militare, quin & ringentibus amiſſa tàm opima præda Sociis tenebrionibus, turpemque ab eo inuſtam ipſorum doctrinæ notam tali, tàmque ignominioſa defectione calumniantibus, reſpondiſſe: ſi talis olim Catholicorum vita, qualem nunc videmus audimuſque ſemper fuiſſet, neque ego vnquam, neque veſtrum alius quiſpiam ab iis defeciſſet; clarè nimirum innuens, totam hanc fidei corruptelam, non aliunde quam ex corruptis Clericorum moribus defluxiſſe. Atque hæc eſt vnius Patrum in terra iſta inuia & inaquoſa, tantiſque feræ hæreſeos vepretis fœcunda, huius anni meſsis, furtiua eius opera clandeſtinoque labore ſublecta. Alterius ſimilis ac propè gemina, ſiue in regenerationis fonte viuifico, ſiue in pœnitentiæ tabulis, ſiue in diuino pabulo, ſiue in coniugiorum nexibus, ſiue in extremis ad cœli certamen vnctionibus, pari ferè cumulo, numeroque in Domini aream horreumque congeſta. Parcam itaque repetitioni & paritati, tantùmque (ſemotis ſuppreſsiſque vulgarib⁹) aliquas ſingulares ſpicas hincce decerpam. Inuenta ergo, in ſpinoſis etiam Hollandiæ ſepibus candida lilia caſtitatis. Virgines enim duæ inter hæreticos rubos enatæ, voto concepto virginitatem Deo conſecrarunt, ſeque deuouerunt. Semel explicabatur captura piſcium Euangelica illa quam S. Lucas 5. cap. commemorat, & ecce integra familia in piſcatoris noſtri capturam ſeſe volens lubenſque implicuit, interque alios fuere duo præcipui piſces, Pater ſcilicet materque familias ſeptuagenarii. Neque iſta etiam improſpera fuit, alio die venatio, cùm ſcilicet filius certi Anabaptiſtæ,

ſtæ, iam annos natus viginti quatuor, neque dùm tamen vlla aqua Cæremoniauè extra gentilitatem ductus, ad ingeminationem interpretationemque iſtius Euangelicæ vocis: Adoleſcens, tibi dico ſurge, interno Spiritus Sancti ſtimulo confixus, ad fidem apprehendendam exſurrexit, finitoque quod tùm à Patre agebatur officio, ſeſe abluendum, cæteræque applaudentium Catholicorum turbæ adſcribendum dedit. Quem poſtridie eius diei, ancilla eiuſdem domus, cui Adriana nomen, iiſdem fidei veſtigiis, ipſoque feſto Sancti Adriani eſt conſecuta; & hanc alibi aliiſque temporibus, alii atque alii; quos huius inſtituti breuitas indicare hortatur, nō inhærere. Sed ipſis cineralibus nonnulla acciderunt, non ſcribenda in cinere. Nam vt omittam eo die vnam matremfamilias hæreticam à filia Catholica ad Patris noſtri concionem, & ex illa ad fidem adductam (placuit enim illi Cæremoniarum Eccleſiæ in cinericiis Crucibus expoſitio) etiam quiddam euenit in petulanti quadam proteruaq; muliere, dùm cineres ieiuniaque habet ludibrio, haud abſimile miraculi. Petebat ſibi carnes eo die dari, & petebat cum aliqua ieiunii quadragenarii deſpicientia: quibus guſtatis auſa hæc dicere: ita mihi bene ſapiunt, vt ſi ex me in cineres exierint, habitura ſim pro miraculo. Percuſſa igitur diuinitus laborare admodum ex pede cœpit, ex eoque lutoſa arena imprecationi ſacrilegæ congruens effluere viſa. Alia item coctori ancillās cereuiſiario, dùm omni die quibuslibet indiſcriminatim cibis veſcitur, tacta ſimiliter morbo, & elanguens, non aliam lāguoris cauſam, niſi præcepti tranſgreſſionem exco-

gitãdo inuenit. Ducta igitur facti pœnitentia, postquam carnium abstinentiam ex ritu Catholico seruaturam, simulque certas quotidie preces Deo fusuram spopondit, tum penitus, & sine mora conualuit. Memini me referre in Traiectensi, dæmonem vnum in Ministri hæretici persona cuidam Catholico recens fidei nostræ adscripto sese ostẽdisse, Cruceque ab eo pulsum diffugisse: simillimus est hic dæmon, qui piæ viduæ ab angelica mensa digressę, in forma habituque hæretici cum ioco cauillatorio se obtrusit, & nùm mellis accepisset (farinam ita indigenæ vocant) ex ea sciscitatus est, cui cum illa accepisse respondisset, & ille, vide sodes nè amplius faxis, alioquin æternis, si perseueras ignibus vstulanda: signauit se illa, circumspexit, neminem vidit. Appetit iam omnium, quas quidem habere contigit, annuarum clausula: eam Beata donis & muneribus Deipara Sichemiensis, auream dabit. Illa sæpe Catholicorum miseriis, ærumnisq; opitulata. Sed vulgatum est beneficium, & sæpè in hisipsis scripsi. Illud magis nouum, etiam à filio fideque alienis auxiliari. Mulier enim vna, vulgo Consistorii Caluiniani mater (ita benefica in istos erat) appellata, cum multos annos horribilibus pedum doloribus cruciaretur, ad MISERICORDIÆ MATREM, cuius honoris atque respectus etiam inter falsas opiniones retinens erat, supplex respexit, fidem secuta est, ad asperum collem, extorta quamuis ægrè mariti venia, eiusdem Virginis opem postulatura peruenit. Quid multa? illam inuenit. Qua nunc freta non destitit eius potentiam

tiam

tiam auxiliatricem suæ curationis exemplo deprædicare, hæreticorumque & affinium pertinaciam præsentis miraculi notitia confundere. His nos ad Dei Optimi Maximi ipsius Deiparæ gloriam & honorem fine imposito, acquiescamus.



ANNVÆ SOCIETATIS IESV LITTERÆ M.DC.VIII. PROVINCIÆ POLONIæ.



Ost diuiſionem Prouinciæ Poloniæ, à Prouincia Lithuaniæ, habet hæc noſtra, Sedes tredecim. Domum Profeſſam vnam. Domum Probationis vnam. Collegia ſex. Reſidentias, ſeu inchoata Collegia quinque. Numerantur in vniuerſum Socii trecenti viginti ſex. Sacerdotas centum viginti ſeptem. Scholaſtici centum viginti. Coadiutores ſeptuaginta nouem. In Domo Profeſſa Craconiæ ad S. Barbaram degunt ordinariè duo & viginti, Sacerdotes quindecim. Rei domeſticæ adminiſtri ſeptem. In Domo Probationis itidem Cracouiæ ad S. Stephanum quadraginta quinque. Veterani vndecim, quorum Sacerdotes quinque: nouitij Scholaſtici octo ſupra viginti, Coadiutores ſex. In Collegio Poſnanienſi ſexaginta vnus. Sacerdotes viginti, quos inter Scholaſticæ Theologiæ Profeſſores tres. Profeſſor Hebreæ, & Scripturæ vnus, caſuum conſcientiæ alter. Philoſophiæ tertius, quartus denique Rhetoricæ, quatuor inferiorum Scholarum Præceptores: Theologiæ Scholaſticæ Adiutores ſex ſupra viginti; cæteri domeſticæ rei adiutores. In Collegio Caliſienſi quinquaginta octo, Sacerdotes quatuordecim, ex quibus duo Theologiæ moralis, & controuerſiarum

rum lectores, tres Philosophiam docent. Scholastici quadraginta quatuor.

Vnus ex illis Professor Mathematicæ, quinque humaniores docent literas. Metaphysicam audiūt 8. septem Physicam, vndecim Logicam, reliq Adiutores in temporalibus. In Collegio Lublinensi triginta octo, Sacerdotes tredecim, quatuor docēt ex illis, vnus conscientiæ casus, controuersias alter, tertius Academiæ nostrorum Professor est in humanioribus, quartus Rhetoricam externos docet, è Scholasticis non Sacerdotibus humaniores literas docent quatuor. Rhetoricam audiunt 12. Coadiutores reliqui. In Iaroslauiensi quatuor supra triginta. Sacerdotes vnde viginti, quorum duo in Missionibus, Fratres quinque humaniores docent literas. Scholastici duo Patribus annum tertium ꝓbationis peragentibus, adlecti; reliqui domestici Adiutores. In Collegio Leopolitano, quod isto primum anno perfectum est; 28. manent. Sacerdotes 13. ex quibus duo casus conscientiæ docent, vnus controuersias; Poësim alter profitetur, vnus casibus studet, duo in Missionibus versantur. Scholastici 10. duo docent Grammaticam, 8. casibus student, reliqui Coadiutores. In Luceoriensi, quod isto anno à R. P. N. est admissum 5. 3. Sacerdotes, vnus Grāmmaticam docet, quintus Coadiutor. In Gedanēnsi Residentia 7. quatuor Sacerdotes, tres Coadiutores. In Torunensi itidem septem, quatuor Sacerdotes, reliqui Coadiutores. In Sendomiriensi Residentia decem, Sacerdotes 5. reliqui adiutores. In Camenecensi quinque, 4. Sacerdotes, vnus Coadiutor. Ad aulam Regis 6. tres Sacerdotes,

totidem eorum ſocij, non Sacerdotes. Defuncti quatuor. Admiſsi ad Societatem quatuor ſupra viginti.

DOMVS PROFESSA CRAcouiæ ad Sanctam Barbaram.

MOrs vnius ex illis qui Marthæ ſorte contenti rei domeſticæ curam habent, ſermonis exordium ſibi vendicat. Fuit is Albertus Capuſta, vir propè ſexagenarius, triginta annos in Societate commoratus, homo multæ virtutis ac prudẽtiæ, charitate præſertim erga infirmos, & alios conſpicuus. Socius duobus Prouincialibus fuit adiunctus, vni quidem ſeptem propè annis, alteri tribus: vtrumque deduxit in Italiam. In aula deinde Regis confeſſarii ſocius quinque annis fuit, eidem ad mortem charitatis præſtans officium. Regi ipſi non notus tantùm, ſed ob ſimplicitatem religioſam charus, cum quo trans mare in Suetiam ad Regnum paternum ſocius Patri adiunctus nauigauerat. Alia demum in Societate officia, adiutorum, præſertim loci, & piſtoris, magna cum humilitate & exemplo obiuit. Anno ferè medio, ægritudine conſumptus, ob vires iam laboribus & itineribus tot ante attritis, Sacramentis munitus piè obdormiuit in Domino: vir dignus, qui multos ſuarum virtutum æmulos poſt ſe relinquat in Societate.

QVI à variis hæreſibus, ad Catholicæ Eccleſiæ gremium ſunt reducti, numerus fuit quinquaginta

ginta quatuor. Ex his tres Anabaptiſtæ baptiſmo iam adulti luſtrati ſunt. Fuit & Arrianus quidam vir non vulgaris conditionis, eius ſectæ in hac ciuitate caput, & quaſi Patriarcha quidam, homo ferè octogenarius, pertinaciſsimus in ſua perfidia, & Catholicorum accerrimus impugnator; oppugnabatur ante à multis variorum Ordinum doctis viris, etiam à noſtris. Adhibita ad fragendam pertinaciam, plurima, & efficacia argumenta, ſed nihil omnia indurato homini profuerunt. Ceſsit tandem inueterata durities virtuti obedientiæ. Iuſſus quidam ex noſtris à ſuperiore, vt poſt tot impetus fruſtra factos, adhuc hominem iam tùm infirmum aggrederetur, nè miſero ſeni noſtræ aliquid opis deeſſet. Facit ille fidenter quod iubetur, adit hominem: oſtendit ſe ex animo illius vicem, ob morbi grauitatem dolere: ſpem facit, remolliat animum, deponat perfidiam, & ad Catholicam Religionem conuertatur, fore, vt Deus quoque leniat morbum. Inanis primo videbatur conatus, ſed repetito congreſſu eo flexit eius animum, vt ſibi Catholicæ veritatis ratione reddenti aures accommodaret. Atque ita poſt vnum & alterum, de doctrina fidei colloquium effectum, vt diſcuſsis tenebris Arrianæ perfidiæ, clariſsimam veritatis lucem conſpexerit. Indignari, fremere, & confundi Arriani, amiſſo ſuo Patriarcha, Catholici verò Dei admirari miſericordiam, probare noſtros conatus, & conſtans ſtudium, in mente hominis expugnanda. Ipſe denique palàm teſtari, tantum ſe capere conſolationis, quantum toto vitæ ſuæ tempore nunquam perceperat.

Minifter quoque Arrianæ fectæ refipifcens, dogmatibus fidei inftructus, impijs erroribus, publicè in templo noftro reuocatis, à Reuerendifsimo D. Suffraganeo folenni ritu Ecclefiæ Catholicæ eft reconciliatus.

Complures in fide Catholica ftabiliti. Inter quos principem locum obtinet, quidam Regni Senator, qui quadraginta quinque annis, circa religionem vacillanti animo fluctuabat. Fœmina item nobilis.

Alij ad noftras & alias Religiones complectendas permoti; alij ad vacandum pijs commentationibus inducti. Duo trefvè voto nuncupato Geftochomenfis B^ae Virginis ædis dicatæ adeundæ, à captiuitate liberati, generali etiam confefsione prius Cracouiæ expiati, prompto animo id præftiterunt. Monialis quædam laqueo aut præcipitio, vitæ finem imponere propofuerat, quæ tandem per confefsionem generalem, & colloquia pia fuit adiuta, & in propofito confirmata. A fimili periculo defperationis, & vitæ nefariè prodigendæ, duo alij erepti, à fpectris quoq; importunis fœmina liberata.

Complures Sacerdotes ad nos accurrunt, quà confcientiæ expiandæ caufa, quà etiam dubiorum occurrentium foluendorum gratia. Non rarò ab ipfis Prælatis ad nos ablegantur, tanquam melius difponendi ad fuum munus obeundum. Epifcopus Diœcefin fuam vifitans, plerofque Sacerdotum iuftas ob caufas publico carceri mâciparat: ad quorum tandem confcientias expiandas, mores melius inftituendos, & ipfofmet armis fpiritualibus inftituendos, vt ex hac domo aliquis Patrum deftinaretur,

retur, à P. Præpoſito obtinuit. Idem fecit in viſitandis aliquot Religioſorum Virginum, etiam multum ab hoc loco diſsitis monaſterijs. Et Ill^mus S^mi D. N. Nuntius, religioſorum cœnobia perluſtrans effecit, vt noſtri confeſsiones omnium exciperent. Duo nutãtes in ſua vocatione confirmati. Ad quoddam monaſterium extra vrbem, rogatu ſui Præpoſiti, & Antiſtitis duo ex noſtris miſsi, lectionem de quæſtionibus conſcientiæ ibidem ſunt auſpicati, quam non ſine fructu ipſimet religioſi continuant.

Bis hoc anno ſupplicatio quadraginta horarum diurni temporis, in noſtro templo ſumma celebritate, & frequentiſsimo concurſu populi peragebatur, penè innumeris mortalibus ad Sacramẽtorum perceptionẽ concurrẽtibus. Prima fuit *Dominica* Quinquageſimæ nuncupata, cum indulgẽtiarum gratia, hanc exornarunt conciones variæ, & ſupplicationes Confraternitatum, in ſua corpora ſæuientium. Altera diebus Spirit⁹ S. aduentui dicatis, à R.P. Prouĩciali, eo fine inſtituta, vt conuentus Regni Procerum, & tractatus ob Remp. pacificandam ſuſcepti, optatum ſortirentur exitum. Huic præter ſupra recenſitam celebritatem, Epiſcoporum aliquot in noſtro templo ſacris operantium, & Procerum præſentia decus conciliauit. Ad eundem finem conſequendum, Præſul, in varijs templis quadragenarias ſupplicationes fieri curauit, vtque in principe vrbis templo, cuius tamen necdùm habebamus vſum, noſtri vna aut altera vice concionarentur, effecit.

Sere-

Serenifsima Regina poftulante, duo ex noftris Geftrehouien, imagine B. Virginis nobilitatum, pedes adiuêre, decimo octauo milliario Cracouia difsitum, miraculis clarum. Toto eo itinere ad Cruces, pafsim obuias, ter precatio Dominica, cum Angelica Salutatione, recitata fuit, additis precatiunculis fubinde pro SerenifsimoRege, Regina, & Principe. Litaniæ item fingulis diebus recitatæ. In medio propè itinere in oppido Crumlouienfi concio ad populum habita, fuppl catione inftituta, fub cuius finem ciues illius loci, in fua terga fæuientes in publicum prodière, dùm Pfalmus Miferere decurritur. Reliqui auditores fepties recitata precatione Dominica, cum Virginis Salutatione, fua vota pro Rege & proceribus altaribus obtulêre. Ea pietate ita fuerunt permoti incolarum animi, vt pro Fefto Corporis Chrifti, proximè inftanti eandem deuotionem repeti optauerint.

Mifsiones, vt aliàs ad varia loca fuerunt inftitutæ. Quodam in loco templum à triginta fermè annis hæretica labe contaminatum, loci ordinarij accedente voluntate, fuit reconciliatum. Admoniti Parochiani de fide Catholica conftanter retinenda, Dominus præfertim loci illius, vir alioqui Catholicus apprimè nobilis. In alijs item conuentibus conciones habitæ, & confefsiones multorum exceptæ. Quodam in loco res relatu non indigna contigit. Mulierem nefariam, ad facram Synaxim peruerfo animo acceffuram, canes, qui fortè virum nobilem loci eiufdem Dominum fuerunt fecuti, atrociter inuaferunt, & penè humi ftrauerunt, nihilominus illa mulier paulò pòft ore facrile-

crilego Euchariſtiam ſumit, è veſtigio ex ore clàm in calanticam demiſſam inuoluit. Et ecce rurſus maiore concitati rabie canes, in eam irruunt, morſibus petunt, imò ſeptem continuis diebus quoties pedem domo efferebat, canes eam miris modis adoriebantur, in faciem penè inſilientes. Ad extremum ſceleris conuicta, carcerique mancipata, ab incurſu canum fuit immunis; nempè vbi humana iuſtitia ſuo officio non defuit, diuina vltio perſequi ſcelus deſtitit. Domum noſtram peranguſtam, & magno noſtrorum incommodo hactenus inhabitatam, vicinis ædibus coëmptis eſſe amplificatam, non exiguo ſanè emolumento noſtrorum, & valetudinis adiumento, eſt quod Deo gratias agam⁹. Vna ſola pręnobilis matrona, vidua relicta, duo millia nummûm nobis obtulit ad hanc emptionem. Tantundem ferè templo donauit: vt interim tùm eiuſdem, tùm aliorum minutiores largitiones prætercam, quandoquidem præter eleemoſynas quotidianas piorum hominum liberalitate afferri ſolitas, quibus hæc domus ſuſtentatur, non deſunt, qui eiuſmodi noſtras ſubleuent neceſsitates.

DOMVS PROBATIONIS CRAcouiæ ad Sanctum Stephanum.

ALuit hoc anno Domus hæc ſocios vndequinquaginta. Veteranos vndecim, quorum Sacerdotes quinque, rei domeſticæ adiutores ſex. Nouitios Scholaſticos viginti nouem, Coadiutores nouem.

Ad

Ad probationem Societatis hoc anno admiſſi Scholaſtici duodeviginti, inter hos Sacerdotes 2. alter Theologiæ, Philoſophiæ alter ſpatia emenſi. Non Sacerdotes Philoſophi duo, reliqui Rhetoricæ ſtudioſi, Coadiutores octo. Vnus è Scholaſticis votum Societatis ingrediendæ fecerat, ſi incolumis à peſte, qua penè omnes, qui in eadem morabantur Domo extincti, ſeruatus fuiſſet: voto reſpondit euentus. Alter graui febre laborans, ope B. V. Mariæ, in cuius Sodalitio verſabatur, liberatus, non cunctandum ſibi ratus in propoſito, quod diù in pectore alebat, ad Societatem approperauit. Cum quidam quarto etiam ab ingreſſu menſe nihilo melior euaderet, ac nè guſtato quidem Societatis ſpiritu, atque perquam leuiuſculus videretur, morbum denique, quo à Societate ſe facilius expedire poſſet, ſimularet, cùm aliorum exemplo, tùm vnius nouitij ſui, qui pro illum Deo lucrandi Zelo permotus, non raro in tergum ſuum flagello deſæuijt, aliiſque carnis moleſtiis ſe afflixit, caritate in ſe perſpecta, repentè alius ex alio factus, & leuitatem morum exuit, & ad conſtantem in Societate perſeuerantiam, magnum adiecit animum.

Tironum noſtrorum virtus in obeundis peregrinationibus ad hæreticos etiam deriuata eſt. Olauia oppidum eſt Sileſiæ, hàc iter faciunt, qui Trebniciam religionis cauſa ad S. Heduigim, ſe cōferunt, eò noſtri nunquam ante diuerterant, hæreticorum metu, opinionem noſtrorum humanitas eorum ac beneuolontia ſuperauit, nam cum inſtante prandio, ad cauponariam domum diuertiſſent, ab hoſpite benignè habiti, qui noſtrorum modeſtiam,

ſtiam,habitum,mores,& in tanta nationum ac līguarum varietate, concordiam,admiratus, eam ſibi plurimum placere affirmauit, atque vt in reditu ad ſe diuerterent, oblato liberaliſsimè hoſpitio inuitauit. Non minor Dei prouidentia, in tranſitu vrbis VVratislauienſis,quæ caput eſt Sileſiæ,fuit:in tanta hæreticorum qui eam incolunt multitudine, nè vnus quidem inuentus, qui noſtros per vicos, plateas, templa abeuntes, redeunteſque verbulo vno interpellaret,ijſvè inferret aliquam iniuriam,quod Dominicanæ familiæ Patribus, qui illic degunt magnæ fuit admirationi,qui pedem è ſuo cœnobio efferre non poſſunt, quin conuitiorum, & ludibriorum copiam domum aduehant.

Quo tempore in hac vrbe habitus eſt à Sereniſsimo Rege Senatorum conuentus, ad medendum Reipub. difficillimis temporibus, Illuſtriſsimus ac Magnificus D. Palatinus Poſnanienſis Hieronymus Geſtoniski Sandomirienſis Collegij Fundator, colligendi ſui cauſa ad nos ſe contulit, is tironum noſtrorum modeſtia, quos de induſtria per aream Domus, ad orationem binos tranſeuntes ſpectabat,magnoperè ſe delectatum toties affirmabat,quæ illum fortaſſè etiam excitauit, vt eam quæ nos ob ſuperioris anni prædiorum à milite petulanti,in communi calamitate deſpoliationem,premebat, ſubleuarit inopiam, tùm frumento ad victum, tùm vino ad ſacros vſus attributo. Neque hic ſtetit illius liberalitas. Sacello domeſtico, in quo ſacrum audiebat penè quotidiè, magnum ornamentum addidit, Argenteam lampadem artificio ſingulari elaboratam, æſtimatione florenorum centum.

Ex

Ex insignioribus eleemosynis, altare in aula nouitiatus perelegans, ad excitandam tironum pietatem, constitutum: domus item in horto suburbano, in quam subinde nouitii, relaxandi animi gratia, se reciperent, exædificata florenis propè trecentis; quibus si addas eos q testamēto obuenerūt, florenos centum, compensari putes iacturam piscium, quam vehementis asperitas frigoris, & aquę inopia tulit.

Et quoniam huic Domui adiuncta est Paræcia S. Stephani, vna ex principibus in hac vrbe, ad eam quoque excolendam nostrorum se extendit industria. Paucula licet, non tamen prætermittenda, accessere templo ornamenta. Doctrina Christiana hoc anno florere cœpit magis in illa, ad præscriptam Societatis normam, eius semina dùm etiam tirones in suburbano vico iaciunt, suos quoq; tulêre fructus.

Confeßiones non paucæ, antea irritæ, repetitæ magno fructu.

Laruam hæreticorum duo exuerunt.

Protheo similis Adolescens annorum viginti, inter Hæreticos, Hæreticus, Catholicus, inter Catholicos, intemeratæ Virginis puritati in auribus condiscipuli detraxerat impudenter, nocte insequenti spectris horrificis dæmonum se rapere volentium exagitatus, exanimis penè concidit, exaudiebantur fragores, sonitusque vehementiores rotarum hùc illùcque discurrentium. Cacodæmon specie canis terribilis, in cubiculo oberrabat, nè putes somnium, socii eiusdem cubiculi consternati, metu dilapsi ad vicina se recipiunt cubicula, exitum

tum rei præstolantes: æger salutem desperans eius quam ante blasphemauerat patrocinium implorat, monstra ilico conquiescunt, Socij aduolant, quid rei acciderit interrogando, percontantur, rem adolescens premit, ac dissimulat, dissimulare noluit Deus, nam mox ad circumstantes: Recedite, inquit, recedite. En qui me hic abripiat, præstò est; hæc dicentem aqua lustrali conspergunt, tùm æger paululum vbi respirasset, in hæc prorupit verba. Subueni sacratissima Maria, credo, & confiteor, ante partum, in partu, & post partum, te intemeratam fuisse Virginem. Confessionis admonent Sodales, abnuit, instant, periculum in quo sit, explicant, annuit, aduocatur nocte intempesta vicinus Sacerdos, quem vbi æger aspexit, Catholicum contemplatus, tergiversari cœpit, Caluinisticum rabulam expetens. Attoniti stupore Socij, qui illum Catholicum opinabantur, vehementius instant, vt per confessionis Sacramentum, territantibus monstris sese eripiat. Spem aliam salutis esse nullam: at ille à Sacerdote oculos auertere, artubus contremiscere, voces gestusque obsessi similes edere, aliena à re loqui, noctem insomnem ducere. Vixdùm eluxerat, domum nostram accurritur, obsecrant familiares, Pater vt animum Adolescentis pertentet, morem gerimus; in conspectum Sacerdos vt venit, auertere Adolescens oculos, mutire, contemnere, blandè Pater, qui valeat, quid, quamdiù morbi habeat, perquirit: pro illius incolumitate familiares solicitos exponit, caritatem illorum collaudat. Valenti, nil, inquit æger, est opus medico, nùm qua re indigeat, à Sacerdote interrogatus

affatim ſibi eſſe rerum omnium, reſpondet: vrgetur interrogando, abrumpit ſermonem, rurſus deliria, Patrem, vt faceſſat, orat, illo præſente omninò ſe valere non poſſe. Hic noſter arietem ad expugnandum admouet, periculum præſens exponit, minas æternas intentat, ſupplicia inferni, Iudicem Deum, ni eum ſibi hic propitium reddat, proponit, thecam reliquiarıam, in qua Diuorum oſſa aſſeruabat, ex collo ægrotantis ſuſpendit, ille vi auellere capiti ſuppoſitam, cùm aliquantulum ſuſtinuiſſet, paulatim ad ſe rediit, Sacerdoti vultum obuertit, alloquitur perbenignè, pauculiſque dubiis propoſitis ac dilutis, confeſsionem accepit, quam cum impediri neſcio à quo, tetro procul dubio ſpiritu, perſentiſceret, nauſeam concipit, & interpolata cō feſsione, turpi vomitu facto, & animi & corporis ſanitatem obtinuit. Sacerdotem lætus dimiſit, eademque die ſanns, ac valens de lecto ſurrexit. Hæc habui quæ pauculis de Virginitatis Deip. odore, & pœnitentiæ Sacramenti vi ac energia, pſtringerem.

Sereniſsimus Rex cum Regina, ac filio Principe, ædem hanc pro more, die S. Stephano ſacro deuotionis cauſa acceſsit, templumque comitatu ſuo magnifico ac ſymphoniaco cantu exornauit, diùque celebritatem auxit.

COLLEGIVM POSNAnienſe.

Annus hic, vt toti Reip. Poloniæ, aliquandiù interturbatæ ſpem tranquillitati fecit, ita ciuitati huic incolumitatem, Dei beneficio reſtitu-

ſtituiſſe videtur. Vnum duntaxat nobis mors immatura eripuit P. Carolum Podwinski, virum magnis à natura & gratia inſtructum dotibus. Quinq; linguas perneceſſarias probè percalluerat; atq; magno eum Liuonibus ſuis olim præſidio & ſolatio futurum augurabantur omnes. Superioribus, propter facilitatem obſequendi, & inſignem propriarum commoditatum contemptionem, ſuiq; ipſius deſpicientiam, vnicè fuit carus. Ad Sacerdotium tandem in tertio Theologici curſus anno, promotum, repentè vno vix exacto menſe, & Sacerdotij, & litterarum alacriter perſoluentem penſum, febris inuadens hectica, corporis eius robur vireſque infregit. Poſtquam vi morbi ad extrema perductũ ſe perſenſit, enixè domeſticos congregari flagitauit. Non pauca interim piè effatus, viæ pertæſus, ad patriam aſpirauit. Quæſitus an ſuorum in regno Dei memoriam conſeruaturus eſſet, facturum ſe ſpopondit, viciſsim ſuffragia Diuorum expoſcens. Ita breuiſsimo interuallo ſpiritum Deo, vt ſperamus, piè reddidit, cui ſe eadem die repetita pro more Societatis votorum formula, deuouerat.

Id quod ſubiungam, & genere & perſonæ dignitate, eſt ad memoriam illuſtrius. Illuſtriſsimus Antiſtes, quinta ſanctioris hebdomadæ feria, pauperibus, quot commodè venire poterant, in ſuam aulam congregatis; omnes obſoniis, & pecunia donatos dimiſit, ſelectis è promiſcua turba, prouectæ ætatis 12. quos eodẽ loco ad menſam inſtructiorem, & lautiorẽ adhibuit. Ipſe aquam abluendis manib9 præbere, ipſe fercula, calices miniſtrare, cæ-

teraque propriæ menſæ miniſteria obire, duobus è noſtris duntaxat tàm pij operis adiutoribus: abeuntibus denique omnem penè menſæ ſupellectilem attribuit: nec etiam prior ipſe refici, quàm pauperes refeciſſet, voluit. Poſtridie templa vrbis, & hoſpitalia obiuit. Quinquaginta ſeminudos ſubuculis conueſtiuit.

Excurſum eſt præterea, ad duodecim vicina loca in Paſchate, ad pauciora in feſtis Natalitijs, occaſione Iubilei, nec ſine fructu. Eſt in finibus Sileſiæ ciuitas Regia Miedirecum, hæreticis referta, in ea excolenda noſtri non modicum laborem poſuêre, magna incolarum conſolatione & fructu. Luſtrata huic propinqua alia loca, quorum incolæ nō multum Ethnici religioſiores: tanta inibi rerum cœleſtium ignoratio. Pagus circiter ſexaginta homines complexus, ad fidem Catholicam rediit. Iudæa puella de fonte baptiſmatis ſuſcepta. Centum alij præterea, variis in locis Eccleſiæ reſtituti. Ex horum numero ciuis primarii filia, nec quicquam ſuis repugnantibus, conſtans in ſententia permanet. In alium ex ſimili cauſa crudeles extitere parentes, vt filio debita negarent alimenta. Diſsimilis alteri in hęreſi pertinacia præſenti ſupplicio diuinitꝰ vindicata. Is carnes hæretica licentia, & ingluuie, auidius vorans, Catholicis præſentibus maciem eſurialium dierum tanq̃ ſuperſtitioſam petulāter obiiciebat. Sed ecce dùm ipſo die piſcatu q̃dam quærit, repente miſer aquis hauſtus eſt, non ſine præſagio ſubiti interitus. Nam & ipſe aquas petens, per obuiam puellam amicos vltimum valere iuſſerat, & lacum ingreſſo quidam alius à longè proſpectans;

ſpectans; canem atra ſpecie inſultare ringentem abſque latratu vidit, qui derepente ex oculis ſublatus eſt. Verum tàm repentina mors maximè horribilis reddita cadauere inuento, adeò perplexè retibus inuolutos habente pedes, vt ſine cultro extricare nequiuerint. In Catholicis non minore cum vtilitate laboratum. Plurimi reſciſsi contractus fraudulenti, machinationes clandeſtinæ impeditæ, mulieres è flagitiorum cœno extractæ, & loco honeſtiore collocatæ, odia inueterata extincta. Duo imitatione digniſsima condonatæ iniuriæ ſuppetunt exempla. Iuerat, exequias cuiuſdam nobilis concione cohoneſtaturus Sacerdos noſter: vbi inter cœnam, ex veteris odij refricatione ventum ad arma, medius inter ſtrictos enſes ſe inſeruit, & hac vice tumultum compoſuit. Iterum vix ſopita erumpit flamma, multis ſauciis relictis, capita factioſæ multitudinis in ſequentem diem duellum ſibi indixerunt. Re cognita Pater, ſummo mane diſsidentes partes adit, ſine armis manu ſtipulata in tēplum congregat. Sacrum inibi, & verba de concordia mutua facit, & ſubitò Patris triumvè arbitrorum ſententia ſtare decreuerunt. Libellus infamis maximum faceſsiuit negotium, nam prouocatus, vel nè timidus vel ignau⁹ haberetur, ferro decernere, ſtimulantibus ſuis, vel vt alter quas calumnias chartę mandauerat, publicè reuocaret, volebat omninò: tùm Pater; per amorem te huius quem in altari adoras, rogo, mihi trade ſchedam, & inimico iniuriam condona. Ille verò; viciſti, inquit, me Pater, lacrymiſq; perfuſus; accipe, ait, ſchedam, & quod lubet facito, permouit tàm generoſus animus aduerſa-

uerſarium, vterque in amplexus ruit. Summa admiratione, & gratulatione omnium ſtabilita amicitia. Alius item nobilis, contra eum qui ſe offenderat ita animatus, vt religioni ſibi duceret reo impunito offenſam remittere. Ægrè tandem à Sacerdote perſuaſus, pœnam capitis inuaſori iure decretam donauit.

Quod ad rem familiarem attinet, collectas ex agris fruges, inſoliti murium greges peſſum dederunt, non minimo fortunarum noſtrarum incommodo. Verum piorum largitas eas augere non ceſſat. Ex his de præcipua ciuitatis familia, eximiæ religionis, & multis nominibus de nobis merita vidua Collegio tria millia florenorum legauit. Poſt diuturnum morbum, in templo noſtro ſepulta, cui non multò ante obitum argenteam Crucifixi imaginem cum veſte ſacra donauerat, ducentis octoginta florenis æſtimanda. Aliunde verò deriuata in Collegium eleemoſyna, ſi pecuniam ſupputes, parum abfuit à mille florenis, ſi res alterius generis æſtimes, abundè exceſsit. Ex largitionibus præterea ædes ruri excitatę certum noſtrorum ſub tempus peſtis perfugium.

COLLEGIVM CALISſienſe.

AD fidem conuerſi ſunt quadraginta tres. Vnus erat ſenio confectus, & morbo lethali proſtratus: moribundo noſtri nil tale cogitanti ſuperuenerunt, & quantum anguſtiæ téporis patiebantur, ſaniora ſpectare conſilia docuerunt; & perpulerunt.

Virgo

Virgo honesta, in castitatis proposito confirmata; duæ monasteriis se inclusêre; reperta est quæ illibatam pudicitiam virginalem, à marito volente tuebatur, ab annis octodecim. Alii coniuges à decennio continentiæ se dedidêre. Commentationibus nostris exculti duo Sacerdotes, vnus oppidi alicuius Parochus, alter Clericus. Sublatæ superstitiones, rescissi contractus iniqui, aut periculosi: alii impediti, tres ab vsuris absterriti. Malè acquisitæ pecuniæ aliarumuè rerum restitutiones factæ à diuersis, ad duo millia sexaginta florenorum summã perfecerunt. Eleemosynarum in pauperes expensarum, ad 260. præter alia in alio genere.

Puella sex annos ferè nata ita erat, vt nihil spei esset humanæ de salute ipsius: accesserat & morbus comitialis, qui subinde misellam grauiter quateret. Accitus quis è sociis suadet rem Deo commendent, & si quidem conualescat filia, parentes in templo Societatis, ab homine itidem Societatis curent litari sacrum in gratiarum actionem, Addant & imploratum B. Ignatij. Recepere illi: atque vt pii sunt, piè concepêre promissionem. Noster apponit misellæ pectori imaginem Sanctissimi Patris, fauit votis Deus, ilicò desiit collidi infirma, & deinde breui ea persanata, parentes damnati promissi illud exoluerunt. Ista filiæ Deus. Parentibus haud scio an maiora præstiterit. Hi enim ciues non tenues, pertæsi blanditiarum æui huius, totos se pietati dedêre, ac etiam si quomodo consequi liceat, vterque sacram in familiam, illa fœminarum, hic Societatis nostræ ascribi: nisi quod moram facit hæc filia, & alter orbus voluntate iis fact⁹ filius.

Sed hic quoque obex facilè auferetur, si Deus ratam esse vole tipsorum consilium. Extremum attexam, quod tota ciuitate illustre extitit. Domus aduersa Collegio nostro, infesta haberi cœpit, fragoribus inauditis, iactu saxorum densissimo, & alijs id genus, seu ad terrorem, seu ad dolorem. Vt vespera adfuit, omnes exanimari propè oportuit, concutiebat vniuersam domum saxis, lignis, cæterisque missilibus ingredientes, confidentes, procũbentes appetebat, disiiciebat, comminuebat: sed quis, nemo videre poterat. Quies æquè inquieta sequebatur. Dies aliquot hæc tulêre: tandem pertæsi, cùm finis null⁹ fit, deserere domũ statuunt; sed prudentior aliquis admonuit, nequaquam id faciendum esse, nè ita infœlici hero non recuperanda manciparetur: aliud inquirendum esse remedium. Ita aduocant nostros. Illi adeuntes frustra nequam spiritu sæuiente (nam nihil vsquam conspici potuit, cùm tamen immensæ moles iactarentur) precationibus & execrationibus sacris, importunum hospitem reprimere, atque abigere. Domesticos deinde ad expiandam conscientiam adhortantur, docent precationes vsurpare animosè, contemptis hostis terriculis: hæc si facerent & contemnerent, sæuientem ocyssimè fugiturum. Fecêre ita, addidêre eleemosynas, procurauêre sacra sacrificia, consecutæ indutiæ, sed non diuturnę: fors causa iterata erat. Certè enim veneficis res attribuebatur haud improbabiliter. Octauo rursùm die, repetita prodigiosa vexatio, tàm domesticorum, quàm vicinorum, quàm etiam aliorum, qui curiosè indagarent, quid esset istùc monstri; vel duellum cum spiritu ex pete-

peterent. Nam erat nonnemo tàm ſtolidus, an improbus? Atrocior videbatur priore, percuſsi vix reſpirare poterant, aut penè collabebantur, aut concuſſa caro grauiter intumeſcebat, taceo quippe alia, facibus vltrò irruentibus impeditos pulueribus, ora impleta decumbentiũ, confracta vaſa, ianuas & ſimilia. Pepercit tamen religioſis perſonis: cùm enim noſtros ſæpius eo deinde redire oporteret, nihil mali vnquam paſsi ſunt. Ibant pleni fiducia in Deum, & inter volantia ſaxa, perſequebantur infœlicem genium, nec orationibus prius faciebant finem, genibus ibi poſitis, quam ipſi vellent. Hæc ipſa exigebant à domeſticis iure, vt poſtea patuit. Victi enim videbantur, qui timuiſſent. Noſtri cõmendata domo in tutelam B. Ignatii, & incluſis in trabibus domus reliquijs B. Koſtkæ, factoque ſacro piaculari, bono animo iuſsêre eſſe omnes, nec defuit Deus, quieta eſt omninò domus, nec quicquam exinde auditum.

Duo hoc anno funera in templo noſtro celebrata; alterum familiare, alterum alienum. Prius Patris Ioannis Vuchalij Leopolienſis, publico auctoramento, vt mos eſt ornatum. In Societatem Romæ admiſſus, anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo primo. Inde rediens Pultouiæ, ac Poſnaniæ, partim externos Rhetoricam docuit, partim noſtros annis tredecim, eſtque habitus inter præcipuos æui ſuo oratores, à magnis etiam viris. Socijs noſtris Leopoli ſex annis, Caliſsii nouem fermè præfuit: quarum poſterior illi difficillima moderatio, ob ea, quæ in fundando hoc Collegio exorbere neceſſe fuit: neceſſe inquam, non ſolùm

quod primordia rerum omnium magnarum eiuſmodi ſint: ſed quod ita hîc excepti fuerimus, tantùm non ab omnibus, ac qui in apes irruiſſet, ſecundùm prouerbium. Nos ciuitas oderat, vexabat nobilitas, omnes obtrectabant, diripiebant omnes: & cùm nos non poſſet, noſtros agricolas malè multabant; ipſos & noſtra diripiebant, coronidis loco his omnibus addentes calumnias impudentiſſimas, quibus oneratos nos in ius vocabant. Hæc omnia bonus Pater ſua prudentia & patientia, aut mitigare debuit, quæ planè aliter curari non poterant, aut acrioribus auertere medicamentis. Nos ergo laborum eius fructu perfruimur, pro quibus ille tãtoperè laborauit. Viris magnis & Senatoribus perquàm carus & Venerabilis. Paſsim ad illum conſilii cauſa conueniebant. Ex eius conſilio Reue^mus Poſnanienſis Epiſcop⁹ ad tantam Prouinciam moderandam ſe comparare, ac poſt etiam ſecum retinere voluit, eiq; mirè obſequens fuit optimus Princeps. Quanti verò ſanus fieret apud illum, patuit in morbo. Nam cùm ibi agit repentè paralyſi affectus, vt dimidius præmortuus videretur, nemine aduertente è ſella decidit. Quod vt ad aures Epiſcopi accidit, enimuerò ægerrimo animo fuit, atque ſumma cura dimiſit cõtinuò famulos quadrigis in partes varias, qui vndiq; Lithurgos, medicos, medicamenta, curarent, auditum & illud ab ipſo, non parciturum ſe impenſæ, ſi tantùm vir ille iuuari poſſet; ſed illud argumentum pietatis haud ſcio, an maius Antiſtitis optimi Deus immortalis eſſe voluit. Sanari ille non potuit, vel ob medicorum tarditatem, vel ob ætatem continuis debilitatam labori-

boribus. Noſtri Patres iuerunt illùc, vt infirmum aſportarent domum: at Princeps piiſsimus grauiſſimè eos obteſtatus eſt, nè tantam ſibi occaſionem bene merendi de eo homine eriperent, cui multa multis deberet nominibus, velle ſe tamdiù apud ſe eum habere, quoad vel ſanus conſurgat, vt optarat, vel, ſi Deo ita viſum, exanimis efferatur. Ad hanc affectionē cùm acceſsiſsēt aliæ, extinxerunt hominem magnis admirandæ patientiæ meritis cumulatum, anno ætatis eius ſexageſimo primo. Cadauer translatum in templum noſtrum Caliſsienſe, Epiſcopus in paternum illud ſepulchrum inferre voluerat, ſed noſtri impetrarunt, nè in hoc modeſtiæ Societatis vim afferret. Vir pius, modeſtus, æqui animi, in tolerandis iniuriis tàm facilis fuit, vt ſingulariter eos diligeret, à quibus læſus fuiſſet aliquando, & erat inſtar prouerbii, qui vellet Patrem illum ſibi maximè deuincire, iniuria ipſum aliqua prouocaret. Suauiſsimum quendam tenuit modum agendi cum ſociis, quos virorum ſpiritualium Præfectus diù ſatis dirigebat. Orationis donum à Deo habuiſſe videtur, nam facillimè, cùm ſe tantum ad hoc dediſſet, & ipſe orabat, cui quidem plures horas dabat in die, & cæteros inſtruebat fructuosè. Reſtaurationem votorum Societatis noſtræ vitiorum ſepulturam appellabat, ideò nec ante eiuſmodi inſtaurationem, commiſſa errata exagitari poſt eam ſinebat à quoquam in colloquiis. In Paralyſi, ſacroſanctam Euchariſtiam creberrimè dare ſibi poſtulauit, vel tùm oſtendens, quàm teneretur ſtudio videndi Deum, quod etiam in valente adhuc obſeruatum eſt.

A templo domum redeamus. Resfamiliaris non exiguum detrimentum hocanno passa; ad mille florenos ferè deperiêre, variis ex causis: sed Deus compensauit cum fœnore iacturam accessione præ 'ii vnius, quod millibus quatuor florenorum æstimatur. Donauit verò illud vir nobilis Iacobus Paprocues. Hic antea homo militaris, in castris adhuc nostris cœpit affici; & exinde quoties eos nancisci potuit, illis sua consilia, atque negotia exponere, & arbitrio submittere non destitit. Ita ætate procedente crescebat hic ipse nostrum amor, donec pfunctus militia Moscouitica (illò .n. stipendia meruit) redit in patriam; & ex præmiis laborum suorum, atque virtutis, relicto patrimonio suis, hunc agrum in quo erât honestè, sibi comparauit: vno millari abest Calissio. Ergo diebus festis venire ad nos concionum causa, obire sacra mysteria frequentius, liberalis esse in pauperes, & religiosos, vt ipsi quoque desiderium religiosæ paupertatis obortum. Nec coniunx abnuit, comes illi, & socia pietatis, vt iam non aliter audiant quàm Iesuitæ, sed nihil eò commouentur. Illud inter se constituerũt, vt bona sua Collegio Societatis addicerent, numerata filiolæ dote, ex sperata pecunia: & orabamur, vt acceptaremus. Dilatum est negotium menses tot atque annos. Nunc denique cùm & ille vrgere non desiit, & res matura esse visa est, acceptauim⁹, vsu fructu illis relicto, quoad viuat maritus, tanto gaudio abdicante se, vt in cœlum oculos ac manus vir pius tolleret, gratias agens Deo, quod eum tandem voti fecisset aliquando compotem. Gratulari se sibi, quod labores suos, & sanguinis bellò effusi

pre-

pretium, iis consecrare licuisset, qui sæpius Deo consecrassent. Benedictus Deus noster qui tantam pietatem inspirat hominibus. Societatis charitas, respondet iis officiis, quibus fas, & quibus amici insignes ornantur apud nos. Itaque ille, à R^{do} P.N. in numerum insignium benefactorum, atque amicorum annumeratus, sepultura illi atq; coniugi in templo nostro concessa. Infirmo nuper ita ministrauimus, vt & ipse admiraretur & coniunx. Sed hæc mortalia sunt, pietas ipsorum meretur immortale præmium.

COLLEGIVM LVBlinense.

HÆresim eiurarunt nónnulli, inter quos fœmina illustri nata loco, quæ se ad diuinæ gratiæ, & veræ fidei vberiores satus accipiendos, per inediam certis diebus voto firmatam non paruo antè tempore, disposuerat. Schismati Græco addicti, ad Ecclesiam aliquot reuenerunt. Armenii, qui è Perside hùc mercatus causa comearant, damnato Eutychete, per abstinentiam etiam ab vsu piscium, toto Quadragintadiali tempore, ad Sacramentum Eucharistiæ dignè percipiendum se compararunt, præmissa per interpretem expiatione peccatorum. Magno etiam Catholicis solatio fuit, cùm nostro in templo solenni apparatu Metropolita Kyouiensis, ritu Græco sermone Sclauonico, sacram Liturgiam celebrauit; quo tempore noster Ecclesiastes, de principatu Ecclesiæ Romanæ, Græcæq; cum ea coniunctione verba fecit, in magna nobilitatis frequentia, & cum eximia omnium approbatione.

bationе. Mulier ad Anabaptistas inclinans, à nescio quo omnem oculorum aciem effugiente, colapho egregiè impacto, pedem est referre docta. Asceticis B. P. N. commentationibus nonnulli, tùm Clerici, tùm Laici, sunt eruditi. Fidei rudimenta quatuor locis ad ipsam vrbem diebus festis docentur: extra quoque duabus in Parochiis eadem sunt explicata. Tres quatuorvè alii, missi in diuersa loca, Deo & incolis operam suam probarunt. His appono singularis humanæ nequitiæ, & eximiæ bonitatis diuinæ exemplum, multis iam post veterem Theophilum, factum commune. Deuenerat quidam ope mali dæmonis, cui se conceptis scripto verbis addixerat, à tenui re familiari, ad opes inuidendas. Huius fœlicitatem miratus alter, imitari statuit nequitiam. Iubetur syngrapham deuotionis sanguine proprio exarare. Summa initi pacti capita hæc fermè erant. Si mihi trecenta aureorum nummum millia annumeraris, si per annos sedecim vitam & libertatem prorogaris: si nè quid incommodi dicto annorum spatio, ferro ignivè patiar, caueris; tùm tu, & animi & corporis mei, ex asse hæres esto. Iam propius erat nihil, quam vt feralis stipulatio acceptis nummis per Apocham cacadæmoni firmaretur. Verum placuit Deo labentis ad interitũ animo opem ferre. Dùm bis tervè, variis erroribus incussis, ad nefariam trapezitam accedentem, ab impio conatu retraxit. Vidit illam ipsam execrandam pactionem, scelerato conscriptam cruore, Sacerdos is: q præsentem hominis saluti attulit medicinam.

Mouit Deus nonnullorum animos, qui & liberalitate, & propenso officio, res Collegij mirificè adiuuerunt. Nam

Nam inprimis ampla area, Scholis extruendis accesit, aliquot ædibus ternum millium, & ducentorum florenorum summa coëmptis. Rem hanc per se gratam, duo faciunt gratiorem. Alterum est quod templum nostrum non modò à sordibus, sed etiam à conflagrationis periculo liberauerimus, alterum, quod rem simus consecuti, iam ante annos nouem, magnis cum molestiis obnitentibus ciuibus, nequicquam tentatam. Hoc enim demum anno, Serenissimi Regis mandato, viri aliquot primarii, ex æquo & bono æstimationi horum ædificiorum præpositi, rem ad fœlicem exitum deduxerunt. Maximè verò hoc in negotio, operam suam nobis strenuè nauauit is, qui hoc anno generalibus Regni iudiciis præfuit, Societatis nostræ amantissimus Perillustris D. Stanislaus Stadnicki Castellanus Præmisliensis, qui etiam sub idem tempus calice argenteo rem sacram, & non exigua eleemosyna sæpius dùm hîc maneret, submissa, auxit. Duæ præterea illustres matronæ, vesti sacræ comparandæ subsidio fuerunt. Harum altera ducentos, centum altera florenos dedit. Principem in liberalitate, & Soc^tis obseruantia locum sibi vendicat Illma D. Barbara à Tarnow, Clarissimi quondam Zamoscii thori consors, quæ quod annis superioribus se facturam receperat, vt ære alieno contracto aliquot florenorum millium, liberaret Collegium, eadem etiam hoc anno pecuniæ partem, ad ea dissoluenda debita, Collegio liberalissimè obtulit, curam sibi reliquæ summæ dissoluendæ reseruans. Vir nobilis, calicem, & guttorum par, ex argento itemque tàm aræ quam Sacerdotis ornatum è pre-
tiosa

tiosa Attelica veste comparauit. Quidam è ciuibus ducentis florenis rem domesticam iuuit. Adhæc suggestus eleganti artificio, vermiculato opere, templi ornamento accessit, sacellumque sumptu Illustrissimæ coniugis Ducis Slucensis, apud nos olim humati, inducto tectorio, & cum amplis luminibus, Cruceque inaurata, tholo erecto, hoc anno est perfectum. Denique deiectis ligneis memanis, ambulatorius xystus, opere fornicato adiectus templo, commodiorem transitum à Collegio ad sacrarium præbet; & parietem ipsius ædis sacræ, qui vitium facere videbatur, egregiè fulsit. Agmen claudet id quod exeunte hoc anno factum est in oppido Collegii Iurisdictioni subiecto, cùm isthic sub tempus Iubilei, duo è nostris Sacerdotes operam nauandis oppidanis darent: puer quispiam rusticanus suasu duarum muliercularum, accessit in turba, nulla præmissa peccatorum expiatione ad Eucharistiæ sumptionem. Accipit Venerandam Hostiam, eandemque ex ore eiicit, deprehenditur à circumstantibus, comprehenditur, excutitur, reddit, quod sacrilegam in manum abdiderat, fœminam authorem facti prodit, atque vna cum illa Magistratus sententia pœnas dat.

COLLEGIVM IAROS-lauiense.

Annus hic spirituali messe paulò quàm antè cumulatior, vacillantes in fide confirmati duo, Græcorum Schismati vndecim renunciauerunt. Quatuor hæresis discussa nocte lucem

veritatis aſpexêre. Fœminæ impeditam & oppreſſam mentem conſcientia, nequam ſpiritus territabat; ea noſtrorum opera in ſpem ſalutis erecta, bene in Domino ſperare cœpit. Vir autem quidam tenebricoſis conturbatæ conſcientiæ pedicis, totos quinquaginta annos illaqueatus, ob enormes cælatas in iuuentute noxas, ipſe ſcelerum ſuorum de ſeipſo ſupplicium ſumere conſtituerat, niſi incredibili Dei clementia, ac prudenti confeſſarii percontatione, tandem iiſdem exolutus, liber domum rediiſſet. Alter ſeptuaginta propè annos inquietæ conſcientiæ anxietates, tolerare amplius non valuit, ad noſtrum appellauit, & poſt diuturnos animi turbulenti fluctus, defixa pœnitentiæ anchora, ſe tutò collocatum lætatur; idem etiam vxori legitimæ ſuperſtiti alteram, atque alteram ſuperinduxerat, in diuerſis locis duabus relictis, cum tertia, propter terriculamenta nocturnorum ſpectrorum, ſe tutò habitare non poſſe conteſtatus, illicò ad primam rebus iuxta directionem confeſſarii compoſitis, ſe rediturum octogenarius pollicetur. Nobilis quidam, ſed ſolutioris vitæ Adoleſcens, veneficarum præſtigiis infaſcinatus, fœdo virginis amore captus, eò inſaniæ deuenerat, vt omni cibo ac ſomno neglecto, ſeriis occupationibus excluſis, ipſam etiam domum quam incoleret, faſtidiret: vix putri ſanie, fœdum apoſtema ſpirituali medico detexit, lethifero vlceri cœleſte pharmacum inuenit. Multorum prauis, & inueteratis odiis diſsidentium, reſtituti in cōcordiam animi. Quidam infeſto animo incumbebat in perniciem alterius, cum eo agebat

ſtrenuè

ſtrenuè Pater, vt odium deponeret, verùm indies ingraueſcebat inimicitiarum acerbitas: tandem cùm dimoueri non potuit, Pater facilem illi mentem pollicetur, ſi flexis genibus expiaret peccata confeſsione; ille quidem hoc ſe facturum edicit, ſed offenſam animo neutiquam remiſſurum; tùm ita furens procubuit in genua; mirum dictu, necdùm noxarum ſeriem retexere inchoarat, cùm ſubitò irarum flamma illa quæ tàm latè diffuſa exarſerat, extincta, & in fomite præfocata concidit, effectumque vt ille non tàm vindictæ, quàm humanitatis memor offenſam remitteret omninò. Matrimonii leges violatæ multis illicitis nuptiis, nouo Sacramento recognitæ. Quindecim ánnis quidam mulieri illicitè adhæſerat, pœnitentiæ Sacramento expiatus, abdicatis illius pernicioſis amoribus, ex qua multam ſuſceperat prolem, eidem licito matrimonii nexu ſeſe deuinxit.

Domus fabrica ſingulari ſtructura auctior aſſurrexit: nam & ea quæ ante annos octo validus abſumpſerat ignis, reſtaurata ſunt, & paries ea parte, qua Domus ciuitati frontem porrigit, in altum erectus ad arcendam flammam, ſi (quod auertat Deus) à ciuitate orietur, peropportunus. Liberalitas Illuſtriſsimæ Principis filiæ Fundatricis noſtræ, non parùm cum ædi ſacræ, tùm Scholis noſtris, & opis & ſplendoris attulit: & quidem templo præter tapetes penſiles raræ magnitudinis, quingentis florenis æſtimatos, velum quod ſummo altari obtenderetur centum florenorum pretio, & veſtes ſacras complures aureo filo intertextas cōparauit:

at in Scholis eiusdem largitio studiosæ iuuentuti adiumentum tulit, cùm diligentiorum industriam honorificè præmiis accumulauit, & pauperem Christum, cum septuaginta studiosis egentibus, vestitutu non leuidensi induit.

COLLEGIVM LEOPO-litanum.

QVartus iam supra vigesimum agitur ann°, ex quo in hac vrbe Rußiæ primaria Societas nostra residet, Collegio extruendo locum idoneum magno cum desiderio suo, aliorumque ingenti labore quærebat: obstabant varia; maximè verò inanes de Societate, & iuuentute Scholarum nostrarum suspiciones; & timores. Variæ quæsitæ viæ; multa tentata per primarios Regni Proceres, nihil confectum est, grauißimè reclamãte Magistratu, & huius tractus amplißimi nobilitate primaria: quæ partim pro ære Iudaico, partim pro suo Schismate, quo ferè infecta tota Rußia est, tuendo viriliter decertabat. Vltimò tandem totum negotium, ad Illustrißimum Dominum Stanislaum Zothieuium Kyouiensem Palatinum, & Campiductorem deuolutum est; nobilißima Matrona, magni Cancellarii olim coniunx, iam vidua, pro suo in Societatem amore, studiosißimè coniugi D. Campiductoris erectionem huius Collegii commendauit, & vt apud maritum, pro re tàm vtil. Ecclesiæ Dei supplex ageret, obnixè expetiit. Quam rem mulier præstantißima ita cordi accepit, vt redeunti marito ex castris & ab hostibus Serenis-

renisſimi cum triumpho ad Regem properanti, ad pedes prociderit, Societatis Leopoli commendans negotium impenſe. Facilè tàm humili petitione Dux eò adductus eſt, vt coram ſpectante multitudine, Deo & coniugi promiſerit, ſe hanc cauſam apud Regem promoturum. Quapropter ſuperiorem Domus noſtræ ad ſe accerſit, & ad Regem expedit, ſibi vt authoritate ſua regia liceret erectionem Collegii Leopolitani, à tot annis tentatam, perficere, & omnibus litib⁹ finem imponere. Cracouiæ dùm coram Ser^{mo} præſente etiam Sereniſſima Regina, à noſtro Patre de toto negotio diſceptatur; Regina infirma licet tunc æmulari volens tàm piæ Matronæ Zelum, tàmdiu inſtitit, donec Sereniſsimus ſe fore facilem Societati promiſerit. Itaque Illuſtriſsimo D. Campiductori ad hoc negotium, nomine Regis tranſigendum deputati, atque adiuncti ſunt tres alii, è nobilitate terræ Leopolienſis viri primarii, qui diligenter diſpicerent, vt citra ciuitatis detrimentum, & priuatorum vllam iniuriam, Collegio Societatis locus in fundis Regiis opportunus deſignaretur.

Quod tandem Menſe Auguſto & Septembre, feliciter perfectum eſt, Regio namq; per Dominum Zothieuium obtento decreto, Domus nobis tradita pro Scholis ſub initium Octob. aperiendis accommodata eſt. Iuuerunt inſigniter noſtram tenuitatē in tanta celeritate duæ nobiliſsimæ Matronæ ſupra nominatæ. Altera enim pro accommodanda Domo, & ære alieno ſoluendo, duo millia contulit: altera ſupellectili domeſticæ attendens, præter lineum apparatum, pro veſtibus Fra-

trum vndecim ſtamina panni optimi cœmi curauit. Sub initium Octobris, ſacrum de Spiritu Sancto, ipſe Illuſtriſsimus Archiepiſcopus in ſua Cathedrali Eccleſia ſolenniter celebrauit. Ad Collegium deinde venit, vbi ab vno ex noſtris oratione grauitatis plena acceptus; ita illa pérmotus, vt non abſque lacrymis, noſtris ſe parentem & defenſorem futurum perpetuis temporibus, receperit. Aderat & Palatinus Podoliæ, cum primariis nobilibus Societatis amicis, & ciuitatis conſulibus prandio; qui omnes, poſtquam á menſa ſurrexerunt Patris Humaniorum literarum oratione; qua, quid vrbis Leopolitanæ celebritati Societatis Scholis inſtitutis accederet, demonſtrabatur. Quæ quantum placuiſſet, applauſu, & communi approbatione omnes quot aderant docuerunt. Lectiones caſuum conſcientiæ, à duobus Profeſſoribus, & à tertio controuerſiæ legi cœptæ: tres itidem Humaniorum litterarum Scholæ, in quibus intra hos tres Menſes, ſupra ducentos ſcholares numerantur, apertæ ſunt. Atque ita hoc modo, totum hoc tàm intricatum Societatis negotium fœliciter hoc anno finitum eſt.

Nunc pauca percurram, quæ hoc anno Deus per noſtros operatus eſt. Aucta eſt fundatio duobus pagis, quindecim millibus florenorum emptis, & tertio triginta ferè millibus æſtimato, quæ magnificus Dominus Stanislaus Stadnicki Caſtellanus Præmislienſis, primarius huius Collegii Fundator, in perpetuum donauit Societati.

tati. Inter duas primarias totius Rußiæ familias, ſuſpiciones, ad graues inimicitias vergentes, induſtria noſtrorum ſublatæ, & ad mutuum ipſi Senatores colloquium cum numeroſo milite vtrinque adducti, ſuſpitionibus depoſitis, amicitiam mutuam colere cæperunt. Romanæ Eccleſiæ reconciliatæ Ruthenæ ſeptem, quarum vna voto facto redeundi ad gremium Eccleſiæ, viſum quo antea caruit, recepit.

Confeßiones generales auditæ quam plurimæ, magis intricatæ quadraginta. Multi per plures annos, ſine Deo ac vſu Sacramentorum viuentes, ſub tempus Iubilei per pœnitentiæ Sacramentum adiuti, & ad meliorem frugem reuocati. Virginibus quoque in clauſtro Deo dicatis, nonnihil operæ impenſum.

Quidam 7. annis non confeſſus, dùm in annos ſui animi expiationem differt, repentino eoq; graui correptus media nocte morbo, votum facit confeßionis: nec voto ſuo defuit Deus, ſiquidem & in craſtinum vi morbi remittente reſeruatus eſt, & prima luce, grauißima, qua ſeptennio premebatur, peccatorum mole, non ſine magna animi ſui voluptate, ſuorumque gratulatione leuatus eſt. Militi cuidam homini rapinis & cædibus aſſueto, aures datæ confitenti, ad omnia, quæ confeſſarius illum facere vellet, parato. Iam quantum reculæ ipſius paterentur, per vim miſeris hominibus erepta reſtituere, iam ſi per tenuitatem liceret ſuam, in corpore, ſi ita Sacerdoti videretur, puniri volebat,

vt vel proprii corporis dolore, animi quà periculum redimeret, quà molestias abstergeret. Carceres & Nosocomia visitata: adiuti consiliis salutaribus multi: dissidentes odiis inueteratis sublatis, reconciliati multi. Hæc Domi, foris non desunt similia.

In Missione suscepta Zolkroæ, doctrina Christiana per totum Quadragesimæ tempus ter in hebdomada tanto fructu tradita est, vt non pueri solùm, sed adulti etiam sexus vtriusque ciues, diebus festis frequentes adessent. Factæ & aliæ ad exercitum Regis contra Schytas Missiones, dùm ii valido & numeroso exercitu comparato fines Regni, Turcæ iussu, inuadere cuperent. Zotkiewio cum suo milite aduigilante, nè quà barbaris in Christianos sæuiendi daretur occasio. Milite, Ducis iussu cohortatione frequenti additus animus; ita nimirum, vt contra centum barbarorum millia, duodecies tantùm mille continens Zorkiewii exercitus, auidè in aciem progredi desideraret; contrà Barbarus cederet turpiter. Quod Dux belli Zotkiewi⁹ Deo, & nostris sua industria militi ad pietatem facilè Ducibus & Authoribus, ascribebat. Ibi sacra Missarum officia, in campis castrisque decantata, cantu Gregoriano, illum multis militibus callentibus. Confitentibus aures datæ pro festis quotidiè aliquibus, festis verò & Dominicis diebus, multis sæpè.

RE-

RESIDENTIA GEDAnensis.

Gedanensis Residentia solito angustior messis fuit hoc anno, ob Caluinistarum, penes quos ferè hîc summa rerum est, accuratam nocendi vigilantiam. Præterquam enim à templo nos Brigitano remouerunt, & exercitiis publicis: etiam vehementer soliciti sunt, qua ratione nos hominib⁹ exosos reddant; q̄ res ad abalienandum animos est efficax. Nihilomin⁹ laboratur à nobis in cō firmandis Catholicis, qui tantum abest, vt à doctrina semel suscepta resiliant, vi etiam feruentiores, hoc motuum Polonicorum tempore, quàm antea in officio Christiano peragendo extiterint. Adiecti quoque Ecclesiæ viginti circiter. Cæterum fiunt excursiones ad circumiacentes Parochias, ac monasteria, quæ partim per exercitia spiritualia, & cōciones, partim per sacras confessiones, magnum spiritualem fructum perceperunt ex nostrorum labore. Libelli inter protestantes distributi Catholici non sine magno fructu.

COLLEGIVM TORVnense.

Tanquam Lerna omninm malorum pullulans, in hac vrbe hæresis, modis omnibus nostrorum impedit conatus, nè dùm caput illi amputetur, fibræ etiam omnium errorum euellantur. Vnde hoc vi, hoc armis, contendit, nostris vt

omnis aditus ad eos Christo, & Ecclesiæ reducendos, præcludatur. Cæterum, quantò maior furor illorum in nos concitatur, tantò tùm Catholicorum Polonorum, qui in hac vrbe sunt permulti; tùm nobilitatis item vicinæ Polonæ Zelus in rebus nostris promouendis, exurgit feruentior; rumpuntur illi, templum dùm festis diebus, populo refertum, in præcipua vrbis parte situm, & sibi ante ereptum, conspiciunt: illi interim tanquam mures in antris, in sua vrbe licet, latere coguntur. Habentur porrò à nostris hoc in loco singulis diebus Dominicis ac Festis, ternæ conciones, binæ matutinæ, Germanica videlicet vna, Polonica altera, tertia pomeridiana Polonica. Ex quibus non spernendus fructus consequitur. Ab hæresi absoluti vnuldeviginti. Vacillantes in fide non pauci confirmati, acinprimis aliquot nobiles Adolescentes, qui à parentibus hæreticis ad Scholas Torunenses hæreticas ideò missi erant, vt corrumperentur: interim tamen diuina eos protegente clementia, res aliter euenit. Nam opera vnius è nostris clanculum itendidem euocati, cùm varias, quas à suis Ludimagistris habebant, contra fidem Catholicam obiectiones propositas, nullo negotio solutas aduerterent, consiliis conuenientibus, & libellis hæresi confutandæ idoneis instructi, ad Scholas nostras sunt directi.

Præclarum vnius è talium numero subiiciam exemplum. Subinde is ex hæretico Gymnasio veniens, nostrum vt audiret concionantem de rebus fidei, manus dedit veritati, ita tamen

men, congredi vt cum noſtris (eò quòd nomen ipſum Ieſuitæ omnibus illis admodum inuiſum, nedùm conuerſatio) non auderet. Conceptum non valens animi affectum erga nos ſupprimere, erumpebat aliquando, noſtram propugnans innocentiam, cùm in concertationibus Scholaſticis, tùm publicis, tùm priuatis, noſtram famam hæretici Profeſſores lacerarent. Apertè demum Religionem Catholicam, Caluinianæ & Lutheranæ ſectæ præferre aggreſſus, Societatis doctrinam, modumque docendi collaudans. Res ea ad Rectorem Academiæ primum delata, & ad Profeſſores, tùm ad ciuitatis Gubernatorem, Burgrabium vocatum, occaſionem illi dedit, Chriſtum vt publicè profiteri, & Eccleſiam Catholicam non erubeſceret. Rectoris iuſſu ab apparitoribus in publicum carcerem coniectus, non aliam ob cauſam, quam quod dogmata Ieſuitica ſuis præferret, & ex eorum Lyceo condiſcipulos euocaret. Hoc ſcelus, hoc crimen illi obiectum. Squalorem & famem in carcere per duas hebdomadas perpeſſus, tandem ſua modeſtia hæreticam vincens tiro nouus peruicaciam, dimiſſus, prohibitus nè quam cum noſtris haberet conuerſationem.

Quare cum modi omnes, noſtros adeundi, illi eſſent præcluſi interdiù, noctu clàm, Domum noſtram ventitabat, de fama tantùm antè noſtris notus; expoſuit ſe nunquam in vita maiorem habuiſſe conſolationem, quàm cùm eſſet in obſcuro carcere, & quomodo toties examinatus à Ludimagiſtris & Senatu ciuitatis, an ad aliqua conſilia ab Ieſuitis

Iesuitis esset inductus, nobis explicuit; publicè demum (prohibente licet nostro Sacerdote) ad pedes illius supplex venit, conscientiam deposuit, & hæresim eiurauit, ad Scholas nostras vt voluit est directus. Cùm noster pro concione Societatis proponeret sæpius innocentiam, eam omninò á fraudib⁹ esse alienam, mitior esse aliquantum cœpit efferata hæreticorum malitia, plures conueniebant eundem audituri. Cæterum buccinator eorum hoc videns, allocutus pro concione suos: crescunt, inquit, Papistæ (hoc nomen opprobrii loco dant Catholicis) nostri autem Euangelici decrescunt, videret Senatus, quid inde secuturum sit. Eodem die promulgatum, nè vllus adire auderet templum nostrum, pœna etiam graui proposita iis, qui secus facerent.

Illustrissimus Antistes D. Laurentius Gembuki, sua non deest nobis propugnatione, & fauore, cùm ciuitatis Senatus nostros anno superiore vi e domo Parochali eiecisset, Parocho non modò nō impediente, sed annuente etiam, ad quam præcedente loci ordinarii authoritate, & consensu eiusdem Parochi, ius nobis fuit concessum: iterum Societatem, frementibus hæreticis, Catholicis verò noua gestientibus lætitia, introduxit Episcopus, Parocho tamen perurgente, in eadem aula nobiscum vt viueret, cùm iam aliam haberet æquè amplam, ac commodam, sibi à Societate comparatam. Vnum fuit, quod nostros affligebat admodum, dùm mulierem ad cibos parandos domi asseruaret, cupiens nos hac ratione Domo illa cedere. Sed ea re cognita Episcopus, aduocato Parocho,

præ-

præſente P. Prouinciali, & P. ſuperiore, grauiſsimè rei indignitatem illi expoſuit, & vt ad aliam domum commigraret, ſua authoritate effecit. Et ſanè etſi nullus alius fructus per noſtram Torunenſem commorationem colligeretur, præter familiæ Catholicæ, apud hæreticos degentis in fide confirmationem, non paruus animarum prouentus is cenſeri poſſet. Iam confeſsiones quotidianæ non deſunt, diebus autem ſolennioribus ordinariè multitudini pœnitẽtium ſatisfacere non poſſumus. Nuper autem cùm circa finem anni Iubileum fuiſſet promulgatum, mirum eſt, quantus per duas integras hebdomadas, ad pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramenta fuerit concurſus, ex locis etiam remotioribus: & eorum confeſsiones quæ veniebant, ordinariè, aut erant totius vitæ anteactæ, aut multorum annorum. Trium etiam monaſteriorum moniales, loci ordinarii poſtulatione accedente, in ſpiritualibus adiutæ ſunt. Non deſunt etiam noſtri infirmis.

Illuſtriſsimus D. Albertus Baranonski Archiepiſcopus Gneſnẽſis, & Regni Primas, hac via ad nouum Archiepiſcopatum pergens, ad nos hoſpitii cauſa diuertit, poſthabitis plurimis magnificis hoſpitiis, quæ illi Torunenſes præparauerant: quo tẽpore Illuſtriſsimus D. Laurentius Gembuki Epiſcopus noſter fuit nobiſcum, cùm illi etiam ipſum Prætorium, in quo Regem excipere ſolent, pro hoſpitio offerre vellent Torunenſes. Teſtati ſunt prudentiſsimi Antiſtites hæreticis, quanti eos facerent, quos illi iure nullo odio proſequuntur. Spes in Domino breui nos Scholas noſtras habituros,

quibus

quibus etiam ad ipſos Hæreticos facilior nobis aditus patebit.

COLLEGIVM SANDOmirienſe.

VNus è noſtris in hac Reſidentia, ſeu in Collegio inchoato, Pater Albertus Mroſcouius ſuperior Domus, vir trium ſupra ſexaginta annorum, diuturno morbo conſumptus, è corporis ergaſtulo ad vitam beatiorem 2. Februarii emigrauit. Vir in regendis aliis ſumma cum laude charitatis & prudentiæ annos multus verſatus. Egerat plures annos in Societate, magna ſemper opinione probitatis. Numerari poteſt è primis Sociis, qui exurgente hoc in Regno Societate, aliis doctis viris Academiæ Cracouienſis Profeſſoribus illis ſæculis celberrimæ, noſtrum inſtitutum amplexus, eſt additus. Romæ ingreſſus, annis aliquot eò in pœnitentiaria ad D. Petrum tranſactis. In Lithuaniam miſſus, primus Collegii Neſſuiſienſis, apud Illuſtriſsimum loci eius Ducem, Nicolaum Chriſtophorum Radiuilum, promotor induſtrius, cui à confeſsionibus annis multis fuit, illi & aliis viris illuſtribus percharus fuit. Eiuſdem vtens conſilio, Illuſtriſsimus Palatinus Poſnanienſis Hieronymus Goſtomski, ad fundandum Societati Collegium Sendomiriæ, inductus eſt: cui ob iudicii maturitatem, ac mores religioſos, magnæ ſemper fuit admirationi.

In conuerſatione cum viris Principibus, id ſeruabat, vt eos non tàm ſibi, quàm Societati potius redde-

redderet beneuolos; ita vt inter illum Ducem Illustrissimum & amplissimum item, de quo diximus Palatinum, Regni Senatorem, perpetua de eo retinendo fuerit concertatio, magna tamen cum satisfactione Societati, & eius existimationi. Finem vitæ, magno patientiæ exemplo diuturno morbo conflictatus, conclusit; in ipso agone illam à Beato Patre nostro in exercitiis relictam precationem inculcari sibi iussit; Anima Christi sanctifica me &c. Funus magna omnium hominum ordinum frequentia celebratum, dicente ad concionem Parocho, ac de laudibus Societatis, præsertim verò mortui Patris, multa disputante.

Illustrissimus Fundator nostri studiosissimus est, templum Auditor concionum perpetuus, frequentat. Diuinis etiam in nostra Domo commentationibus ad Iubileum consequendum se comparauit, & peccatis confessione expiatis, cælesti pane refectus, in nostraque Domo aduocatis nobilioribus viris cibum sumpsit. Munificentiam superiorum annorum, insigni huius anni, quo in communi Regni perturbatione maxima damna acceperat, liberalitate cumulauit. Nam præter duo millia florenorum, quæ quotannis in Collegij ædificationem ab ipso penduntur, rem nostram mille triginta florenis auxit. Collegij potissima pars situ commodissimo, & amœnissimo in Vistulam fluuium, & campos prospectu, ad tectum perducta, crediturque eam primo vere non incommodè habitari posse.

Fru-

Fructus ſpirituales tùm domi, tùm foris non pœnitẽdi reportati. A variis hęreticorũ ſect.s ad Eccleſiam quindecim rediêre. Fœmina erat nobili loco parentibus hæreticis nata, ſed (quod initium fuit ſecundum Deum ſalutis) viro optimo, & inprimis acri, & feruenti Catholico nupta, quam cùm ipſa dies, & pii ſermones mariti, maximè verò lux veritatis vt veritatẽ amplecteretur, induxiſſet, vocato Sacerdote noſtro de hæreſi eiuranda agere cœpit, imò noſtrum vrgere, vellet in viam errantem reducere. Mater hæretica rem vbi ſubolfecit grauiſſimè commota, nihil non egit, quo filiæ conſtantiam loco moueret. Miniſtros, maximi iis in locis nominis, euocat, beneque contra noſtrum comparatos eſſe iubet; aduolant ii, ſed maritus vir acer, ſingulos ſe truſtulatim, ſi pedem in domum intuliſſent, affirmauit conciſurum, ita re deſperata domos ſuos reuerterunt. Mater furibunda re comperta, victam ſe dolẽs, omnia infauſta filiæ imprecata triduum in ea domo, nec ſomno, nec cibo ſumpto perſeuerat, omni ſpe deiecta, nec dicto vale, domum ſe furenti ſimilis proripuit.

MIS-

MISSIO AVlica.

QVI ex noſtris in aula Regia verſantur, nihil à ſolitis ſuperiorum annorum exercitiis remiſerunt, concionibus ordinariis partim Polonicis coram Rege, ac Regni Proceribus, partim Germanicis coram Regina habendis, confeſſionibus item vnus Regi ea in parte vacat, alter Reginæ, tertius Principi audiendis cum pietatis fructu. Perſeuerauêre verò etiam æquè atque annis ſuperioribus proximis in pijs libellis, partim ab alijs ſcriptis magna copia, aliquot millium edendis, ac gratis ſpiritualis eleemoſynæ nomine diſtribuendis; partim ijſdem pro temporis exigentia conſcribendis, & conſcribi procurandis. Quo in genere cùm noui Samoſathenici hæretici, qui Chriſtum ante Mariam extitiſſe negant, hinc inde viderentur hoc tempore libris aliquot editis virus ſuum fidentius ſpargere, data opera eſt, vt nihil non omnium quæ illi euomuerant, variè refutaretur; cùm per alios, tùm potiſsimum per ipſos aulæ Patres, diſſeminatum exinde in omnium locorum, quam hæretici illi obtinent viciniam libellis, quo facilius reprimerentur. Et conſtitit operę ſuus fructus. Publici Regni huius motus, qui duobus proximis annis, cùm Regem Regnicolaſque omnes tùm noſtros, ac inprimis Aulicos haud leuiter exercitarunt, hoc demum anno compoſiti fuêre, conuocatis in id Cracouiam ad Sereniſsimum Regem Regni Senatoribus, ac primariis motuum authoribus reconciliatis,

atque in gratiam receptis. Quandoquidem is, qui omnium Princeps fuerat, misso primum ad superiorem nostrum Nuntio, qui significaret, cupere ipsum domi nostræ nos inuisere, cùm abesse illum peregrè ea die intellexisset, nec morari tamen diutius ipse posset, misit paulò pòst alterum ex suis virum grauem, per quem inposterum omnia sua studia officiaque Societati nostræ prompta parataque fore, non minus quam olim fuissent, significabat, excusabatque etiam præteritorum Mensium iniurias: neq; enim sua opera quicquam sinistri intentatum fuisse Societati, sed eorum maleuolentia, qui sibi adhæserant, quorum importunitati non potuisset resistere. Maiorem omnium Ordinum, post sedatas Regni tempestates, beneuolentiam erga nos sentimus, ac Regum inprimis, qui cùm numquam non propensissimo in nos fuerint animo, nunc tamen paterno etiam affectu ferri in nos videntur. Cum ipsis Natalitiis Festis natus illis filiolus fuisset, & paulò pòst infirmior deprehensus, quam vt ad externorum Principum (qui ad Baptismum inuitati fuerant) aduentum videretur superuiuere posse, initiandusque propterea citius esset, operam ad id alterius nullius, quam Patris nostri adhibere Rex voluit, fecitque propterea in sua præsentia, ac paucissimorum, ab ipso baptizari. Vnde cùm aliàs causæ Collegiorum nostrorum ad Aulæ iudicium delatæ, audiendæ ac definiẽdæ occurrerent, benignè admodum, & aures præbuit Rex, & quantum ius fasque tulit, gratiam fecit.

Reges præterea ipsi in omni Christiana pietate, ꝓficiunt indies. Nullus iis dies absque Missæ sacrifi-

cio,

cio, etiam iteratò, præterit. Præter ordinarias precum deuotiones, nullum Festum absque concione & publica Liturgia, & priuata etiam in aula vesperarum musica decantatione (imò absq; his, nè proximis quidem festis feriæ vllæ) Nulla solennitas Ecclesiæ maior absq; Sacramentorũ diuinissimorum participatione: Nulla septimanæ maioris, quæ Pascha immediatè præcedit, Ecclesiæ publica Cæremonia, cui non religiosè adsint, soléni etiam illa priuata deuotione addita; qua feria 5. magna tredecim pauperibus, in memoriam Cœnæ Domin. lautũ prandiũ præbent, ipsi suis manibus (adhibitis simul Patribus nostris ad idem ministerium) iis deseruientes, ac larga in fine eleemosyna prosequentes. Addidit verò hoc anno Serenissimus ipse Rex ad solita feriæ sextæ magnæ exercitia, etiam omnium templorum Cracouiensium priuatam visitationem, non sine magno labore, viam longissimam & lutosam, totam pedibus suis emetiens.

Cùm verò idem non ita longè post Pascha in febrim, & longam satis, & molestam, incidisset, insignia humilitatis exempla passim edidit ac deuotionis, manus capiti suo (dùm grauiorem sentiret morbi impetum) à Patribus imponi postulans, & Sanctorum reliquias itidem sibi applicari, non aliorum tamen manibus, quam nostrorum deposcens. Nam cùm initio morbi pergraues capitis dolores passus fuisset, ex quo S. Hyacinthi caput suo adhiberi capiti fecit, exinde iam omni tali molestia grauiore leuatum se testatus fuit. Nec ita multò pòst cùm Sancti Stanislai etiam reliquias apportari fecisset, paulatim totus morbo fuit liberatus.

Hùc accedit, quod cùm in bello illo ciuili contra perduelles ab eo ſuſcepto voto ſe obſtrinxiſſet, Diuam Virginem Czeſtochouienſem ſupplex vt viſeret & veneraretur, ſi ſalua ab illo extremo periculo eſſet Reſp. & eius Regia authoritas, hoc cùm cœlitus obtinuiſſet, dùm ad indictá Regni comitia proficiſceretur, voto prius pius Princeps exſolui voluit, quod & fecit, magna in pio illo loco & admiratione digna, declarans pietatis & mentis ſubmiſſæ argumenta; Reginæ cœlorum & Patronæ ſibi in periculis propitiæ grates perſoluens debitas.

MISSIO TVROBINENSIS.

EXcurſum eſt, tùm à Patribus tertii anni, tùm aliis Iaroslauia ad aliquot Ruſsiæ oppida. Turobinum verò primum, vbi laboratum à noſtris duobus, cum eo qui ſequitur fructu. Chriſtianæ doctrinæ fundamenta inter paruulos primum iacta; deinde die feſto ea inter incolas ratione eiuſmodi promota ſunt. Expoſitis duobus in templo vexiliis, paruulorum vno rubeo, altero puellarum albo, vtriſque eleganti pictura illuſtribus; pro concione cohortatus Pater populum, horis vt pomeridianis Chriſti doctrinæ adeſſent. Fit magnus puerorum concurſus, & ſi virorum familiæque domeſticæ non item. Perlongo ordine collocantur paruuli ante maius altare, vexillo vno prælucente pueris, puellis altero. Incipiunt à ſigno Sanctæ Crucis, mox per modum cantus ſupplicant Deo, donaret gratiam diſcendi ſalutis æternæ documenta.

Tan-

Tandem de templo pari ordine exeunt, forumque & vicos Christianæ doctrinæ rudimenta concinentes, obeunt; cum eo incolarum motu, vt quos campanæ pulsus aduocare in templum non potuit, puerorum moduli, de foro & vicis omnibus post se in templum omnes pertraxerint. Maiori ætati suus non defuit labor. Hominum superstitiones sublatæ. Inducta consuetudo est, vt diebus Dominicis & Festis mysteria fidei, & Decalogus cum Ecclesiæ præceptis ab omnibus canerentur in posterum. Postremo ipsi Sacerdotes tàm vberem fructum Catechismi mirantes, qui principio Aduentus nostri nostrum declinabant conspectum, postmodum & nobis affici, & nostra in confessione vti opera cœperunt. Liberalitas ciuitatis, in subleuandis nobis aut alendis, quantumuis testati essemus, nos pro labore impenso nec quidquam mercedis habere velle, tanta fuit, vt omnibus nostris necessitatibus abundè prospexerit; atque adeò vt fuerit necesse cũ pauperibus eleemosynam partiri. Prope discessum, tria pro bonorum ciuium consolatione fecimus, Confraternitatem D. Annæ collapsam restituimus: parietes Ædis sacræ, non tàm puluere quàm cœno intra ipsammet ædem obsitos, mundari curauimus: postremò in vltimo concursu ad Christi doctrinam valde numeroso, propè trecentos sacræ ceræ particulis donauimus; hinc abeuntes ex ciuitate nostros multo dolore omnes comitabantur.

MISSIO ZAMOYſcenſis.

VOluntate Epiſcopi Chriſti Doctrina toti ciuitati ita pro concione commendata, vt ad eam excipiendam, ter in hebdomada horis pomeridianis conueniant multi. Primo quidem paruuli & rudis familia domeſtica, deinde verò nobilis iuuentus, poſtremo etiam milites. Sed de paruulorum deſiderio diſcendi illud iucundum. Conuenerant aliquando plures paruulæ in vnum locum de myſterio Sanctiſsimæ Trinitatis, ea quæ didicerant, inter ſe conferentes, cum nulla earum rationem reddere valeret; his caſu paruulus obuius, de qua re colloquium inſtituerent, inquirit; reſpondent quid ſit Sanctiſsima Trinitas quærimus, verum non poſſumus meminiſſe bene, quæ docuit nos Pater de hoc Myſterio, tu eorum iuua memoriam. Puer ſine præmio doceri noluit. Virgunculæ illæ, quidquid placentarum in ſportulis penes ſe habebant, paruulo donarunt, doceret modo omnes. Docuit, edoctæ illæ alacritatis poſtmodum in reſpondendo præmia meruerunt. Illuſtriſsima Cancellaria vidua, inprimis præſentia ſua ex xeniolis addebat animis teneris igniculos. D. Thomas Zamoyſcius, vt eſt ingenio præſtans, mirum dictu, quomodo ea quæ ad vitam rectè inſtituendam ſpectabāt, prompta excipiebat aure, & alios nobiliſsimos iuuenes, doctrinæ eidem nè deeſſent, monere ſatagebat, matre piiſsima fœmina ſedulò id promouente. Clerus etiam caſibus conſcientiæ neceſſariis infor-

informatus, cum fructu ſanè maximo, quem & externi notarunt. Nam vox illa audita. Noſtri Sacerdotes, poſteaquam Patres de confeſsione documẽta illis dederunt, diutius expendunt pœnitentium peccata. Ex eis duo ante primum ſacrificium exercitiis ſpiritualibus adiuti: vinctis, ægris, moribundis data opera penè quotidiana, Noſocomium etiam viſitatum. Et quia in abſentia ordinarii poſtulante Epiſcopo, munus concionatoris, vltra bimeſtre, iidem noſtri obierunt, duos ex hæreticis Catholicæ Eccleſiæ aggregarunt, plures ad peccatorum deteſtationem allexerunt. Catholicorum non pauci ad eam pœnitentiam inducti, vt honeſtam vitæ rationem inirent, condonarint iniurias omnes, & ſceleris vitæ anteactæ non pauci redderent rationem. Vnus Academicorum exercitiis noſtris ſpiritualibus adiutus. Alter nobilium Adoleſcentum in ſuæ negligentiæ vindictam abeuntem duodecim milliaribus Patrem aſſecutus, non modò confeſsioni vitæ totius dedit operam, verum & exercitiis ſpiritualibus, & electioni faciendæ ita ſe impendit, vt præter religioſum ſtatum nihil aliud complecti omninò ſtatuerit.



MISSIO PAVVLO-wienſis.

PAwlouium eſt oppidum Reuerend^mi Chelmenſis Epiſcopi, Zanayſcio decem milliaribus remotum, minimè quidem ſplendidum, verùm hominum rudium multitudine admodum clarum. In eo quingentorum hominum confeſsiones, à pluribus annis, imò totius vitæ plurimæ exceptæ, ea confitentium perſeuerantia, vt fuerit neceſſe poſtpoſito prandio cœnare. Pueri ſub vexillo, circuibant plateas canendo. Hominibus Græcæ fidei res ea magnoperè placuit, ſecuti illi non multò pòſt ad templum, vnde edocti ſunt neceſſaria ſalutis. Ad noſtram Religionem, & Sacramenta decem circiter acceſſerunt. Hæreticorum verò ſex conuerſi; Ruthenorum Sacerdotem vnitum (quanquam vix ipſa plebs vnitam ſe aliquando didicerat) & inuiſimus, & ad noſtrum hoſpitium inuitauimus, in duabuſque illi rebus commodauimus: Abſolutionem Sacramentalem, quam nunquam validè fecit, quia nulla fuit, facere docuimus; alterum in eius Eccleſia ipſomet annuente, & rogante, maximo concurſu Ruthenorum concionem fecim⁹; in qua de articulis illis fidei, in quos per ſuos Epiſcopos, ſummo Pontifici Clementi VIII. iurauerant, pluribus actum. Deinde poſt ſufficientem ſingulorum tùm argumentis, ex Scripturis, tùm ex rationibus deſumptis probationem, ab omnibus fidei conſenſum exegimus. Adſtabat illorum Sacerdos, dicta vera omnia, & certa eſſe confirmans, ita vt

vnica

vnica concione verè vniti Christi Ecclesiæ plurimi redderentur. Nobilitas vicina Christi doctrinæ fructum attentius admirans, nostros ad suos subditos instruendos, in pagum vicinum aduocauit. Atque vnus nostræ olim in Scholis nostris educationis: Memini, inquit, mecum Sodalitati Beatissimæ Virginis nomen meum darem, verba illa enunciasse. Statuo firmiter non permissurum me, vt à meis subditis, aliquid contra tuum honorem vnquam agatur &c. At verò mei subditi tanto tempore contra Dei & Matris Mariæ honorem, fidei mysteria ignorarunt; doleo equidem, succurrite Patres, nè id amplius offensæ culpa mea Deus ac Dei mater, sustineat. Excursum est ad pagum; Ethnicos potius, quam Christianos dixisses ante fuisse; omnes deinde præeunte Domino, & matrefamilias cum aula sua, confessione vel nunq̃ facta, vel à multis annis neglecta, peccata sua omnes expiarunt, cœlestiq; ibidem pane refecti sunt. Dùm paruulis panem frãgimus, Pastoribus illorum, quem potuimus etiam cibum tulimus. Proinde duorum illius oppidi Sacerdotum, atque adeò ipsius Parochi, à plurimis annis repetitam confessionem excepimus. Casibus conscientiæ instruximus, Sanctissimum Sacrificium Missæ, cum omnibus Cæremoniis Romanis recens editis, facere docuimus. Christi doctrinam vt promouerent, diligenter commendauimus, quod se facturos seriò receperunt.

MISSIO SAVInensis.

INde tribus milliaribus ad aliud vicinum eiuſdem Epiſcopi oppidum itum eſt: ibi Deo bene fauente, & plebem adorimur, & Sacerdotes. Itaque paruulos, qui etiam fuerunt è Schola diſperſi, ſiue negligentia Ludimagiſtrorum, ſiue parentum incuria, non paucos congregamus; docemus in Schola fidei rudimenta, fructu magno; qui dùm difficile poteſt deriuari in plebem ob frigus ſolito acerbius, paruulos ſuo ordine, præferente vno ex illis vexillum, per plateas emittimus; qui premente gelu mira tamen alacritate puerili currētes, mox in domus alicuius amplæ calidum ingrediebantur hypocauſtum: in quo poſteaquam plures è vicinis domibus eſſent congregati, res tota, ſublato frigoris impedimento, ad mentem cedebat, incolarum fructo maximo, paruulorum etiam ſummo guſtu, vt fuerit puerorum repertus non vnus, qui nudis pedibus, per medias niues glacieſuè ſeſe ad alios adiungeret, vt Chriſtum modo diſceret. Fuit vnus omnium minimus, omninò rigens, quia ſeminudus: hic iuſſus abire domum reſpondit, quantumuis congelentur pedes mei nudi, feram dolorem, æternæ modo ſalutis addiſcam documenta.

COL-

COLLEGIVM NOVVM LVCEORIENSE.

FVerunt in eo Collegio quinque è nostris; tres Sacerdotes, vnus Magister, & Coadiutor alter. Tertius iam ferè exactus est annus, postquam nostri in his Voliniæ partibus consueta munia obeunt, nec sine Societatis nostræ commendatione, & animarum vtilitate. Multorum enim in hac Prouincia animos, quibus nomen nostrum exosum fuerat, nobis bene affectos experimur, qui gratulari iam sibi videntur, quod Societas in has partes sit euocata, plurimumque optare, vt perpetuis duret temporibus, quod futurum Deo propitio speramus. Areæ & Domus, pro Collegio & mansione nostrorum sunt coëmptæ, locusque peropportunus. Quæ res postquam aduersariis nostris innotuit, dici vix potest, quàm hostili animo eos prosecuti fuerint, qui nobis acceptis plusquam mille florenis, bonis suis cesserunt, eoque sunt ꝓgreßi, vt laborauerint contractum rescindere, atque ex eo quem tenemus deturbare loco. Sed Deus irritos fecit conatus eorum. Vt autem Patres ad Scholas primo quoq; tempore aperiendas ex consensu Admodum R.P.N. Generalis animũ applicarent, Ill^mus ac Re^mus Episcopus modernus mille florenos annuos Collegio Luceoriensi aßignauit, quamdiù Societas in poßeßionem bonorum, ab eodem R^mo & Venerabili Capitulo aßignatorum non venerit. Circa hanc verò fundationem Collegii non modò Antistitis nostri, verumetiam Seren^mi Regis Poloniæ fauorem & beneuolentiam experti sumus, qui ꝓ eo, quo Rel^nis Catholicæ promouendæ tenetur desiderio, omnia q̃ ad Confirm^nem Collegii hui⁹ à Re-


gia

gia ipsius Maiestate requirebantur, magno cum affectu & animi propensione, à Patribus & à Reuerendissimo nostro rogatus, concessit. In promouendis aliis rebus nostris, non desunt præcipuè qui ad fabricam Collegii, liberalitatem & munificentiam offerant. Necessitatem Scholarum aduertunt etiam ipsi Schismatici, videntque quanta nostrorum sit hoc loco necessitas. In publico enim conuentu, ex communi consensu commissum est quibusdam nunciis, vt in publicis Regni comitiis, apud Serenissimum Regem, Regnique Proceres agerent de pace & tranquillatione (quæ à militibus interdum perturbatur) huic ciuitati obtinenda, eam vel maximè ob causam, vt nobilium virorum filii, in ea quiete quam Scholæ requirunt, pietate ac eruditione à nostris excolantur. Hinc fit, vt iam non pauci nobilium Schismaticorum & hæreticorum filii nobis sint ad instituendum etiam priuatim, quamdiù Scholæ apertæ non fuerint, commendati. Et licet sint multi, qui nobis de nostro in Voliniam aduentu gratulantur, non desunt tamen præcipuè ex hæreticis, qui hîc sibi nouas sedes & tentoria figunt, qui id iniquo animo ferunt. Vident enim sua praua consilia per nos retardari, suisque erroribus Deo fauente imminere excidium. Nec potuit id quidam ex nobilioribus in publico conuentu reticere, sed arrepta occasione affirmauit, valde timendum, nè Religio Græcorum, ex his in exilium mittatur partibus. Nullus enim filiorum nostrorum è Scholis Patrum Societatis prodiit, qui Ecclesiæ Romanæ, relicta parentum suorum fide, non sit aggregatus. Ego, inquit, aliquot filios tradideram

deram ad Scholas illorum erudiendos, & omnes iam à mea fide diuersam fidem profitentur, quod nè aliis etiam eueniat, vbi Scholæ ipsorum apertæ fuerint, periculum est. Et speramus talibus dictis euentum responsurum. Diuinaque cooperante gratia, & nostrorum accedente Zelo, breui fore, vt pietas & Religio in Volinia refloreſcat. Accedit & altera non mediocris ſpes magni fructus: Ruthenorum VVladika seu Episcopus, qui in eadem ciuitate Luceorienſi hoc anno reſiſtentibus Schiſmaticis & Hæreticis (eò quòd vnionis cum Ecclesia ſancta Romana amicus eſſe credatur) ad gubernacula Episcopatus, auctoritate Regia eſt collocatus, vnum ex nostris Patribus ad ſe vocauit, operaque illius ad directionem ſuæ conſcientiæ, antequam ſacris initiaretur ordinibus, eſt vſus, nec ordinari voluit, niſi prius ab eodem Patre, variis nodis & difficultatibus conſcientiæ expediretur. Dicebat enim inter ſuos non inueniri tales homines, qui certum & ſanum in rebus dubiis dare poſsint conſilium. Magnum ea res nobis, vti ſperamus in diuina bonitate ad lucrandas animas campum aperiet, præcipuè ad Schiſmaticos ad Eccleſiam aggregandos, & vt vnio quæ hîc eſt facta cum Eccleſia Catholica, maiora indies ſumat incrementa. Sunt etiam aliquot nobiles perſonæ erroribus imbutæ, in proxima ad Religionem Catholicam diſpoſitione, quæ hoc negotium ad Feſta Paſchatis iam imminentia diſtulerunt. In defectu templi noſtri proprii, vacamus confeſsionibus & concionibus in templo Cathedrali, à quo paſsibus aliquot diſtamus tantummodò, idque conſentiente Reuerendiſsimo ac Venerabi

rabili Capitulo Luceoriensi, quod cum superioribus annis plusquam sufficiens pro paucitate Catholicorum putaretur, iam adeò angustum pro his qui conueniunt ad conciones nostras & Sacramentorum perceptionem animaduertimus, vt Reuerendissimus de illo dilatando cogitet. Multi enim iam nobilium præcipuè festis solemnioribus confluunt, qui antea in priuatis suis aulis aduocato alicunde Sacerdote, eadem festa celebrare solebant, quare iam ad Sacramentorum vsum plures solito confluentes numerantur. Pro Festo enim Natalis Domini anno millesimo sexcentesimo nono, ad duo millia hominum peccatorum maculis expiati, & cœlesti cibo sunt refecti. Nec paruus cuipiam iste numerus videri debet, in his locis, vbi Hæreticis & Schismaticis sunt plena omnia. Mouit ea res non paucis admirationem, præcipuè cùm notarent ex nobilioribus quosdam ad Sacramenta multo tempore neglecta redire. Idem obseruatum est in aliquibus iam decrepitis senibus, qui tota vita sua nihil minus, quàm confessionem cogitarent, & ad hoc seruati tantum à Deo esse videbantur, vt pœnitentiæ debitum quod neglexerant, persoluerent.

Sunt & alia his similia, sed quia superioribus etiam annis similia, melius tacebuntur.



NOVA

NOVA RESIDENTIA CAmenecensis.


DVo ex nostræ Societatis Sacerdotibus hoc anno millesimo sexcentesimo octauo, quarta Maij Camenecum (ciuitas est in Podolia primaria, Episcopali sede celebris) appulerunt; qui à Reuerendis Dominis Prælatis Ecclesiæ Cathedralis benignè & beneuolè suscepti, iussu Reuerendissimi Episcopi Camenecensis Andreæ Pruchnicki in absentia eiusdem ad aulam Episcopalem deducti ibique collocati fuêre, vbi ad munus concionandi, catechizandi Dominicis ac Festis diebus, & binas singulis hebdomadis exhortationes faciendi, confessiones audiendi, & ad alia Societatis nostræ officia se accinxerunt. Nec solùm à Prælatis, verumetiam à nobilitate & ciuibus humaniter sunt excepti & tractati. Locum habitandi curant in domo cuiusdam Canonici defuncti, qui pœnitentiarii munere fungebatur.

Æstate tota & hyeme in templo, & carcere insignem fructum fecerunt, Rutheni enim quorum hic m.gna est copia, viginti septem Ecclesiæ sunt reconciliati, reducti & Catholici duo, qui ad Schismaticos desciuerant; Hæreticus vnus. Ad supplicium condemnati duodecim, nostrorum opera, in iis, quæ ad salutem animarum spectant adiuti, variorum dissidentes animi reconciliati, iniuriæ condonatæ, à superstitionibus, diuinationibus. maleficiis & malis propositis auocati nonnulli, patefacta multis annis in confessione peccata celata.

Quin-

Quinquaginta propemodum à concubinatu, & illegitimis connubiis reuocati. Deniq; ad meliorem frugem, concionibus, & confeſsionibus, & colloquiis priuatis reducti plurimi. Multorum animi noſtris officiis deuincti exoptant Scholas noſtras in tàm vaſta ditione Sacerdotibus & viris doctis, præſertim Ludimagiſtris deſtituta.

Si quæ Regio noſtrorum opera indiget, hæc vel maximè propter nobilium & militum extremam audaciam, & incolarum perditam vitam, ob Societatem & colluuiem Ruthenorum & Armenorum, quorum ingens eſt numerus: qui quamuis ſint animis adeò corruptis, tractari tamen & corrigi poſſunt, multo ſtudio & labore. India hîc altera eſſe videtur. Schythis enim & Turcicæ ditioni eſt Regio hæc vicina. Quare diuina gratia, & operariis ſpiritus feruore præditis ac laborioſis opus habet.



MIS-

MISSIO MOSCO-
uitica.

ANno à Christo nato 1606. & duobus sequẽtibus versati sunt in hac expeditione, nostri quatuor è Societate; duo Sacerdotes, duo item Coadiutores temporales. Missi autem fuerunt in Moscouiam, præcipuè vt Polonis Catholicis, in illis partibus, solatio & subsidio essent spirituali; deinde verò vt Demetrio Principi, qui se occultum Catholicum gerebat, Religionemque Catholicam & studia litterarum inter suos promoturum pollicebatur, non deessent; ac denique vt per occasionem, si qua posset via, genti etiam illi Schismaticæ, nec vnquam satis in Christi fide instructæ, lumen Euangelii clarius proponerent, atque ad vnionem cum summo capite, auulsa membra & spiritus vigore destituta reuocarent. Ac quod ad Moscos attinet, prima quidem vt dicitur glacies fracta est, siquidem & aditus patere iam in Moscouiam incipiebat Sacerdotibus Catholicis, & sacris operari, tametsi in priuatis ædibus, ita licebat, vt Mosci plerique omnes id cognoscerent, imò & permulti spectarent frequenter, quod antea nulli concessum erat: sed nostri parum abfuit, quin fluctibus æstuosi maris, babaræ inquam multitudinis, absorpti fuissent, nisi diuina bonitas pro sua clementia eos ꝓtexisset. In illo enim tumultu grauissimo, die 27. Maij Anni 1606 Mosquæ contra Demetrium & Polonos hospites, à Moscis excitato, ob suspitionem potissimum immutandæ suæ Religionis; cum

Zz multi

multi ſpoliarentur & occiderentur, Princepſque ipſe, qui multa in rem Catholicam & Societatis in Septemtrione propagationem promittebat, crudeliter enecaretur, noſtri omnes Dei beneficio à morte liberati ſunt. Et domi quidem noſtræ, quam à Demetrio, tanquam initia quædam futuri Collegii acceperamus, Pater vnus & duo Fratres ita manus Moſcorum euaſêre; vt cùm hi facto impetu portas effringerent, in contiguam illi mercatorum Polonorum aulam effugerint, pauculis vix rebus & veſte ſacra, à direptione ſubtractis: vbi cuiuſdam mercatoris Lithuani Catholici opera, frementibus licet aliis ex Lithuania & Polonia Schiſmaticis, ſeruati ſunt incolumes. Alter verò Pater, apud milites Polonos, ad quos illo ipſo die duobus paſſuum millibus, ſacris pro more operaturus, profectus erat, conſeruatus, diuinam circa ſe prouidentiam cum cæteris prædicat: primum in eo quod in illo itinere à Moſcis furentibus interceptus & occiſus non ſit; deinde quod ſanctiſsimum Miſſæ Sacrificium, cui milites illi religiosè interfuerunt, quiete & abſque perturbatione peregerit. Aliter ſanè accidit Reuerendo Domino Franciſco Pomaski Præpoſito Sãboriensi & Sereniſsimi Regis Poloniæ Secretario, noſtræque Societatis amico, qui cum Illuſtriſsimo Palatino Sãdomirienſi in Moſchouiã venerat, vt à ſacris eſſet Ser^{mae} eius filiæ magni Ducis ſponſæ. Nam cùm in ædibus priuatis, tremenda ipſis Angelicis ſpiritibus myſteria peragerет, atque poſt ſumptum ſacrum ſanguinem, ablutione ſeſe purificaret; Moſci effractis ianuis irruunt, & colapho primum ſacrificanti impacto, atque calice ſacro è manibus erepto,

repto, eum deinde ab altari abripiunt, vestibus sacris & profanis etiam spoliant, atque crudelissimè vna cum eius germano Catholico viro, & non paucis è familia vtriusque trucidant: aram & parietes nudant, supellectilem diripiunt, vasa sacra contemerant, ac pauimenta sanguine innoxio respergunt. Fuêre in hoc eodem periculo ibidem duo alii Sacerdotes seculares: sed cùm alii tàm crudeliter occiderentur, ipsi malè mulctati, ad tutiora loca nudi penitus, ægrè admodum cum vita effugerunt. Tanta scilicet fuit Moscorum erga Polonos inuitatos ad nuptias hospitalitas, tàm beneuolus Schismaticorum in Catholicos, præsertim Sacerdotes, animus. In hoc eodem tumultu singulare pietatis specimen dederunt milites illi Poloni, ad quos noster Sacerdos, illo die sese contulerat. Nam cùm in omnibus quotquot sunt Mosquæ templis, ad initium sceleris nefarii signum ex condicto datum esset, ipsique quo tandem insolitus campanarum strepitus spectaret, cognoscerent; primum omnium ad sacellum armati & ad pugnam instructi venerunt, vt Deo pro incolumitate sua & salute animæ supplicarent, Beatissimæque Virginis (quam Patronam elegerant, & in cuius honorem toto anno diebus Sabbathi Missæ sacrum officium vel decantabant ipsi, vel reuerenter audiebant) opem in præsenti periculo præsidiumque implorarent: Deinde verò sacro pacificè audito, cùm in aula alia, in qua se contra furorem & impetum Moscorum tueri meditabantur, vno verbo à nostro admonerentur extremi, de quo iam omnibus constaret, periculi; quare nihil morarentur, sed ad expia-

tionem animorum, iamiam morituri quamprimum accelerarent: dicto citius audiunt, atque supplices, vnus post alium, ad pedes Sacerdotis accidentes, sese pro vltimo vitæ certamine, per sacram confessionem, quantum per tempus liceret, comparant vno in cubiculo; foris interim aliis aduigilantibus, & ea quæ ad defensionem spectarét prouidentibus. Vixque superfuit quispiam è ducentis circiter hominibus, qui cùm per sacram exomologesin peccatis exonerare conscientiam, atque cum Deo in gratiam redire neglexisset. Inter hos etiam duo hæretici & tres Schismatici Poloni, Ecclesiæ Catholicæ sunt reconciliati. Postridie verò cùm iam animi furentis plebis deferbuissent, illi quidem qui pridie confessi fuerant, magno pietatis sensu Deo immortali gratias agentes, sanctissimo refecti sunt Sacramento. Adducti sunt etiam nonnulli vulnerati, alii iam vltrò ipsi accurrerunt ad nostrum, sacræ confessionis & communionis gratia: inter eos Adolescens quidam nobilis grauiter vulneratus, sedecim vel octodecim annos natus, hæreticus; is simulatque de fide Catholica & confessionis Sacramento paucis admonitus est, non inuitus dedit manus, atque quamprimum cum Deo & Ecclesia reconciliari supplex petiit: Quod vbi magna cum eius animi voluptate factum esset, atque ad sacram Eucharistiam disponeretur, extremum reddidit spiritum: fœlicior sanè suo Domino, qui Arriana peste imbutus, vir nobilis & maturus, & opinione sanctitatis apud suos Anabaptistas magnus, à Moscis occisus, in sua perfidia decessit. Lepidum sanè illud & cognitu non ingratum. Duo nobiles Poloni, hæ-

retici,

retici, qui alioquin venerationem ſacrarum imaginum inanem & ſuperſtitioſam clamitabant, & tanquam idololatriam execrabantur, ad eam tamen in extremo ſuo periculo, incertum quo animo confugerunt. Eo enim tempore quo Moſci in aulam illorum irruerant, vt illos vita rebuſque omnibus ſpoliarent, ipſi arreptis imaginibus, quæ tùm ibi more Græcorum pictæ è pariete domus pendebant, ac inſtar eius gentis, ante pectus ſublatis, obuiam hoſtibus prodiêre; quorum animos ea ſpecie religionis ita mitigarunt, vt a morte non modò ipſi, verum alii etiam qui cum ipſis erant, liberi euaderent. Omiſſa enim cæde Moſci, imaginibus ſuis capita inclinando, & ſigno Crucis ſeſe ſignando, reuerentiam faciebant, illoſque nobiles veros Chriſtianos inclamabant. Sed illud eſt religioſius Catholicorum. Dederat quidam è noſtris cuidam piæ fœminæ, vxori viri primarii è nobilibus Polonis, imaginem B. Virginis, cum puerulo Ieſu in ære pulchrè depictam. Eam Moſci, cùm alia omnia è parietibus abriperent, tapetes inquam, aulæa, nec non alias item imagines, etiamſi in loco non obſcuro eſſet, aut non viderunt, aut religione moti intactam reliquerunt. Atque cùm diù multumque intus & foris in hominibus occidendis, & rebus omnibus hominis elegantis & copioſi diripiendis graſſati eſſent, ad partem domus ſuperiorem regreſsi ſunt; quò permulti è famulis ſaucii & nudi, ac præcipuè Dominus ipſe cum vxore ſua vulneribus aliquot in defenſione mariti affecta, ſeſe receperant. Hic Catholici cùm à Schiſmaticis ad necem quærerentur, omni prorſus humano deſtituti præſidio, ad diui-

num tandem confugere cœperunt: inclamare omnes IESV & MARIÆ ſanctiſsima nomina, atque ante illam imaginem, ſupplices vota varia concipere, ſed potiſsimum peregrinationis ad ſanctiſsimam Dei Matrem ſuſcipiendæ Ceſtochouiam (locus is eſt in Polonia, imagine à S. Luca picta miraculiſque apud eam editis clarus) ſi ſalui & incolumes euaderent. Rem miram & ſtupendam: ſubitò ita perterriti, & repreſsi ſunt Moſci, diuinitus procul dubio, vt non modò in apertum illud & patẽs cubiculum ingredi non auderent, verumetiam pedes illicò retraherent, ac fugiẽtes nullo penitus hominum propellente, aut inſequente, è ſcalis deciderent, magniſque vocibus inclamarent primi ad vltimos; heu percutimur, percutimur. Hæc noſter deinceps ex eodem viro nobili, eiuſque vxore ac familia eorum ſuperſtite, cùm in captiuitate añnum & amplius Tueriæ cum illis ageret, certò cognouit. Miles quidam in aliâ domo, cùm malè mulctatus, ægrè ad ſuperiorem domus partem effugiſſet, ibique ſemianimis concidiſſet, occiſus abſque dubio fuiſſet à Moſcis inſequentibus, niſi patrocinium Dei Matris, cui ille, hæc poſtea in captiuitate referens vitam ſuam acceptam ferebat, interueniſſet. Nam vt ſeſe collegit aliquantulum, arrepto quod circa ſe tunc habuit roſario, matris miſericordiæ ſupplex prout potuit, grana roſarii decurrens, opem implorabat. Mirum dictu & propè incredibile; cùm in medio cubiculi iaceret, Moſcique varii, quærendo nùm ſupereſſet adhuc quiſpiã ad cædem, ſæpius in cubiculum irrumperent; nullius tamen oculis patuit, in loco ſatis aperto & lucido, quo-

do, quoad tandem ſub veſperum à Boiariis (nobiles Moſci ij ſunt) plebem furentem compeſcentibus, Polonos, ſi qui fortè ſuperuiuerent conquirentib⁹, repertus ac in tutiori loco eſt conſtitutus. Vidua quædam nobilis in hæreſi à primis annis educata, & in ſecta ſua pertinax, audierat aliquandò à quadam cognata ſua Catholica, Sanctiſsimam Dei Matrem Virginem Mariam, in extremis periculis nulli opem ſuam denegare, quicunque ſyncero animo ſupplicique ad eam confugeret, recitata præſertim piè & religiosè Salutatione eius Angelica. Itaque in tumultu illo à Moſcis capta & ſpoliata, cùm ad iudices per plateam raperetur, venit illi in mentem Catholicæ illius doctrinæ de ope matris Dei in extremis periculis poſtulanda: qua cogitatione, non in lacrymas tantùm reſolui, ſed ſuppliciter etiam ad Sanctiſsimæ Dei Genitricis præſidium in neceſsitate cœpit confugere, Salutationem Angelicam repetens, aliaſque preces, quas tunc ſuggerebat affectus, adiungens. Nec defuit ſupplicanti [vt ipſa noſtro poſtea multis Catholicis audientibus retulit] mater miſericordiæ in tanto periculo. Ecce enim ſubitò, cùm nullum ex famulis, nullumque ex gentis ſuæ hominibus conſpiceret, duo venerandi ſenes, nobiles Moſci ad eam venêre, qui & bono vt eſſet animo nihilque timeret iuberent, & arcerent omnes alios, quicunque moleſti eſſe vellent, tàmdiù, quoad tandem ad ſuos decenter & honeſtè reduceretur. Seriò igitur poſt hanc tribulationem, ac in ea ſolatium non leue acceptum de abiuranda hęreſi cogitauit: atq; cùm noſtrum non poſſet habere Patrem, qui ſæpius ante cum illa de conuerſione egerat; cuidam è familia D. Franc. poſt aliquot heb-

domadas confeſſa eſt, & in Cat[ca] fide conſtans, apud noſtrum deinceps in captiuitate ſæpè confiteri & pane cœleſti recreari non deſtitit, magna Catholicorum gratulatione, nec minori ſuo ſpirituali fructu. Sed iam ad captiuitatem, & quæ in ea duobus annis & trimeſtri acciderunt tranſeamus.

Occiſo igitur à rebellibus Moſcis Demetrio, multis etiam Polonis & Lituanis interfectis; reliqui quotquot erant ſuperſtites, alii verò per varias Moſcouiæ Pro[as] & Regiones diſperſi, ſub arctiſsima cuſtodia ex tripliciũ cõmuniter hominũ genere, nobilium ſcilicet quos illi Boiarios vocant, ſclopetariorum, & ciuium vel ruſticorum conflati, ſeruabantur. Inter hos noſtri illi quatuor fuêre: quib[9] quidem omnibus licuiſſet Moſquæ, ſimul in vna domo cum legatis Sereniſsimi Regis Poloniæ degere: niſi aliud charitas in proximos ſuauiſſet, illoſque ab inuicem ſeparaſſet. Nam ſtipendiarii milites Poloni Catholici, cum Sace. dote carerent, & illis ipſis diebus alio à Moſcis ablegarentur, vnum ex noſtris obtinuerunt, eum videlicet, qui ſalute illorum toto eo tempore, quo è Polonia in Moſcouiam cum Demetrio venerant, operam nauabat. Sed Socium ei comitemque viæ ad diuerſa loca, vt adiungeret barbaries Moſcorum, nullis precib[9] flecti potuit. Liberalior in hoc, imò liberaliſsima, diuinę bonitatis clementia extitit. Prouidit enim ei non ita multò pòſt, eiuſmodi virum è militibus, non poſtremum nobilem Polonum, qui non ſolum eum vbique toto illo tempore comitaretur, ſed qui etiam in ornando altari & ſacello, in pinſendis Hoſtiis, in aliiſque neceſsitatibus, magna cum alacritate & charitate illi præſtò eſſet. Alter autem Sacer-

dos & duo Fratres Mosquæ penes Legatos Regios relicti, ab initio quidem cum quingentis, paulò pòst cum quadringentis, denique altero anno cum trecentis hominibus & totidem equis, vno in hospitio manserunt; vbi propter loci angustias & graueolentiam, pro singulari diuiuæ prouidentiæ argumento reputabant; quod omnes præfocati aut lue aliqua infecti non fuerint, duodecim circiter desideratis ex eo numero, qui ad aliam vitam concessêre. Adhæc & multò plura alia incommoda, (quæ quidem communia omnibus Polonis ex nostris in Moscouia detentis fuêre, nisi quòd per multos maior inopia & nuditas afflixerit) accedebant assidua vitæ pericula, quibus biennio & tribus mensibus omnes ita iactabantur, vt se penè quotidiè ad mortem præpararent; Moscis ex minima occasione eos ad eadem designanttbus: vtpote quos auctores sibi esse persuaserant malorum omnium, quæ necem Demetrii subsecuta indies augebantur. In hoc rerum statu positi, & humanis destituti subsidiis, quàm diligenter & quàm frequenter diuinæ Maiestatis opem implorauerint, per quotidianas & crebras preces, per solennes item quadraginta horis continuatas ac sæpius repetitas; per ieiunia, per vota nũcupata, per varias afflictiones & publicas & priuatas, quas tùm sibi quisque absque alio monitore non inuitus imperabat; facilè est coniectura consequi. Solabatur autem omnes & excitabat plurimũ singularis Dei clementia, quæ in tot malis, inter illam gentem Schismaticam prouidit, vt nè Catholici sanctissimo Missæ Sacrificio, Sacramentis, verbo Dei, cæterisque spiritualibus adiumentis destitue-

rentur. Quare non defuit nostris, vbi, & inter quos, suam egregiè nauarent operam; præsertim in Agno immaculato quotidiè offerendo; in concionibus, alicubi etiam bis ab vno in die habendis, in doctrina Christiana rudibus tradenda, in excipiendis crebrò confessionibus, aliisque ministeriis Societati consuetis obeundis. Quod dici non potest, quantum contulerit ad retinendos in officio cùm milites, tùm alios Catholicos, sed præcipuè familiam eorum, ad omnem pietatem & deuotionem excitandam. Degebant Mosquæ vna cum nostris in aula eadem & comitatu Legatorum, Hæretici & Schismatici non pauci. Ex his Ecclesiæ sunt reconciliati, Schismatici quidem quatuor (præter duos alios qui in itinere dùm per fines Lithuaniæ nostri transirent recepti erant) ex Hæreticis verò duo nobiles; quorum vnus in Arriana secta educatus, postposito omninò metu parentum & propinquorum, magno animo Catholicis sese adiunxit. Cæterorum, qui Schismati & hęresi pertinaciter inhærebant, audacia, qua cœperant in Catholicos cum scandalo debacchari, ita retusa est, partim concionibus, partim colloquiis nostrorum cum iis habitis, vt nè hiscere postea ausi fuerint in eorum præsentia, & palàm faterentur se ignaros & rudes, etiamsi maximè inter suos sapere sibi viderentur. Ex his erat iuuenis nobilis, vtcunque iam maturus, qui ducem se profitebatur cæterorum, & certè primas sibi vendicabat, tùm impudentiæ, tùm eruditionis, vtpote qui pluribus annis Anglia, Gallia, Germania peragrata, hæresim Caluinianam imbiberat, is cùm prius coram primariis aliisque viris congressum cum nostro ia-

ctabun-

ctabundus exoptasset, ita postmodum data collo-
quendi copia animo concidit, vt loqui ipse non au-
sus, librum tantum quendam Caluinisticum refu-
tandum nostro obtruderet, sed noster libro inte-
rim misso hominem aggressus, ita argumentis con-
strinxit, vt gloriosus ille Thraso precibus agere, &
pacem à nostro ac liberum discessum petere perge-
ret. Et discessit tunc quidem turpiter victus, sed a-
nimum vltionis & velandæ saltem suæ imbecillita-
tis & pudoris non reliquit, cùmque subinde veli-
tationes aliquas sermonum tentans inferior eua-
deret, tandem odium conceptum mali pectoris ma-
nifestum facinore testatum esse voluit. Gregarium
quendam militem è suis ad se vocat, eumque obte-
statur primum, deinde iuramento exacto obstrin-
git, vt nostrum transeuntem per quoddam hospitii
curritorium obseruet, & plumbea glande traiici-
at: denique oneratum promissis & cumulata flagi-
tii mercede proposita, hominem à se secretò dimit-
tit. Sed Deo aliter ordinante, non diù latuit consi-
lium impium: & nescio quomodo ad aures perue-
nit Legati primarii, qui statim familiæ suæ præfe-
ctum, virum nobilem expediuit, auctorem cædis
patrandæ vt seriò admoneret, etiam minis additis,
quod quicquid Societatis Sacerdoti accideret, pari
cum insidiatorum periculo accideret. Neq; enim
passuri essent tot viri Cat[ci], hnēs nobiles, qui vna
cum illis degebant, scelus inultum. Quare videret
bene auctor imprimis, nè eadē opera certissimum
suo quoq; capiti periculum accerseret. Hoc nuntio
territus hæreticus, negare primuum oīa, tùm paula-
tim excusare, demùm veniā precari cœpit; se cū ista
moliretur, non satis fuisse mentis cōpotem asserens.

Ad extremum vt securiorem de sua voluntate mutata Legatum redderet, Ministrum sceleris designatum illicò aduocat, deducit à proposito & à iuramento absoluit. Atque hæc res tota in hunc modum compressa fuit, nostro nè cognoscente quidem, qui nonnisi post vnum circiter mensem, ea quæ transacta sunt, ab amicis fide dignis intellexit. Intellectis verò iis, conatus est modis omnibus hæreticum hominem (dissimulando prorsus omnia) sibi deuincire, atque ita deuinxit, vt illum maximè affectum, testimonio multorum, non sine aliqua etiam spe conuersionis reliquerit.

Viasmæ & Reouæ Vlodimiri, [oppida sunt Moschouitica] vnius nostri positæ inter milites operæ fructus tantus respondit, quantum vix quisquam ab eiusmodi hominum genere expectaret. Multi enim ad restitutiones non leuis momenti faciendas, nonnulli ad inimicitias & odia grauissima deponenda, aliqui ad exuendam inueteratam peccandi consuetudinem, omnes ad vitam in melius commutandam, Deo bene iuuante inducti sunt. Quibusdam ebrietatis vitium ita detestabile redditum, vt nullis vnquam amicorum precibus, nullis inimicorum exprobrationibus vel irrisionibus à proposito sobrietatis dimoueri potuerint. Permulti sæpè confiteri & communicare sensim assuefacti [q inter milites rarum est] eum vsum tenuerunt, potissimum in præcipuis B. Virginis & Christi Domini solemnitatibus. Omnes verò vnanimi consensu erga Dei Matrem, ita pietatem suam testatam voluerunt, vt singulis diebus officium eius, matutinum inquam cum cæteris horis ante sacrum, quod quotidiè

tidie magna cum reuerentia audiebant, à prandio verò vesperas cum Litaniis Sanctorum in Sacello publicè recitarent, vel decantarent etiam, diebus festis. Confessiones de tota vita generales supra triginta exceptæ: Schismaticus vnus ad vnionem Ecclesiæ reductus; Hæretici duo etsi necdum conuersi, spem tamen magnam futuræ conuersionis dederunt, audiendo sæpius nostras conciones, alii approbando, nec nõ promittẽdo fore omninò suam vt hæresim abiurent. Vnus certè ex his in orando frequentior & feruentior, in ieiuniis Quadragesimæ tàm constans fuit, vt cùm tertius quidam obstinatus & blasphemus hæreticus, eum ad carnes inuitaret, non modò non consenserit, verumetiam impudentiam eius, multa Catholica in laudem ieiunii adferens, acrius perstrinxerit. Idem quoque præter ferias sextas diebus Sabbathi singulis in honorem B. Virginis strictius ieiunium obseruabat, vnica tantùm refectione sub vesperum, modici panis & mellis contentus. Itum etiam est cum sacra Eucharistia ad militem quendam Polonum in publicos Moscorum carceres coniectum, magna populi admiratione & ædificatione, tùm quod infirmus pane Angelico reficeretur, tùm quod imago B. Virginis more Græco picta [quam obuii quique venerabantur] decenter ante pectus, vt ipsi assolent, obuersa versus populum deferretur. Quod quidem Rzonæ haud difficulter à pristanis & præfectis oppidi fuit impetratum: at nequaquam Tueriæ concessum est, ad duos alios Polonos in carceribus conclusos, idcircò fortassè quod ibi Archiepiscopus eorum, hostis Polonorum capitalis, degeret.

Est Tueria, caput Tueriensis Ducatus ad Velgam fluuium omnium qui sunt in Moschouia celeberrimum sita: ciuitas perampla & peruetusta; duobus aliis fluuiolis, Tuerica, vnde nomen accepit, & Tmaca, distincta: centum octingenta millibus passuum abest à Mosqua Septentrionem versus, sed nonnihil ad occasum declinat. Hùc noster cum militibus sedecim duntaxat [quos Mosci dimissis in Poloniam aliis, decreuerant vel malè perdere, vel in perpetuam redigere seruitutem] post vnum ferè annum deductus cùm esset; propè centum animas è Polonis captiuis, & quidem præcipuis, vtriusque sexus reperit: nouam nimirum messem spiritualem nec opinanti oblatam. Habebant illi secum Sacerdotem quendam, sed qui missam tantùm celebraret, ac in graui necessitate aures daret confitentibus; verbi autem Dei, cæterorumque spiritualium alimentorum fames & sitis erat maxima. Itaque dici non potest, quanto affecti fuerint gaudio, aduentu vnius è Societate, eum præter spem non aliter sibi quam Danieli in lacu leonum Abacuc missum dictitando: illudque imprimis omnibus quibus poterant modis, à Moscis contenderunt, vt noster ad eos concionum faciendarum, & excipiendarum confessionum gratia, quoties oporteret, liberè ventitaret. Nec abnuerunt Mosci. Quare partiri necesse fuit hîc operam vni⁹ in duo, vt & his qbuscum venerat nō deesset, in alia parte ciuitatis seorsùm collocatis: & illos, quos à Pristauis (capita custodum Moscis sic dicuntur) facta potestate conuenire licebat, adiuuaret. Quod & factum est non sine fructu. Generales animorum expiationes de tota vita, propè quin-

quinquaginta factæ: à Schiſmate ad vnionem Catholicorum tres reuocati: duo alii qui nutare videbantur, confirmati in eadem. Catholicus vnus ex diuturna cum Hæreticis conuerſatione frigidior effectus, per multos annos confeſsionem differebat; Victus tandem animo, qua priuata cohortatione, quà publicis concionibus, dedit manus, ſeſeque peccatorum vinculis cum magna ſpe frugis melioris exſoluit. Sub arctiſsima cuſtodia ſeparatus ab aliis detinebatur Tueriæ vir quidam nobilis ex illuſtri familia; hic cùm in grauem morbum incidiſſet, petiit obnixè à Priſtauis, vt Sacerdotem noſtrum confeſsionis gratia ad ſe admitterent. Negant illi primum, noſtrum, aut alium aliquem Polonum Tueriæ commorari: deinde cùm ille ſe certò cognouiſſe tàm de noſtro quàm de aliis aſſueueraret, vehementiuſque vrgeret, cùm rogando, tùm minitando; in illorum ſcilicet animam ſuam abſque Sacerdote atque Sacramentis è vita diſceſſum redundaturum, victi hominis importunitate, promittũt Sacerdotem; ſed quem ipſe nec poſtulabat, nec ſperabat, ſiſtunt illi ſuum popum: Ecce tibi inquiũt Sacerdos, cum hoc ſi quid vis de negotio conſcientiæ tranſige. Reiecit vir Catholicus conſtanti & magno animo Schiſmaticum, ac in Priſtauorum impudentiam grauiter inuectus, diuinam vltionem & Principis illorum indignationem, quòd ita ſecum nequiter agerent, minitatus eſt. Res ea ad Polonos, eius præſertim amicos permanauit. Inſtare ergo illi rurſus apud Priſtauos & precibus & muneribus non deſtiterunt, quoad tandem euincerent, vt noſter ad ægrum cum ſanctiſsimo adiret Sacramento:
Adiit,

Adiit, afflictum solatus est, confitenti aures dedit, esurientem pane cœlesti recreauit, magna non modò illius & Polonorum consolatione, verumetiam Moscorum permultorum ædificatione. Vir quidam magni nominis & nobilitate generis illustris & pietati apprimè deditus; auditis de generali peccatorum expiatione, concionibus, rem maximè vtilem, & sibi necessariam, & cuiuis bono Christiano, palàm affirmabat: atque cùm ex occasione priuatim ad eam faciendam inuitaretur, facturum se omninò & libentissimè recepit; sed tamen de die in diem nescio qua de causa differebat. Ecce tibi post aliquot temporis interuallum, nocte quadam sibi videre visus est per quietem, Sacerdotem nostrum à Moscis ex illa ciuitate aliò, sed incertùm quò, abripi: nec sibi fore amplius copiam eius confessarii. Vnde perterritus & magno dolore affectus, vt primum euigilauit, statuit se non dilaturum, id q; iamdiù meditabatur. Quare prima luce rationibus quantum opus erat à prima vsque ætate repetitis, nostrum per litteras accersit: ac in primo congressu, dilationem primam suam in re tàm salutari accusat; deinde id quod illi secundum quietem acciderat, exponit, tùm inuitat ad sacellum ac deducit, deniq; in genua prouolutus, de tota vita magna cum spiritualis gaudii significatione confitetur. Difficiliorem se quidam alius magnæ familiæ vir militaris, ad eiusmodi confessionem præstitit. Ita enim suum obfirmarat animum, vt & concionatori succenseret, & conciones de morte, de Iudicio extremo, deque alijs similibus palàm carperet, atque apud alios traduceret. Actum cum illo est sine arbi-

tris

tris, & modestè ratio talium reddita concionum, necessitasque confessionis generalis & vtilitas, iterum illi ipsi proposita. Placatus animo sic conquieuit, vt non modò veniam, si quid verbo deliquisset, à nostro peteret, verumetiam se daturum operam generali torius vitæ expiationi polliceretur. Quod vt melius effectum daret, confessarium ad dubia conscientiæ discutienda & resoluenda sæpius aduocauit: & tractatum quendam P. Costeri de confessione generali è manibus non dimisit, quoad sibi satisfaceret. Plurimum etiam illi profuit ad hoc libellus P. Costeri de quatuor nouissimis, à nostro in illa captiuitate è Latino in Polonicum idioma translatus, quem cum apud sororem suam piam fœminam inter prandendum legi audiuisset; ita eo captus est, vt non solùm studiosè sibi euoluendum, sed manu etiam sua, idque eleganti charactere, sicut apud alios viderat, exscribendum putauerit. Confessus igitur est tanto cum fructu, vt omnes in admirationem sui raperet motu ac vitæ mutatione, studio pietatis, Sacramentorumque frequentatione. Præparabat se nimirum ille hac ratione ad vltimum è statione hac mortali discessum, quasi præsagiens animo breui adfuturum. Paucis enim pòst hebdomadis, præmisso tridui quod vocant S. Petri ieiunio, & acri corporis in Parasceue, ante sepulchrum Domini castigatione, die ipso Paschatis ad sanctissimum seseSacramentum disponebat, veniaque ab omnibus petita, etiam à puero suo, quem vnicum ad ministeria sua ægrè à Moscis impetrauerat, Confessionem integris animi & corporis viribus vbi peregisset, vix à Sacerdote digressus, deli-

quium passus est subitum, atque in eo intra breue tempus, ad Sanctissimum nomen Iesus, cùm illud à Sacerdote inclamari audiret efferrendum, ore & labiis aliquantum motis, pium conatum præseferés, extremum reddidit spiritum. Duo quidam milites ita in mutuam cędem exarserant, vt non se prius quieturos vtrinque assererent, quàm alter alterum quoquo posset modo è viuis tolleret. Id quod etiam alter eorum genu flexo & digitis ad instar Crucis compositis, ac in cœlum elatis iureiurando confirmare non est veritus. Et fecissent fortasse acres inimici quod minitabantur, nisi Mosci re cognita, eos ab inuicem ita separassent, vt nè congrediendi quidem secum vllam haberent occasionem. Laboratum est sæpius magna contentione, publicè & priuatim, in efferatis animis mitigandis, sed oleum & opera perdita in obstinatis. Quare alia fuit aggrediendum via, quod hoc non successisset. Re diligenter diuinæ Maiestati commendata, cum viro quodam primario, cuius non leuis erat apud vtrumque authoritas, actum est seriò, suam vt ille quoque huic negotio, Dei & Chr^nae^ pie^tis^ causa, nō dedignaretur interponere operá. Facturū se ꝓmisit, sed non absq; nostro, feliciorē dictitans rei fore successum, si ad secularis viri authoritatē spiritualis quoq; Patris non deesset cura & industria. Coniūcta igitur manu peruicaces animos aggressi, semel atq; iterum tentant, primùm quidem irrito conatu, deinde verò resumptis ex interuallo viribus, tàm prospero Dei beneficio, euentu, vt non modò parti læsæ abundè satis fieret, verumetiam positis inimicitiis, ac iniuriis obliteratis, veteres amicitiæ redintegrarentur. Eadem

opera

opera nonnulli alii, qui partes dißidentium contrarias ſecuti fuerant, reconciliati ſunt: & venia impetrata cuidam ab vno è duobus illis, qui offenſam condonare nullo modo voluit, petēti: vtpote quem horribili & malo dæmone peius odiſſe ſe diceret; nec dimiſſurum vnquam iniuriám, propoſito etiam certiſſimo ſempiternarum flammarum incendio. Omitto plures alias tametſi non leuis momenti, nec minoris difficultatis factas inimicorum reconciliationes. Nihil dico de frequentibus in diem & diuturnis multorum ad Deum precibus, ab aliis autem & in multam noctem ſæpè productis. Prætereo voluntarias & crebras non paucorum remotis arbitris diuerberationes: publicè ſanè feria ſexta paraſceues quàmplurimi ad ſepulchrum Domini ſub veſperum tàm acriter in ſuo tergo ſæuierūt, vt cuſtodes Moſci, ſtrepitu audito, domum in qua hæc fiebant circumdederint, atque ad feneſtras conuolarint, exiſtimantes Polonos rixa orta, mutuis ſeſe vulneribus conficere. At vbi rem agi cognouere in memoriam flagrorum Domini, nec non ob peccata vltro in ſe vindicanda, præ ſtupore muti & elingues facti recedebant, nec aliud dicebant, quam quod nihil eiuſmodi apud ſuos vnquam vidiſſent vel audiuiſſent.

Defuncti periculis noſtri biennio integro & eo amplius, tandem conditionibus pacis inter Moſcos & Sereniſsimum Regem Poloniæ per Legatos ad id deputatos poſitis, dimittuntur liberi cum aliis Polonis quotquot erāt in Moſcouia ſuperſtites: Moſcua qdem ſecunda Aug. Anni 1608. ex aliis verò partib⁹ tardius multò pòſt. At non paucioribus nec leuioribus periculis redit⁹ noſtris vſq; ad ipſos fines Lithu-

Aaa 2 aniæ

aniæ & Poloniæ conſtitit. Nam Demetrius quidam alius, qui nomen ſibi occiſi illius vſurpat, & mira iſtic bella in adeundo Principatu gerit, plurima iam caſtra & oppida, in illo itinere in ſuam poteſtatem redegerat, & Polonos è Moſcouia dimiſſos, impedire conabatur. Sed qui olim populo ſuo viam fecit in mari, noſtros per deuia & horrida loca deduxit incolumes, ac tandem in Lithuaniam & Poloniam reſtituit, vbi ab omnibus noſtris magna charitatis ſignificatione reduces excepti ſunt.



LIT-



LITTERÆ ANNVÆ PROVINCIÆ LITVANIÆ SOCIETATIS IESV Anni 1608.



Ocios ſeptuaginta quinque, ſupra ducentos, in decem familiis Prouincia Lituaniæ hoc anno numerauit. In Domo Profeſſa VVarſſauienſi tredecim, è quibus Sacerdotes octo, reliqui domeſtici operis Adiutores fuere. In Domo Profeſſa Vilnenſi S Caſimiri nouem: tres Sacerdotes, alios Coadiutores. In Collegio eiuſdem vrbis ſexaginta duos, Sacerdotes nouemdecim: Variarum diſciplinarum Profeſſores vndecim, Theologiæ Scholaſticæ duos: Moralis, quæ conſcientiæ iura docet, vnum: S. Scripturæ, & fidei controuerſiarum, vnum: Philoſophiæ vnum: Latinarum litterarum ſex, quorum quinque nondum ſacris initiati, cæteri Sacerdotes. Scholaſticos quinque ſupra viginti: Theologiæ Studioſos ſeptemdecim: Philoſophiæ nouem, quatuordecim Fratres, munia domeſtica exercentes. Ibidem in Domo Probationis, cum veteranis, octo ſupra triginta, inter quos veteranos tres Sacerdotes, quatuor antiquos Coadiutores. Nouitios qui ad ſtudia admiſsi ſunt, viginti quinq;: ad domeſticos labores ſex. Collegium Brunsbergenſe triginta quatuor recenſuit. Sacerdotes quindecim

decim, Professores 7. casuum conscientiæ vnum, vnum Philosophiæ, quinque latinarum litterarum. Sed in hoc numero quatuor, qui nondum sacris; tres qui sacris initiati fuerunt. Pultouiense tres supra triginta numerat, quindecim Sacerdotes, in docendi munere occupatos nouem, duos qui quæstiones de conscientia resoluunt, vnum qui Philosophiam prælegit, reliquosque humaniora, inter hos Sacerdotes quinque, quatuor porrò non Sacerdotes. Nesuisium anno isto propter accessum Patrum tertianorum, triginta septem censuit, viginti duos Sacerdotes, è quibus nouem sunt tertiani: duo, quæstionum de conscientia Auditores, cum quinque aliis non Sacerdotibus. Præceptores quinque, Moralis Theologiæ vnum: alterum Scripturæ Sacræ interpretem & controuersorem, quorum vterq; Sacerdos fuit, alii tres non Sacerdotes, humaniora ac præcepta Grammatica docentes, domestici operis Adiutores septem. Potocia septem supra viginti habuit, octo Sacerdotes: quorum vnus prælector fuit Rhetoricæ nostris octo Fratribus, cùm Præceptoribus tribus, & Coadiutoribus octo. Riga non plures, quàm vndecim tenuit. Sacerdotes sex, Præceptorem Grammaticæ vnum, & quatuor Adiutores. Derpatum dirutum, & direptum per hostes, duos Sacerdotes, cum Adiutorib⁹ duobus habet, P. Prouincialis comites duos, vnum Sacerdotem, Coadiutorem alterum. Orssæ, in Missione, duo Sacerdotes, cum vno Adiutore manent. In Samogitiam, duo tantùm Sacerdotes missi. Admissi Scholastici viginti, ad domestica munia quinque, dimissi duo, ad vitam alteram abiêre duo.

DO-

DOMVS PROFESSA VVARSsauiensis.

QVædam vitæ perditæ per multos annos non confeſſa, cum interius moneretur à Deo ad confeſsionem, per viſum obiecta eſt illi imago Crucifixi, ad cuius conſpectum ſerpentes cum ſibilo à ſe diffugere vidit, qua ſpecie commonita, ad ſalutarem medicinam properauit. Alia muliebri impotentia in deſperationis baratrum præcipitata, violentas manus ſibi inferre parabat, cumque telum quod in manibus habebat, in ventrem adigeret, ictū alium in locum conuertit, vnde lethali vulnere accepto, ad ſpem veniæ erecta, peccata per pœnitentiam deteſtata eſt. Odia multorum reſtincta, in his duorum magni momenti. Duo item paria diſsidentium in matrimonio conciliata. Vnus adductus, vt cum occiſore parentis ſui in gratiam rediret, omnemque illi iniuriam ex animo condonaret. Quædam nobilis, acceptis characteribus, à ſpirituali quidem, ſed rudi perſona, multorum medebatur morbis, edocta à noſtro de peccato, characteres illi cremandos tradidit. Nobili item viro, qui vtebatur characteribus, contra nubem minantem grandinem, perſuaſum, vt eos abiiceret. Inſignis conſtantia extitit fœminæ in tuenda pudicitia, aduerſus impurum hominem, à quo grauiter impugnabatur, qui cùm ſolus nihil cum illa proficeret, eiuſdem farinæ adduxit ſecum milites, ad eam ſolicitandam, inſuper ſtricto gladio, mortem intentantibus, ni cōſentiret, ceruicem ferientibus obtulit, atteſtans ſe paratam prius mori, quàm ſceleri ſuccumbere, eius victi animi magnitudine, crudelitati modum poſuêre,

re, omnem furorem ac sæuitiam in ligneam mensam, cùm eam frustatim concidissent, effuderunt. Ecclesiæ aggregati octo, hæretici sex, Schismaticus vnus, Iudæus vnus, hic fuit peritus Hebraicæ linguæ, inter suos non postremæ notæ, ingenioque non vulgari. Ex hæreticis Adolescens erat, nostrorum disciplina in scholis aliquando vsus, hunc parens multorum exemplo edoctus, nè resipisceret, in Hollandiam à nostris abstractũ, vt hæresim imbiberet, ablegauit, cui ille post reditum tenaciter adhærens, postquam in nostrum, qui in misionibus versabatur incidit, collatis suis argumentis, quæ vix alter peritus minister deprompsisset, à nostro conuictus; veritati manus dedit. Aucta est sacra suppellex hoc anno piorum eleemosynis, Crux inaurata magnifica, affabrè facta comparata est ad ornatum altaris. Calices duo, imagines pictæ duæ, vela duo pretiosa pro calicibus donata, mappa acu picta. In excursionibus ad quadringentæ auditæ sunt confesiones.

DOMVS PROFESSA VILnensis.

PAucos operarios hæc Domus sustentat (non plures enim sunt, quàm tres Sacerdotes, & tres Coadiutores fabricæ necessarii) eò quod fabrica omnes eleemosynas sibi necessariò vsurpet, habitatioque eandem ob causam, angusta adhuc sit. Sequenti tamen anno, plures accedere poterunt. Nunc in sacello sacra fiunt, & confesiones audiuntur, atque ad infirmos, quando vocantur, excurritur. Conciones autem & alia ministeria, donec persi-

perficiatur Ecclesia, in Collegio exercentur. Structura templi, à quinquennio cœpta, bene hoc anno creuit, quam indefessa manus Reuerendissimi Antistitis eius vrbis, & Illustrissimi D. Leonis Sapihæ, magni Ducatus Lituaniæ Cancellarii promouere non desistit. Et quidem prædictus Illustrissimus D. Cancellarius, præter mille florenos à quinquennio in singulos annos numeratos, hoc præterea anno, tria paria candelabrorum & imaginem Christi de Cruce pendentis, ex argento, Romæ omnia elegantissimo opere facta, templo nouo, licet nondum perfecto, liberalissimè donauit. Vxor verò ipsius quæ originem ex familia Illustrissimorum Ducum Radiuilorum trahit, mappam pro altari auream florenis centum quinquaginta æstimatam, sponte nobis obtulit. Alia pia Matrona calicem argenteum & pixidem sacram, donauit. Has secutus vir quidam nobilis, deuotione, animique sensu motus, calicem argenteum Deo & S. Casimiro consecrauit. Supellex sacra, pro vsu SS. Sacrificii, nec non elegātissima imago hoc anno sacello accessit. In pecunia à variis varii generis hominibus florenos 4500. in rebus plurimis, florenis quadringentis quinquaginta æstimatis, plurima percepimus. Ad SS. Sacramenti pabulum, populi numerus, in æde nostra, crescit. Vota quoque de more huius gentis antiquissimo, per oblationem laminarum argentearum, & statuarum cerearum persoluuntur.

COLLEGIVM VILNENSE.

FOrtunas noſtras Illuſtriſsimus Antiſtes Samogitiæ Melchior ex Ducibus Giedrochiis inſigniter auctum iuit, triginta ille benè piſcoſos lacus hæreditarios, adiunctis inſuper tribus agrorum manſis, vt vocant, Collegio attribuit, neque interea aliis quibus poteſt pius ſenex beneuolentiæ ſignis, ſuum in nos animũ, declarare nõ ceſſat. Noſtrorum viciſsim cùm ad eum eiuſque Diœceſim excurſionibus ſuſcipiendis, tùm in aliorum etiam promouenda ſalute, deſudat induſtria. Sacramenta apud nos, cæteraque pietatis frequentandi officia, occaſionem præbuit tùm ſupplicatio quadragenaria ſemel atque iterum ad Regni ſtabiliendam pacem in Æde noſtra decreta, maximiſque flagellantium cõuentibus frequentata, tùm Iubileì à SS. D. N. Paulo V. conceſsi, exeunte iam anno, facta promulgatio: quod quanta cum animorm auiditate à populo exceptum ſit, tùm etiam quo fructu peractum, teſtantur ſacro illo tempore Aduentus, infinita propè pœnitentium multitudo.

Ad templi valuas ſtipem in vſum pauperum corrogare, etiam qui genere illuſtriores non verecundantur, imò ad abiecta mancipiorum deſcendere interdum obſequia, honori ducunt. Exemplo eſt Noſocomiorum diebus præſertim Ieiunii quadragenarii frequentatio, & non prolixa magis in ſolenni epulo apparando egenis, pluſquam ducentis, liberalitas, quàm egregia in pedum abluendis ſordibus

bus, cæteriſque id genus frequentandis miniſteriis, animi ſubmiſsio.

Gratum hunc eſſe Deo eiuſq; Matri in ſe clientum ſuorum affectum & ſtudium, comprobauit quorundam ex hac vita exitus, vt nonnisi interuentu eiuſdem Matris, in illam æternitatis lucem à filio euocati videantur. Eorum vnus initium morbi habuit Diuæ Virgini diem ſacrum, vitam clauſit alio eidem Virgini ſacro die. Alter ad ſolennes Purificationis ferias, ſe cœleſtibus Matris gaudiis interfuturum prædixerat, prædictionem excepit euentus, atque ita inter Crucifixi oſcula agens animam incredibili vultus hilaritate, eandem DEO reddidit. Tertius, quod ipſum in ſummis habebat votis, alia eiuſdem Patronæ ſolennitate, in cœlum euocatus. Cæterum noſtrorum, quà domeſticis, quà externis operis, non pœnitenda conſiſtit animorum ſeges.

Eorum quibus hoc primum anno vitæ per confeſsionem expiandæ cura iniecta, cùm id antea actitaſſent numquam, ſeptingenti propè fuêre. Nonnulli à pluribus annis intermiſſam pœnitendi conſuetudinem ſalubriter repetiuerunt. Alii decem, viginti etiam emenſi milliaria, tantùm vt quieti animorum tantò ſecurius apud nos prouiderent. Infantibus pluſquam centum nonaginta via ad Chriſtum per baptiſmum aperta. Salutaribus iiſdem aquis adultiores initiati octo, & tres Ariani cuiuſdam benè iam ætate prouecta filii. Ad Confirmationis Sacramentum in oppido quodam inducti trecenti, pleriſque inibi error excuſſus, arbitranti-

bitrantibus in eorum tantum gratiam hoc Sacramentum institutum, qui à fide Apostatæ, religionis iterum orthodoxæ sacra suscepissent. Ab hæreticis ad Catholicorum transiêre partes, duo supra quinquaginta. In Romanæ Ecclesiæ Societatem aggregati è Ruthenis Schismaticis duodecim, è Mahumetanis Tartarorum superstitionibus vni lux Euangelicæ veritatis, ipso mortis penè articulo affulsit. Alter qui è Iudæorum perfidia emerserat, nostris imbuendus traditus. Actum cum eo sedulò, quoad animo illius obducta veteris legis caligo, noua se superfundente luce discuteretur penitus. Placuit Reuerendissimo nostro Antistiti, sufficienti iam pro captu instructum fidei doctrina, in nostra Æde sacri fontis lauacro ablui. Itaque ipsomet Antistite ritus & statas lustrationes obeunte, ipsis Pentecostes feriis, canis iam & annis obsitus, Christo iterum renatus. In alterius ad fidem conuersione non obscura Dei Matris in hominem innotuêre studia. Est is disciplinæ nostræ Alumnus, ab ipsis Grammaticæ quasi incunabilis ad Philosophiæ iam studia maturuerat, duri tamen semper oris, & si quando (quod creberrimè actitatum) à suis vel præceptoribus, vel condiscipulis, de fidei controuersiis, iniectus esset sermo, elinguis omninò, in ipso tandem Logicæ vestibulo, diuina cor eius tetigit sapientia, & ad Philosophiæ humanæ fatus tantò cumulatius accipiendos, fidei lumine hominem accendit, collustrauitque. Commutandi in melius cōsilii occasionem eam prædicat potissimam, quoties Deo supplicandi gratia, orationis tantum Dominicæ verba vsurpasset, incussum sibi nescio quem religio-

ligionis metum de omissa Angelica Salutatione, neque prius animum ab hac intemperie exsolui potuisse, quam & Dei simul Matris efflagitata ope, Matrem iuxta & filium sibi demereretur, atque ita nunc se per Matrem habuisse accessum ad filium meritò gaudet. Aliæ super alias diuersis anni temporibus in circumposita loca excursiones, suo etiam non caruerunt fructu. Bimestre spatium Missio in Samogitiam non exiguo gentis illius bono tenuit. Rudimenta vitæ Euangelicæ passim pueris, adultis etiam salubriter proposita, quibus præter fidei nomen, vix aliud in rebus fidei notum erat, ad mores Christianos Deique cultum informati. Plurimorum coniugia vitio vel ignoratione iuris contracta, dissociata sunt, vel ex præscriptione iuris correcta: alia verò nefario disidio disiuncta, amicabiliter reconciliata. Caluinianus non extremæ notæ nobilis, non tantùm se Religioni dedit, sed & templum à parente suo eiusdem Sectæ sectatore, olim Catholicis ereptum, reddidit. Valuit hæc eius etiam ad oppidanorum quibus ille præest salutem, cum Ecclesia reconciliatio, in mores illi fidemque sui Domini omnes penè Catholicam veritatem complexi, concesserunt. Dominum ipsum, cùm ab hæreticis ei de templo Catholicis restituto, dies dicta fuisset, acerba illa & petulans eorum comminatio in arrepto consilio confirmauit amplius, multamque ille pecuniariam, ab iis iniuriosè sibi impositam, susque deque habuit; tantum abest, vt recens ille oleastri Euangelicæ oliuæ insertus surculus, eiusmodi turbulentorum hominum flabris, suo moueretur loco. Alloquium alter & conspectū nostrorum fugiebat

bat, ſed multa nocte aliquandò a noſtris illàc iter habentibus, domi ſuæ oppreſſus, eiurata hæreſi Chriſto manus dedit. E Lutheri alterum grege, diuina bonitas, nonniſi flagello admoto ad ſe traxit, ægritudine percuſſus ſenſerat in ſe Dei corripientis extentam manum: tùm ille per confeſsionem quâtocyus vitæ prioris ſordes eluere aggreſſus. Interea dùm Sacerdos noſter ægrotanti ad lectulum aures acoommodat, Superintendens cum eiuſdem Sectæ Adminiſtro, quem Prædicantem vocant, accurrunt, confitenti nimium quantum moleſti, vt illum in Lutheri ſordibus retinerent, ſummo conabantur opere. Domo tandem, ſummo cum dedecore coacti. Matronæ cuidam nobili præceps ex alto ruina, adeò totius corporis luxauerat compages, vt niſi confeſtim à caſu illo maritus eiuſdem ſuperueniens, de voto D. Caſimiro faciendo, iam propemodum emortuæ inſuſurraſſet, eodem penè momento & loco de vita periclitaretur. Voto concepto ſenſim inter ſe rurſus coire membra, breuique pòſt, totum corpus conſaneſcere. Nouem ergo ab vrbe milliariis, vti ſeſe religione voti exolueret, Vilnam accurrit, peccatiſq; apud Sacerdotem noſtrum expoſitis, ſingulare à Diuo Tutelari in ſe beneficium & agnoſcit collatum, & verò honorificentiſsimè prædicat. Illud ad memoriam luctuoſum ſanè & horribile. In pago quodam, malo dæmone haud dubiè impulſore, vno propè temporis articulo mater quatuor trucidauit liberos, iam vbi in liberorum profuſo ſanguine maternas vidiſſet contaminatas manus, laqueum etiam ipſa ſibimet collo inſerere, & verò tàm miſerandi funeris ſe ſociam appoſuiſſet, ni ca-

ni catus domesticus, probè cæsorum sanguine saturatus, è fenestra in viciniam versa, solito validiores ciendo clamores, vicinum rusticum exciuisset. Demiratus ille primo rei insolētiam, quid cato factum, accurrit: totum sanguine madentem conspicatus, simul quatuor humi strata corpora videt, è vestigio ad fœminam è laqueari pendentem aduolat, funem, gula necdum fracta, præscindit, & sic illa non multò pòst, ægrè tamen sui compos facta, animoq; per confe^em Sac^to nostro expiato, saluti consuluit.

Hoc loco ponendum erat Coll^um Brunsb. sed quia tardè erant missa puncta, idcirco in fine reiectum est, faciat Reuerentia Vestra quod videbatur.

COLLEGIVM PVLTOuiense.

TRiduo cineralia præcedētead sacratissimum epulum ritè perpurgati, circiter bis mille accessêre, quod anteactis annis, nè in præcipuis quidem animaduersum est festiuitatibus. Orationi autem, quæ eodem triduo continuò fundebatur, defuit nemo, densatis confluentium agminibus, ædeque nostra diuina vix vnquam non referta. Sic autem continuandæ per diem orationis vsus, die S. Adalberti Regni Patroni est repetitus, ac sacris Pentecostes diebus tribus vsurpatus.

Excussit vni peccati fassionem morbus violentior, obi ectumque aspectui monstrum perquam horrendum, quod non secus atque ex aduersariis exquisita consignitis accuratione immanium seriem facinorum, percensuit, ipsique veluti præsentia ingessit obtutibus, compos ille mentis fuit, neque ludicrum in tanta cohorrescentia mentis, &

testi-

& testimonio, seipsum damnantis naufragio, culpam, qua in eam impulsus procellam profundo barathri penè absorbebatur, luculenter denudauit, eaque detecta ingruentem depulit tempestatem, optatamque tunc, quam olim ducebat nihili, nactus est fluctuãtis animi tranquillitatem. Arctius hoc eodem lethargo alius consopitus, nullius penè pensi admissorum ductitans criminum expiationem, cõplures per annos, non prius voluit expergisci, quàm occultam quandam Dei se excitantis vim, non in animo solùm, at in ipso quoque expertus esset corpore. Derepente namque, nihil eiusmodi vnquam opinatus, ab eo quem in aggerendis flagitiis secutus est impulsore, maligno inquam dæmone, Deo ita permittẽte, in summum abreptus ædium verticem, atque inde per camini angustias, summa præcipitatus violentia, in culinæ decidit pauimentum, totoque collisus corpore, non defectis solùm viribus, at exanimis penè repertus: aliquanto post, vt sese colligit, seram at grauem Numinis persentiscere cœpit vindictam, non sine paterna tamen clementia, increbescente per vicinam facti admirabilis rumore, fit omnium ad hominem miserabiliter quassatum concursus: accurrit inter cæteros, illius loci curio, ac dùm re his nostris seculis planè inaudita, omnes qui aderant perculsi, obstupefiunt, atque vt quisque poterat calamitoso succurrere adnituntur: Ille interim contenta voce, nemine non exaudiente, omnes anteactæ detestabilis vitæ fœditates particulatim percensere exorsus, acriter se excruciari ingeminabat, & diros nescio quos catenarum tractus dolentissimè queritabatur. Benignissimo tandem

Deo,

Deo, ad circumſiſtentium preces ac vota, afflicti hominis miſerante cladem, ſibi ille vt planè redditus eſt, nihil prius ac ſolicitius egit, quàm vt Pultouiam aduolaret quantocyus, quod & fecit nihil moratus, reique totius ſerie expoſita noſtro Sacerdoti, minimè refugit, propter publicata in tanta hominum frequentia peccata, ei quæ tantis debita erat delictis, ſatisfactioni, prompto atq; alacri animo ſeſe propalam ſubmittere. Vniuerſæ tamen errata vitæ, a b ea qua exorbitare potuit ætate repetita, eo quo par erat doloris intimi ſenſu, prius eidem noſtro percenſuit Patri, atque ita non ſolum non quæſita, ante proximam calamitatem, at nè optata quidem animi potitus abſceſsit quiete. Necromantiæ impenſius deditis duobus iniecta religio, & conſcelerata è manibus extorta adiurationum machinamenta. Duo itidem alii vetitos ab Eccleſia libros maleficiis, & amoribus impuros ignibus expurgarunt. Sanguinis ac cædis ſitis ardentior reſtincta in tribus, compreſſa per diuturnitatem validius firmata odia, atque deleta inter complures, & iniuriarum confectæ condonationes non paucæ, eæque inſigniores. Viginti propemodum conciliati, quæ tantò laborioſius iuncta eſt beneuolentia, quantò inter viros nobiliores partes acrius cædibus & cruore exacerbatæ efferueſcebãt odiis, annorum aliquot duratione inueteratis. Et inter hos quidem debita læſis procurata eſt ſatisfactio. Nam repertus eſt quidam alius, qui nulla penitus cõpenſatione poſtulata, perquam libenter æquè ac liberaliter, ex lethali accepto vulnere è vita migraturus, necis patratori, ple-

nam indulsit condonationem. Obtenta est etiam vni, offensi Domini gratia, & post arctiores carceres, libertas. Abducti tres ab vsuris non sine debita iis, quos fœnoribus emunxerant, restitutione. Repertus est vnus, qui de iniquè obtentis commonitus, florenos centum proprio annumerauit possessori. Vnus denique incæstarum propositum abiecit nuptiarum. Exculti sunt sacris B. P. N. commentationibus extranei septemdecim, quorum omnes quidem fructum ceperunt vberem: vnus tamen cæteris vberiorem, maximèque opportunum. Vir is erat Aulicus, qui probus alioqui semper cùm viueret, nescio quibus tamen derepente animi exagitatus intemperiis, desperationis laqueis propè interibat, is salutaribus perpurgatus meditationibus, mundataque interiore domo, per vniuersorum repetitam accusationem criminum, omnem illam molestissimam compescuit turbulentiam, lætiorque atque pacatior est redditus. Ad perfectiorem statum in religiosis familiis sex transiuêre, fidei & Christianæ Sacrosanctis mysteriis initiatus est Iudæus vnus. Atque hæc domi collecta fuit messis. Foris per crebras nostrorum excursiones, non multò extitit parcior; in pagis ac oppidis vicinis per solenniores dies visitatis, vbi institutæ conciones, rudimenta Christianæ fidei simplicioribus ad eorum captum proposita, suo non caruere emolumento, complures seipsos de peccatis accusantes auditi. Accidit porrò in quadam Paræcia, vt pro Festo Præsentatæ Deiparæ Virginis die concursu facto, sex fœminarum insignis notata sit pietas. Cùm enim post ieiunium totius diei, qui Fe-

stum

ſtum anteceſſerat, in ipſa ſolennitate, quæ feria 6. agebatur, Sacroſanctæ participare Synaxi nequiuiſſent, in tertium vſque diem ieiunium integrè pduxêre, neque ab æde receſſere diuina, donec tãdem voti fuiſſent factæ compotes. Reuerendiſsimus noſter, nullum depromendæ in nos beneuolentiæ & amoris finem facit. Adiit ſacram Collegij ædem ſæpius, ſanctiſsimumque obtulit ſacrificium. Secunda Chriſti deuicta morte triumphantis die in pontificialibus, diuina apud nos peregit myſteria, decantatis inſuper eodem die veſperis, & cõfirmationis adminiſtrato Sacramento, totum eum diem nobiſcum egit in Collegio. Alio quoq; tempore, vtraſque veſperas & ſacrum ſolenniter peregit. Die porrò ſolenni B.P.N. memoriæ dicato, nõ ſatis habuit intereſſe SS^mo ſacrificio, concioni, ac primis, ſecundiſque veſperis: at ipſe quoq; diuinis operatus eſt, ſacramque Fratribus noſtris diſtribuit Euchariſtiam, quod ante quoq; fecit præter noſtros, ſat frequenti populo. Atque vt ſuis erga nos ſtudiis plus aliquid concederet, bis in Coll^o pranſus eſt nobiſcum, liberaliter omnibus ad id neceſſariis de ſuo miniſtratis, quam etiam cum pari facilitate beneficentiam Alumnis ſui ſeminari ſemel præſtitit, vno ex eorum numero primum Deo ſacrificium immolante, nec facilè ſuo in hoc Coll^um amori modum ille ſtatueret, rebuſque eius in anguſtum adductis expediendis finem imponeret, ſi non in tàm iniqua incidiſſet tempora. Bello n. ciuili tres fermè annos durãte non ſatis explicari poteſt, quãtùm in omnium p vniuerſum Regnũ Eccleſiaſt^rum bona, licentiæ factioſorum miles ſibi sũpſerit,


 quaſq;

quasque prædationes, præter iniquissimas exactiones fecerit. Solum hoc Collegium, rebus vel leuiter ad rationem subductis, septingentorum vt minimum florenorum damnum accepit. Non defuêre tamen nonnulli benefici viri, quorum vnus 200. alter 30. florenis, nostrorum leuarunt inopiam. Et quamuis difficili admodum versaremur in tempore, effectum nihilominus est, superiorum vigilantia & industria ad diuinam accedente benignitatem, vt omnia prorsus exoluta sint debita, quibus obæratum grauabatur Collegium 912. florenorum. Extremo penè loco de Scholis aliqua memoratu non indigna sunt afferenda. 600. constant iuuenib⁹, frequentiam enim quæ multò erat proximis annis amplior, haud leuiter imminuerunt, tùm dispositio præcedentis anni ob luem accerrimè tunc grassatam, tùm ciuiles motus, militumque incursationes periculosæ, ita vt hic ipse, quem expressimus, numerus nè sperari quidem in tali potuerit perturbatione. Excelluere literarum & virtutum inprimis studio cùm alii multi, tùm in Partheniam (quæ hic in maiorem & minorem diuisa est) allecti Sodalitatem. E quibus duo Societatis sunt institutum complexi. Franciscanam alii duo elegerunt familiam. Commune vtrique Sodalitati fuit, omnes eas, quæ sæpius fuêre institutæ pro populo, orationes, publicis suiipsorum ornare verberationibus, quod Sacrosancto Parasceues die, solito egerunt ardentius: cæteris autem sextis Quadragesimæ feriis, priuatim sese ceciderunt. Solenne iisdem fuit ciliciorum asperitate, tenerrima crebrius atterere

cor-

corpora, templa religiosius visere, sacras Litanias quauis hebdomada quater, publicè ad propria altaria recitare, certo itidem cuiusuis septimanæ die, mediam horam communi spiritualis libri impendere lectioni, ad pauperum lauandos pedes bis hoc anno sese demisêre, die nimirum Cœnæ Domini, & pridie S. Martini, cuius nomine gaudet Illustrissimus Antistes noster, Sodalitii eximius Patronus, in quam ipse quoque asscribi voluit, suaque iucundissima aliquos illius actus solenniores, exornauit præsentia. Iisdem diebus, apparatis pro refectione pauperum mensis inseruierunt, ac stipe eosdem egentes impertierunt liberali. Non omittendum visum est, ad pietatem in Sodalitio institutos, etiam cùm è Scholis abierũt, nostri memorem conseruare animum, orationibus Sodalium sese per literas commendare, sententias in Patronorum sortione incidentes postulare, oportunis temporibus per seipsos, etiamsi alioqui distent longius, accurrere: apud spiritualem congregationis Patrem errata confiteri: eleemosynas denique submittere, quod etiam tenuioribus Sacerdotibus est familiare, ac pene frequentius. In extremas huius labentis penè anni hebdomadas duas, promulgatio Iubilei incidit, nullum igitur respirandi spatium toto eo tempore habuêre Sacerdotes nostri, non ij solùm, qui ad hoc vnũ destinati sunt, sed & alii, suis quiq; intẽti officiis, fructus longè vberrimi collecti sũt, q cum ijdẽ cum supra memoratis, ijs cõmemorandis supersedendum est. In supplicationibus ter ad loca diuersa institutis, exhortationes ad frequentem
 populum

populum habitæ, Illuſtriſsimo id poſtulante, qui & ipſo cœlo alioqui iniquiore, nymboſo ac pluuio, tàm pio operi defuit nunquam. Iuuenis, dùm in Scholis triuialibus cuiuſdam loci, ſtudiis litterarum vacaret impenſius, profectu tamen, ob tarditatem ingenii, nullo, ſubiit illi in mentē perquirere à Sodalibus, quos cernebat fœliciores, quanam ratione ipſe quoque ſi non anteire, at vel æquare illos valeret, abductum vnus ſecretius, nefariis imbuit conſiliis, ſuaſit vt ſacra percepta Synaxi, eius aliquam partem ſuffuraretur quàm cautiſsimè, multò autem circumſpectius decenter inuolucris tectam apud ſe habeat. Non cohorruit impius ſacrilegum flagitium, accepit tremenda myſteria, impuris dein ex ore abrepta manibus partitur, recondit, vt iuſſus erat, particulā, tactus haud multò pòſt religione, dùm quidnam de illa fieret particula, explicatis integumentis curioſius perquireret, nihil prorſus reperit, atq; nunc demum, rei prout par erat animo concepta grauitate, tacitum alioqui non paucis annis facinus detexit. Numerum Sanctiſsimo Euchariſtiæ Sacramento refectorum per tempus Iobilei, non facilè inire potuerunt, qui ei rei attenderunt.



COL-

COLLEGIVM BRAVNS-bergenſe.

TRes hic annus, & ætate, & morbis confectos, in aliam vitam tranſtulit. Horũ primus fuit P. Georgius Iung Coadiutor ſpiritualis formatus, qui ex Reſidentia Gedanenſi ſalubrioris auræ gratia aduenerat, lecto ſubitò affixus, multa religioſæ vitæ cumulatè probata exempla reliquit. Annos qninquaginta vixit: 33. in Societate tranſegit, 20. circiter rebus Oeconomicis & domeſticis negotiis præfectus, magna cum induſtria fructuque, in variis Collegiis & Domibus, Societati adiumento fuit. Dùm ægrotus à noſtris, & aliis inuiſeretur, integro animo ad cœleſtia anhelans, de expectato ex ſui corporis ergaſtulo diſceſſu, diuorumq; beata vita lubens, magno guſtu, quà loquebatur, quà audiebat. Virtus patientiæ in ægro mirificè eluxit. Tandem diuturniore morbo ſenſim exhauſtus, multis animi fortitudinis, aliarumq; virtutum documentis editis, & Sacramentis præmunitus, huius vitæ laboribus & ærumnis finem impoſuit. Hunc non longo interuallo conſecutus eſt Ioannes Hein Coadiutor temporalis. Sexaginta propè annos natus, ex quibus aliquot ſupra 30. Soci^ti dedicauit. Multis virtutibus præditus, adeò vt ob ſingularem obedientiã, & ad omnia paratã voluntatem, ac inprimis ſilentii virtutem, iis quibus conuixit, fuerit admirationi. Hortenſi operi maximè deditus, cuius longori experientia eam acquiſierat peritiam, vt vix alterum talem aliquando ſperare poſsit Collegium. Iam ætate confecto, brachium ad aſsiduos labores aſſuetum, paralyſis de-

bilitauit, & rationis impotens effectus, vnius anni ſpatio & amplius, ita morbo debilitatus erat, vt ad extrema peruenerit. Animi factus compos, horis aliquot ante obitum, munitus ſacræ vnctionis Sacramento, ſpiritum creatori ſuo placidè reddidit. Hoc autem elogium de ſe viuis reliquit mortuus, quod neque facto, neque verbo vllo læſerit aliquem. Poſt hoc elatum funus, P. Simon Annius ordine proximus fuit, qui etiam Coadiutor ſpiritualis formatus, iam ſexaginta propemodum annos natus, in Societate triginta quinque exegit. Viginti annis, eòque amplius Rhetoricen in diuerſis Collegiis profeſſ9 eſt, multorum diſcipulorum & præceptorum Magiſter. Qui confectus ſenio & laboribus, ad altare tremẽdis adſiſtens myſteriis, paralyſi laborare cœpit; ſine notabili tamen ſigno ſacroſanctum proſequens ſacrificium, ab altari ad cubiculum cùm rediiſſet, nullo pharmaco, nullo conſilio adhibito, ad priſtinum ſanitatis ſtatum reduci potuit. Horum vita functorum numero meritò adſcribendus eſt ſpectabilis Domini Michaëlis Nouman obitus. Eximius hic Collegii fuit benefactor, & Societatis noſtræ amantiſsimus. Oeconomi officio totius Epiſcopatus Varmienſis aliquot annis cum laude perfunctus erat. Feſſus tandem vigiliis, laboribus, & annis, in hoc Collegium, tanquam ad tranquillitatis ſtationem, cum licentia ſuperiorum noſtrorum, feliciter ſe receperat; tantò ſecurius excepturus mortem, quantò religioſos viros ad eam excipiendam ſecuriores ſibi piis votis, precibuſque & conſiliis adfuturos eſſe credebat. Adeò autem

tem inculpatæ vitæ ſtudioſus fuit, adeò pietatis amans, vt ſolo habitu ac veſte, ab iis qui religioſam vitam profitentur, differre videretur. Imò in piis operibus promouendis, in tuendis fidei Catholicæ partibus, in orationis aſsiduo ſtudio, & charitatis Chriſtianæ officiis, adeò magnos fecerat progreſſus, vt verè pii, ac optimi viri nomen fuerit aſſecutus. Nunquam otioſus viſus; tempus dabat vel legendis piis libellis, vel precibus cùm ad Deum, tùm ad Beatiſsimam Dei Matrem, cuius cultui toto ſe animo deuouerat, vel in diuinarum commentatione rerum, interdum etiam media nocte, defixus. Humilitatis officiis apprimè deditus, egregius victor pudoris, qui eiuſmodi exercitiis obrepere plerumque ſolet iis, qui viro alioqui egregii, non poſtremæ inter ſuos notæ, ad vilia deſcendunt obſequia.

Incidit tandem in lethalem ægritudinem, die inuentæ Cruci ſacro; Eccleſiæ Sacramentis inſtructus, Deo magna cum fiducia ſeſe commendans, inter preces ac manus Patrum Fratrumque placidiſsimè dormienti ſimillimus, vitam hanc mortalem cum æterna commutauit. Collegio, cuius fundatio pertenuis eſt, ſex millia florenorum in cēſus perpetuos, vna cum multa ſelectiſsimorum librorum, rerumque domeſticarum vtenſili ſupellectili, liberaliſsimè donauit. Omitto quæ in alios pios vſus in varia loca diſtribuit, ac inprimis, quod Noſocomio in patria ſua duo millia marcarum Pruſsicarum elargitus ſit. Circa proximorum ſalutem non infructuosè noſtrorum deſudauit industria. In Collegio exercitiis ſpiritualibus perpo-

ppoliti, Canonicus Varmienſis, Decanus q̃dam, & Parochus; qui eadem opera, per confeſsionem totius vitæ maculas eluerunt. Generales confeſſiones exceptæ circiter centum; multæ à multis annis, & præcipuæ, quæ variis de cauſis inualidæ fuêre, repetitæ. Excurſum à noſtris per Epiſcopatus Diœceſim, haud ſine lucro animârum, multorum exceptæ confeſsiones, variæ ſopitæ diſſenſiones, iniuſti contractus reſciſsi. Fidei Catholicæ adhæſere hæretici tres ſupra triginta. Inter hos Virgo quædam nobilis è Ducatu Pruſsiæ oriunda, annos nata viginti circiter, quæ affinis ſui Catholici perſuaſione abducta, vt tẽplum noſtrum inuiſeret, tandem ordine templi, Cæremoniiſque inſpectis, & concionibus auditis, fidem Catholicam libenter amplexa eſt. Officialis Eccleſiæ Varmienſis, vir doctrina iuxta, ac authoritate, Legationibuſque obeundis conſpicuus, in vltimo ſuo agone noſtros ſibi adeſſe, conſcientiæque & ſalutis arbitros eſſe voluit. Adſtitere morienti, quo nomine ab omnibus Canonicis ibidem noſtris pro his caritatis officiis actæ ſunt gratiæ ingentes. Sub idem fermè tempus, memoria dignum accidit, in duobus matrimonio iunctis, & recens ad Catholicam fidem conuerſis, qui paupertatis incommodo, æreque preſsi alieno, ſuorumque præſidio, ac omni conſilio deſtituti, ancipites animo, nunc in hanc, nunc in alteram partem fluctuabant. Deerat ſolùm qui inconſtantes animos ad deteriorem partem ſtimularet; ſua mòx expediuit arma verſipellis hoſtis Diabolus. Miniſtrum Luthero iura tũ, & vxori affinitate coniunctum,

ſuſci-

ſuſcitat. Is mittit literas, obſecrat vt ad ſe pro futuris Chriſti natalitiis veniant, ſecum (haud itineris ſpatio diei vnius abeſt) habitent; liberam habitationem, & omnia vitæ neceſſaria, & quadringentorum florenorum contracta debita ſe diſſoluturum pollicetur: affirmatque ideò ipſam iuſtè & paupertatis incommodis, & inualetudine corporis, à Deo percuſſam, (infirma enim erat) quod veritatis repudiarit doctrinam; quod Romaniſtarum & Papiſtarum errori, ſimulatæque ac falſæ religioni adhæſerit. Ipſa, vt varium & mutabile ſemper fœmina, ſerpentis vocem attendens, relapſa ſanè ad vomitum fuiſſet, niſi diuino nutu vnus ex noſtris, qui ipſi confitenti aures dare conſueuerat, aduertiſſet. Oblatæ ergo ſunt ei litteræ deceptoris Miniſtri, verborum lenociniis, ac illecebris plenæ. Quid conſilij? mox eo tempore (periculum enim in mora fuit, iamiam aduentante Lutheri præcone) pro Catholica fide retinenda, ærumnis fortiter ferendis, noſter conſcribit aliqua, ſine ſigillo, ſine nomine, tradit marito, qui vxori legēda daret: legit illa, ac relegit, ſenſum capit, recuperat vires priſtinas, confirmatur in fide Catholica, gratias agit. Inter legendum ſubitò accedit Miniſter, eripit literas à noſtro conſcriptas, ignorat authorem ſcriptionis, miratur, angitur, inquirit ſcriptorem. Denique Crocodilinis obortis lacrymis, aurum purum, Vngaricos ſupra viginti in ſinum fœminæ proijcit, obſecrat vt ſuæ ſaluti conſulat, ad priorem ſalutis viam redeat. Illa porrò renuit aurum, contemnit impoſtorem, affinē auerſatur, vicit fœmina, poſt aurū non abijt.

Ma-

Maluit vna cum marito, egeſtate, alienoque grauata ære, inter Catholicos, ſpei circa ſalutem plena, degere, quàm cum hæreticis abundare opibus, animæ porrò inæſtimabilem facere iacturam. Scholæ noſtræ ſolita propemodum felicitate ſuum tenent curſum. Minui quidem nonnihil earum frequentia ob cariorem annonam cœpit; ſed Deo dãte ſolitam recuperabit frequentiam, cum annona viluerit. Selecta omninò adhuc manet iuuentus, & prænobilis, ex qua pars potiſsima & lectiſſima Parthenio Sodalitio eſt aggregata. Vnde quatuor iuuenes ingenio & moribus præſtantes, ad tirocinium Societatis ſeſe adiunxêre. His placet attexere exemplum raræ indolis, & magnæ expectationis, nobilis Adoleſcentis Scoti cuiuſdam, qui dùm in domo paterna Catholicè educatus iam annos quatuordecim agens, viros quoſdam ſingulari modeſtia, grauitate, ac eruditione inſignes, ad parentis domum crebrius aduentantes, menſæque accumbentes adſpiceret, eos admiratus: quales, inquit, Domine parens, ſunt viri iſti? Cùm Ieſuitas eos eſſe reſpondiſſet parens, obſtupuit puer; animoque conceptum gaudium prudenter diſsimulans, magna cogitare, maiora cœpit proponere: diuino quippe impulſus motu, ſenſit ſibi acres ad pietatem, ac etiam religioſum viuendi genus, ſubdi ſtimulos. Ergo inter alternantes cogitationum fluctus, hùc illùc anxius, animique pendens, diſtrahitur.

In eiuſmodi Societatem adeò teneris adhùc annis cooptari ſe poſſe diffidit: nihilominus plenus ſpei, vt res tempuſque ferebant, ſalubriter con-

concludit; maturitatem ætatis expectandam, vt interea pia religiosæ vitæ desideria maturescant. Breui postmodum arcano suo consilio, Deus nostri cuiusdam Patris lateri puerum adiunxit, vt maturè piis exercitiis quà animum, quà corpus assuefaceret, seque Societati promptum sensim pararet alumnum. Sed in tenera ætate, tener animus ad subeundos pro Deo labores, altioribus deinceps erat studiis imbuendus. Igitur à materno sinu complexuque auellitur, ex Scotia in Prusiam abit, Braunsbergæ in disciplinam traditur, ac inibi inter pauperes nobilis puer, Christi iugo se subdere incipit. Adolescentem iam vigesimum attingentem annum, in deliciis spiritus conquiescentem, inuidens saniora eligentibus aggreditur hostis; quæ (malum) isthæc paupertas? quæ hæc animi adeò sordida deiectio? vbi nomen familiæ? ad maiora & iucundiora animum transferas. Tune pugnabis imbellis, nèdum ad pugnam tiro edoctus? tùm Adolescens tot ictus telis; Defensore hîc mihi, inquit, & propugnatore opus est. Non sine nutu diuino nostrum adit templum, conscientiæ suæ quærit solatium, maculis anteactæ vitæ iterum expiat animum, sacra refouetur Synaxi, mox secum afflatu Numinis, tale meditatur consilium. Ne quid valeat inimicus armis, alligate votis, expeditior Deum sequere vocantem, Hem, frustra me dolose munde retrahis, stat sententia Deum iubentem sequi. Voueo (inclamat affectu) voueo ipsi Deo, me Societatem ingressurum. Sensit se subitò profligatum hostis, redit domum animæquior iuuenis, magno ardore inflammatum

lirium ſimulauit: ſicque Prodromus Sathanæ, deſperato negotio diſceſsit. Infirmus verò ad vltimum vitæ ſpiritum, multa prudentiſsimè de Deo, deque vera Religione locutus, piiſsimè mortuus eſt. Id verò primarii cuiuſdam equeſtris Ordinis viri ſingulari teſtimonio palàm accepimus.

COLLEGIVM NIESVIſienſe.

Collegium Nieſuiſienſe hoc anno Rhetorum noſtrorum Colonia Potociā translata, tertianos Patres, etiam cum fœnore recepit. Magnus illorum in iuuandis proximis feruor, magna humilitatis & charitatis in pauperes & ægrotos officia. Nicolaum Chriſtophorum Radziuilum, Illuſtriſsimi Principis Fundatoris noſtri filium, reſtituit quidem Bononia, ſed non eum omninò quem vel à nobis dimiſimus, vel aliquandò futurum expectauimus. Dici vix poteſt, quàm conſtanti vultu, & animo forti prudentiſsimus Princeps dilecti filii ſui mœſtum exceperit funus. Exequiæ in noſtro templo, magno concurſu nobilium celebratæ, modeſto certè, licet non indigno Principe apparatu. Scholæ noſtræ pro gratitudine in Fundatorem, tanta emblematum, diuerſorumque carminum multitudine templum totum conueſtiuerant, vt ſpectantes admiratione obruerentur. Gratum id Principi ceſsiſſe, & gratiæ multoties humiliter actæ, & declarata tùm

in nos,

in nos, tùm Scholas noſtras munificentia, ſatis oſtendit.

Excurſiones aucto numero Sacerdotum, auctiores quoque factæ, non minori labore, quàm fructu. Primum bellum initum contra genus maleficarum moleſtiſsimum. Quatuor erant præſtigiarum arte inſigniores, ac quo magis eæ propter variorum morborum, vulnerum etiam lethalium ſubitam curationem, paſsim à pleriſque pro diuinis haberentur, eò difficilius à pernitioſo errore deturbari poſſe videbantur, itaque multis viis tentatæ, infernalium pœnarum, & iudicii diuini interminato metu, efficaciter fractæ, manus dederunt. Nec minus arduum fuit, quàmplurimas alias, tùm virgines, tùm coniuges vario veneficio dementatas inhibere, nè præſtigia præſtigiis, aliiſq; illicitis mediis fruſtra tollere pergerent, vix tandem, quarum aliquæ à quindecim annis inanes conatus cum lacrymis execratæ, Deo iuſto iudici totam cauſam committentes, integrè reſipuerũt, fuerunt, quibus vnicum refugium in omnibus aduerſis, recurrere ad præſtigiatrices mulierculas, & his via præculſa, atque melior quæ ducit ad Deum, quamplurimis oſtenſa. Superſtitioſo quoq; cultu feriæ ſextæ ſublato, debitus Dominicæ, aliiſque feſtis diebus eſt honor reſtitutus. Cæterum, quidam magiſnè ſuperſtitioni, an peruicaciæ deditus, venerando ſimulque horribili viſo admonitus, in perpetuum dies feſtos ſanctè obire, alioſque ad idem faciendum cohortari inſtituit. Inuenti ſunt & antea nunquam confeſsi, nunc autem Deo reconciliati decem & nouem, ſupra quadringentos,

tos,& fuit non raro videre etiam ſeptuagenarios. Communium confeſsionum numerus iniri non potuit. Non eſt hic etiam omittendus labor noſtrorum, quo ſtrenuè,& ſanè feliciter præſtitum, vt plurimi grauiſsimis odiis inter ſe diſsidentes, & inimicitias ponerent & ad inuicem reconciliarentur,& ex his coniuges duo. relictis propè inueteratis, à viginti annis ſimultatibus, ad meliorem & tranquilliorem vitam ſunt reducti. Multorum conſcientiis & illuſionibus variis, & ſpiritu blaſphemiæ tentatis, non minus diligẽter occurſum. Illuſtrior aſtutia veteratoris antiqui in quodam, quem ita miſerè multis annis pedicis ſuis intricatũ ducebat, vt quoties vel calamo annotare, vel confeſsione errata explicare attentaret, toties omnium ſubitò obliuiſceretur, quod ſi quando annotaſſe contigit, excæcatus quodammodo legere non potuit; cæterum confeſsionis tribunal accedere graue ſupplicium. Confeſſarius hoſtis callidiſsimi artem vt erat ſuſpicatus, hominem graui timore correptum, primum ad ſe trahere, deinde etiam ſenſim inueſtigatione prudenti cõſcientiam perſcrutari, fraudem dæmonis detegere Mirum eſt, quàm præſenti beneficio Dei adiutus etiam impoſterum liber ab omni perturbatione euaſerit. Denique ſalutaribus vndis abluti duo ſupra triginta. A Schiſmate Græcorum ad Romanæ Sedis obedientiam rediere plures octoginta. Variarum hæreſum fœcibus extracti duo.

COLLEGIVM POTOcense.

NVmerus nostrorum inclinante iam anno, accessu eorum, qui humanioribus litteris imbuendi assumuntur, est auctus, diuisa enim Prouincia Lituaniæ à Polonia, & domicilio iis, qui tertio Probationis anno addicuntur in Collegio Niesuisiensi, vbi hactenus nostri intra domesticos patietes Præceptores auscultabant, constituto, Rhetoricæ Schola ad hoc Collegium quarto Nouembris translata est. Excreuit ergo iam numerus personarum à dicto die Nouembris ad trigesimum, cum tribus, qui in Missione noua Orssanensi versantur. Laboratum à nostris solita constantia domi forisque, sed foris non minore fructu quam necessitate, exceptæ enim confessiones sexcentæ quadraginta septem, in quibus supra centum fuerunt, qui totius vitæ criminibus conscientias suas exonerarunt. Nobilium præterea aliquot familiæ pœnitentiæ Sacramento expiatæ, & quod magis mirêre, cuiusdam etiam Nobilis Matronæ, sed peste Caluiniana infectæ horratu; quæ nostros in aulam suam diuertentes vbi benignè excepisset, studiosè solicitabat, vt familiam suam piis monitis ad meliora promouerent, & ritu nostro DEI offensas manifestantibus aures præberent, adeò etiam inter sentes diuinæ semen doctrinæ iactum reuirescit, & spem messis ampliorem promittit. Nec segnius pro locorum opportunitate in aliis Socie-

Societatis ministeriis laboratum. Infantes aqua lustrali perfusi sexaginta duo, Matrimonia multa ob defectum Parochorum, legitimè iuncta. Nam quod dolendum est, ita hic error in rudem populum siue ignorantia, siue impunitate irrepsit vt iam vix ducant sacrilegium, à suis vxoribus discedere, & cum aliis incestas nuptias celebrare, maximè vbi authoritas Popi Rhutenici accesserit, qui quidem Popi, quod experiētia compertum est, nimis faciles esse solent ad diuortia inter coniuges facienda, vnde prouenit, vt se Matrimonii iure penitus solutos existiment, sibique priore adhuc superstite, cum alia contrahere fas putent, qui cum aliquando ad peccatorum detestationem incitantur, & vt animas in pœnitentiæ fonte eluant, inflectuntur, tùm demum summam nostri difficultatem, vt eos ab illicita cohabitatione abstrahant experiuntur. Nec minor aliquandò molestia in coniugibus inter se dissidentibus conciliandis, & ex fuga ad domum, torumque coniugalem reuocandis. Sunt enim homines sanioris consilii expertes, vt ad eiusmodi dissidia faciles, sic ad hoc, vt in pristinum reuocentur statum, difficiles. A veneficiis, quibus Rhutena gens magna ex parte est dedita, aliqui penitus abducti, aliqui grauissimis monitis cum magna spe tàm nefandas incantationes eiurandi, ab inolita consuetudine deterriti. Lucris iniustis hortatu nostrorum nuncium remisere. Et hæc ferè foris gesta, domi verò nostrorum officia in vicinos etiam constitére.

Nam in tāta Catholicorum paucitate(multitudine Græcas Cæremonias ſequente) ſatis frequens nihilominus viget Sacramentorum vſus. Actum præterea cum hominibus odio graui flagrantibꝰ, effectumque, vt vel in veterem amicitiam coaleſcerent, vel ſine alterius partis læſione viuerent. Cuiuis operæ vnum vel alterum ſufficiat exemplum. Diſcordia ingens inter Dominum quendam & famulum fuit exorta, eoque ſeruum impotentis animi vis abripuit, vt improbum aliquod facinus moliretur, & inſigni aliquo damno Domino bonis illato, exulceratum animum leuare cogitaret. Interpoſuit operam ſuam ad placandum vtrumque Sacerdos noſter, primumq; Dominum grauiter commotum oratione ſedauit, deīde ad expugnandam famuli iram ſtudium vertit: ſed tanta fuit hominis ferocitas, vt nonniſi poſt longum tempus rationibus cederet, & Patris conſiliis acquieſceret. Iuſta itaque obſequiorum ſuorum mercede à Domino accepta, honeſtè pacatèque dimiſſus eſt. Aliud eò nobilius, quo in perſona illuſtriori contigit. Matrona quædam honeſto loco nata, & cum maiorum nobilitate & virtute tùm ſua clariſsima, cùm ei per acceptam iniuriam vir quidam, genere quidem clarus, ſed lingua petulans ac procax, ignominiæ notam in fama quā ſemper habuit optimam, inuſsiſſet, exarſit fœmina, iuſta vt videbatur iracundia, & tantam nomini ſuo labem aſperſam non ſuſtinens, magnis animi cruciabatur doloribus, itaque neque iam ſolita pietatis officia præſtare, neque Sacramenta ſalutis remedia, frequentare libuit, animum vi-

deli-

delicetira exacuente, & ſalutaria quæque mentis conſilia perturbante. Intellexit iram quidam è Patribus noſtris, cupienſque afflictam erigere, & ad priſtinam mentis hilaritatem reuocare, agit cum illa, profert rationes, quare æquius ſit indignationem omnem ex animo excludere, iniuriæ illatæ obliuiſci, & offenſam præteritam pro Chriſtiana pietate remittere, vrget hæſitantem, proponit exemplum Chriſti Seruatoris, atque ad ſequẽda tum patientiæ, tùm charitatis veſtigia accendit. Illa non paſſa tàm ſalutaria documenta in ventum ſpargi, nec ſe degenerem tàm benigni parentis filiam videri, ferociam in lenitatem, dolorem in patientiam vertit, & quod maledico conuitiatori præſtandum erat, ipſa amore Chriſti recaleſcente celeritate anteuertit. Quid ergo? ſuſcipit iter, atq; ad ædes calumniatoris, longo interuallo diſtantes maturare contendit. Ingreſſa inuenit hominem acerbo morbo propè depaſtum, atque ad tranſitum ad alteram vitam ſatis diſpoſitum. Illa Chriſtianæ modeſtiæ memor, quaſi non læſa fuiſſet, ſed ipſa læſiſſet, petit veniam ab ægrotante, ſi fortè ei fuiſſet offendiculo. Mira res, ea mentis demiſsio adeò profundè hominis ægri pectus penetrauit, vt magnam ei vim lacrymarum extorſerit, viciſsimque tùm omnium offenſionum ſuarum, tùm maximè turpitudinis immeritò inflictæ, culpam ab ea deprecatus ſit. Cui Matrona & promptè annuit, & libenter ſe id præſtare aſſeruit, ſicque in mutuam gratiam, & veterem amicitiæ vſum rediêre, quo tamen in hac mortalitate diù frui non licuit. Nam æger ille paucis diebus interpoſitis hac luce

orbatus, in viuos agere desiit. Ternæ præterea factiones nostrorum opera inter viros natalium claritudine conspicuos, atque opibus, familiisque potentes, sedatæ, quarum exitus, vel longa iuris prosecutione quærendus esset, vel aduersarum partium non dubio exitio (quò res vergere videbatur) expectandus. Atque hoc magis Societatis nostræ nomen, in his partibus commendat, quod hostes ipsi, capitali discordia inter se disidentes, nec locum alium controuersiæ componendæ, quam Collegium nostrum sibi deligere, nec quicquam agere, nisi cum aliis haud infimi Ordinis ac fortunæ viris, ipso Collegii Rectore sequestro, voluêre. Non prætermittendum vnum memoratu dignum. Cùm quidam rem minus conuenientem à quodam Patrum nostrorum petiisset, nec obtinere potuisset, vertit preces in iurgia, & dictis nostrum cœpit petulantius incessere, quem non longè pòst, vltio diuina est subsecuta, nam mox vt à nostro digressus in ciuile hospitium se recepit, ab aduersario malè acceptus, propè lethali plaga sauciatus est. Ad tēpli supellectilem quod attinet, aucta est hoc anno ara maxima, imagine, & tabernaculo, cuius expensæ mille florenorum pretium excedunt, opus pro loci huius ratione satis augustum, & quod dolendum crebris conflagrationis periculis nimis expositum, ita enim habitamus, vt ab incendiis singulis diebus nobis metuendum sit.



MIS-

MISSIO ORSSAM, IN FInibus Lituaniæ versus Moschouiam.

DOctrina Christiana tradita, primo quidem concurrente sat multa plebe: sed quia illa est Græci ritus, à Popis suis admodum ignaris prohibita: nihilominus non pauci ad eam concurrebant. Dissidentium reconciliata paria quinque. Confessiones circa Festa Paschalia auditæ quingentæ, qui numerus in his partibus, Catholicis hic residentibus maximæ consolationi fuit, & nostris non est vsque adeò contemnendus, propterea quod omnes ferè incolæ sint ritus Græci, & Popos habeant ita duros, vt nullum VVladicam S. Ecclesiæ Romanæ vnitum, Superiorem agnoscere velint, atque illo vel maximè nomine, plebem imperitàm à ministeriis nostris abstrahãt. Non pauci multorum annorum onera conscientiæ déposuere: totius verò vitæ, partim ij qui nunquam aliàs confessi: partim qui hactenus malè, complures. Errantes ad fidem rectam reducti, & erroribus depositis Ecclesiæ Catholicæ aggregati, octo præcipui, exceptis vulgaribus & rudibus non paucis, qui schismate & alijs lapsibus abiectis, per pœnitentiæ Sac^tum Ecclesiæ Catholicæ reconciliati sunt. Cum viris nobilibus hæreticis, sæpè actum non sine fructu. Scrupuli n. inprimis ingentes, 9. circiter personis iniecti, ita vt de falsitate doctrinæ, quam hactenus profitebantur, dubitare grauiter cœperint, spemque bonã dederint, se de sua salute quærenda sedulò cogitaturos.

Singularis ad hæc amor hominibus noſtræ Societis apud eos, qui hucuſque inimici fuere, comparatus: factumque per Dei gratiam, vt non tantùm Catholici omnes, verumetiam Hæretici velint cum omni confidentia deinceps cum noſtris de rebus ſuæ conſcientiæ agere, & nil magis expetant, quàm vt Societas ibi domicilium ſuum figat. Matrimonia quæ contra Canones contracta erant, iterum iuxta decretum Concilii perfecta. Perſuaſum vni non poſtremæ alioquin notæ homini, vt mulierem, cum qua, viuente primo ipſius marito legitimo, ſecundas nuptias contraxerat, & aliquot annos habitauerat, ſuo viro reſtitueret. Libri hæretici è manibus quinque Catholicorum extorti, & iis primum declaratum, tales & legi & haberi non poſſe abſque peccato, & cenſura.

Accidêre & hæc memoratu digna in domo præcipui nobilis Caluiniani, qui vt ætate, ita autoritate, & alendo per id tempus Miniſtro hæretico, cæteros in hæreſi retinebat, quorum primum eſt; Sacrificium Miſſæ, ipſo præſente, nobiſcum orante, & SS. Euchariſtiam adorante, imò imperante, vt ſignum ære campano, quo ſubditi ſui conuenirent, daretur, in ædibus eius oblatum, confeſſiones auditæ domeſticorum, doctrina Chriſtiana explicata, aberrantes ad gremium Eccleſiæ reducti, quod ipſe ita accepit, vt paſsim coram aliis ſuæ farinæ hominibus admirans quereretur, opera Ieſuitarum, vt primùm, aiebat, in domum meam pedem intulêre, omnes mei recta ſentiunt, ſe duntaxat ſolo relicto. Sed neque ipſe fuit relictus, aſſerebat enim, cùm de purgatorio ageremus, ſibi iam

ignes

gnes purgatorios non adeò metuendos esse, eò quod cum nostro Patre sat purgatorii haberet; ita enim, dicebat, instat, vrget, premit, vt plurimum torquear. Alterum est. Contigit apud eundem ad mensam colloqui cum Ministro hæretico, qui aliunde hospes venerat, & cum nobili viro, insigni Caluinista. Minister quidem, iudicio ipsorum hæreticorum, qui tùm aderant, abundè confutatus est. Nobili verò vt audaci ori ad blasphemandum, diuinam vindictam Sacerdos comminatus est, quę & secuta erat. Cùm enim hæc inter cætera de tremendo Missæ sacrificio effutiret: quid aliud est vestra Missa, quam cento quidam è variis pannis diuersorum colorum a diuersis pontificibus contextus? Noster fidenter subdidit: Time heu miser, nè illicò à Deo plectaris, solemne enim est diuino Numini huiusmodi blasphemias actutum vindicare, tremens ille & voce titubante respondit, se misericordiæ diuinæ fidere, ad hæc noster: Misericors quidem Deus, iustum tamen se ostendit aduersus blasphemos, factum itaque, vt eo ipso die in morbum ita grauem incideret, vt de vita ipsius desperaretur, nec amplius conualuit, sed cùm semper grauius haberet, misereque tandem in hæresi vitam finiret, iustitia diuina in eo puniendo adeò enituit, vt post obitum ipsius passim vulgaretur, eum ob illam blasphemiam à Deo, morbo, & morte multatum. Sed illud iucundum : filia vndennis nobilissimæ cuiusdam Matronæ adhuc eo tempore hæreticæ, sciscitanti, quam fidem profiteri vellet, respondit, se non posse respondere, propterea quod à matre hæretica graue supplicium formi-

daret, tùm illa omnem polliceretur immunitatem, dummodo quod ſentiret ſyncerè fateretur. Mihi, inquit, ô Mater, ſola Catholica, Romanaque Religio placet, eamque ſolam Deo auſpice vbi mei iuris fuero, amplecti volo.

Ad quod Mater. Siccine me, patremque tuum defunctum deſeres? ecquid eſt, quod in Religione paterna maternaque diſpliceat? at illa, permulta equidem, illud tamen vel maximè, quod nec ieiunia vlla habeatis, imò illa ridenda proponatis, qui alioquin ſalubria ſunt vtrique homini, & peccata Sacramento confeſſionis minimè expietis. Magnum profectò momentum matri ad conuerſionem hoc reſponſum dedit, quæ poſtea etiam Catholicæ Eccleſiæ adiuncta eſt. Præterea domus cuiuſdam nobilis hic à malo genio, vt credimus, mirum in modum infeſtabatur, paterfamilias enim, modò verbis aſperis, modò verberibus affligebatur, & vox humanæ ſimilis, creberrimè audiebatur, ſpecies tamen nulla viſebatur. Inuitati eò noſtri, ſuaſerunt primum, & ipſi patrifamilias, & toti domui confeſſione expurgare animas, & fidei Catholicæ patremfamilias, hæreticus enim fuit, adhærere, quibus monitis hoſpes annuit, ingreſſi ergo noſtri locum infeſtari ſolitum (ſecluſa turba aulicorum, qui ante illos cum genio collocuti erant) orarunt, ſpiritum adiurarunt, ſed nihil omninò reſponſi acceperunt. Redierunt ſecundò eodem, totamque noctem in illo hypocauſto ſoli tranſegerunt. Verùm & tunc altum ſilentium fuit. Verum ab aliis genius ille interrogatus, quare cum Ieſuitis loqui noluiſſet? dixit.

Nil

Nil ſibi commercij cum eo genere hominum, cũ quo non tantùm loqui, ſed nec eodem in loco vnquam eſſe cuperet.

COLLEGIVM RIGENSE.

IN Collegio Rigenſi tredecim hoc anno verſati ſunt. Quod ad fructum pertinet animorum, quatuor millia, ſexcenti, nouem apud noſtros peccata per confeſſionem expiarunt: ſexcenti & quatuor tótius vitæ. Multi multis annis intermiſſam annuæ confeſſionis faciendæ conſuetudinem reuocarunt: eandem vt vndecim ſupra 100. tanquam inualidam renouarent, illecti. Ab adulterina viuendi licentiá receſſere duodeni, vno pauciores, à meretricia. A Lutherana æquè atque Caluiniana hæreſi traducti ad fidem Catholicam ſeptuageni, eorum vnus octogeſimo anno ætatis iam expleto. Quidam in aperto Religionis tramite vacillans, ad partes Euangelicas, vt ipſe aiebat, nonnihil iam propendens, conſcientia peccatorum pondere ab annis 18. collecto, exonerata, in fide longè certior, longèque firmior redditus eſt. Salutari X[i] Domini corpore muniuêre ſeſe tria millia, ſexaginta tres. Centum & 40. ſacro Matrimonij fœdere iuncti: ex quibus duo, quinquaginta annorum emenſi curriculum, poſt filiorum nepotumque procreationem, tandem Sacerdotalem adepti ſunt benedictionem, vnus ab aliena vxore, ad meditandum cum illa fugam ſolicitatus, detecto hoc conſilio & rationibus ſanis perceptis, quãto ocyus ab impio ꝓpoſito deſtitit.

Et

Et quod primas sibi vendicat, sacrosancto baptismatis lauacro mundati trecenti & octo. Excursum ad viciniora loca non raro, vicatimque rudi plebeculæ rudimenta fidei Christianæ explicita. Duo quoque Sacerdotes ad Moschicos penè terminos non sine maximis incommoditatibus penetrarunt, incolas Liuonicos visitando, & Catechesim edocendo, idque ipsorum studio effectum, vt plurimi trium maximè Sacramentorum, Baptismi, Eucharistiæ, & Matrimonii participes fierent. Nonnulli si quas sacris, vt ipsorum appellatione vtar, arboribus sacrificulorum opera victimas fecerant, iis veneficiisq; simul posthabitis, tantam Ethnicis superstitionibus intulêre stragem, vt illæ vix vnquam repullulaturæ sint. Quidam etiam certis verbis ad arcendos ab humanis corporibus & pecorum, morbos, certisque dimensionibus ad capitis dolores mitigandos vsi, nunc de supersedendo his omnibus secundum Christianam informationem satagunt. Quædam Virgo cupida è certis figuris cognoscere, quanto temporis interuallo vitæ stamen productura esset, liquidam ceram super aquam effudit, ausa quidem tantum facinus aggredi, sed inscitia magis ducta, quam scientia; vice ergo versa, illud imposterum emendandum esse intellexit. Rusticellus non minus forma q́uam ætate grauis, septuaginta videlicet annorum, innumerorum extremæ necessitati infantium baptismatis ritu, plurimis in locis occurrens, fluente quidem aqua eos rectè conspersit, sed sacro Dei verbo perperam prolato, inquiens; Accipe Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, laterem lauit.

auit. Hùc illùc ergo curſitatum, quæſitique illi, in quibus tàm ingens error commiſſus eſſet: quotquot autem parui magnique inuenti, iis pro errore veritas impertita, authorque tanti mali multo diuturnoque labore inſtructus eſt, nè iterum in tãtum erroris lapidem impingeret: alter enim illo aptior non reperiebatur, eo quod precandi formulam optimè teneret, quanquam & filii iam maturi idem addidicêre, idonei enim ad id neceſsitatis munus æque, magiſuè parente iudicati ſunt, qui etiam vna cum illo cæteriſque domeſticis prima vice cœleſti pabulo recreati. Centenarius quidam è Lotauica gente aſſerens Domino præſente, falſam eius fidem eſſe, Monachorum autem veram (ſic enim ruſticum vulgus auitam veritatem paſſim nominat) facilè poſtea ab illo vniuerſæ anteactæ vitæ peccata coram Sacerdote noſtro confitendi facultatem impetrat, qua habita occaſione præſtat tantùm, quantùm vetus memoria ſuggerit. Idem Dei beneficium in alterum decrepitum à diuina bonitate collatum eſt, ſed modo mirabiliori. Cùm enim hic in noſtrum Sacerdotem incidiſſet. interrogatus ab ipſo, quid cauſæ cur conſpectum eius formidaret, congreſſumque toties vitaret, reſpondit multis aſtantibus, ſe ad hoc à diabolico ſpiritu perculſum, ab eoque Ieſuitam potiſſimum fugere didiciſſe, modo autem cupere, maximè poſtquam infirmitatem, qua periculosè afflictabatur, euaſit: cupere, inquam, peccatorũ expiationem, quam conſecutus, poſtero die duorum milliarium itinere pedibus confecto, diuinum cõuiuiũ non ſine maxima aliorum admiratione cele-
bra-


brauit. Fratricida ob facinus in germano perpetratum, 16. annis templi ingressum non præsumpsit, sed à Sacerdote nostro deprehensus eidē culparum confessionē fecit, assignatamq; ab ipso satisfactionem satisfactione spontanea accumulauit, singulis totius anni feriis sextis inediæ loco panem duntaxat, aquamque sibi propositurus. Sacrificulus, de quo anno superiore, modò quidem secundò ad pœnitentiæ, sed primò ad Eucharistiæ mysterium vna cum vxore accessit, filiis ad Matrimonij benedictionem participandam adductis: rogatus nùm post vltimam vitæ rationem redditam superstitiosos ritus pristino more vsurpasset, nequaquam ait, paucosque iam restare, qui id adhuc factitent. Imitata est illum in salutari vtriusq; Sacramenti perceptione Matrona, sed aduersæ valetudinis flagello prius tacta, cùm aliàs sana ob epotum Lutheranicum venenum, diris se deuoueret, quàm Catholico Sacerdoti occulta animi scelerati sensa manifestaret. Publicam precationem, quam vxor pro mariti emendatione ex cōcione fundi postulabat, tanta in illo mutatio morum secuta est, vt bis prius animi maculas detersérit, quam semel Eucharistiæ Sacramentum obiret. Quendam à proposito enecandi sui aduersarij, quod quinqnennio in animo fouerat, pœnitētiæ vsurpatio auocauit. Miles morem Sacerdoti ipsum ad peccatorum manifestationem exhortanti non gerens, paulò pòst, adeò grauiter sauciatur, vt loquendi vsu priuatus, nè minimum quidem contritionis signum, quod ab illo idem Sacerdos diù multumque eliciebat, dare posset, sicque

que cum peccatorum ſarcina hinc ad aliam vitam migrauit. Alter miles quoque adeò blaſphemis tentationum machinationibus, cùm contra tremendum altaris Sacramentum, tùm contra Deiparam Virginem impetebatur, vt quandoque ſe à SS^mo^ Miſſæ Sacrificio ſubduceret, nè ſaltem denuò, ſi illi intereſſet, moleſto tentationis telo tangeretur, armis ergo ſacris à noſtro ſumptis, armatus abijt. Accedit ad hos tertius, qui templum ingreſſus, Eccleſiaſten ibi de pœnitentia verba facientem audiens, ita derepente ſe commoueri ſēſit, vt qui nè minimam quidem antea cogitationem de exomologeſi inſtituenda ſuſceperat, illa ſine vlla mora conſcientiæ ſordes, poſtquam Eccleſiaſtes dictioni finem impoſuiſſet, coram eodē cum ingēti dolore abſterſerit. Dùm à noſtro ſenſibus alienatus febricitans viſitatur, ita illis integrè reſtituitur, vt ſui nòn compos, mentem duntaxat antea minus ſanam, poſtea ſaniſſimam retulerit. Luſtralis aqua, nec non diuina precatio, diuinuſque in cerea effigie Agnus efficaciſſimè multiplicis morbi vehementiam maleficiorumq; virus repreſsit. Duci exercitus Lituanici in caſtris moranti fuêre à ſacris duo è noſtris, nec fruſtra. Multa etenim, de quibus ſupra, vtiliter exercita. Hoc tamen non omittendum. Duo grauiter in Societatem noſtram iniurioſi, ad meliorem illi affectum declarandum excitati. Idem in alio quoq; effectum, ſed ita, vt crimina ſua apud noſtrum accuſare, eique rem diuinam facienti adeſſe in poſterum ſtatuerit, cùm antea ſecus ſe facturum iuraſſet, tantoperè ab ordine noſtro alienus.

Ali-

Aliquoties noſtri publico ſupplicio afficiendos comitati ſunt, quibus pro modulo ſuo ad Chriſtianè occumbendum pro facinoribus ſuis, non modicum opitulati ſunt: id in vnius maximè morte ſingulariter eluxit, hic enim poſt detruncatum collum, eam in animis ipſorummet ſpectantium hæreticorum, opinionem reliquit, vt ex pœnæ loco ad ædes ſuas remeantes palàm faterentur, ipſum verè Chriſtiano more vitam, licet gladio, perdidiſſe, & longè felicius, quam facinoris ſocius, qui planè deſperabundus, idem ſupplicii genus ſubiit, fruſtra verbi adulterini conſolationem ingerente ſeductore, vt tamen illam de Catholici morte opinionem populo eriperet, ex ſuggeſtu in templo proclamauit, Sacerdotem noſtrum non cauiſſe, nè malefactor in mortis agone ſe Mariæ commendaret, ſed Deo Domino ſuo, ideò ſcilicet, quod noſter cum morituro inter cæteras ſacras precationes, Salutationem quoque Angelicam, & Salutationem, horarias preces legentibus familiarem recitauerit. Carcere detentis, lectoq; affixis ob morbi grauitatē diuina ſolatia præſtita, mortuis Eccleſiaſtica ſepultura, ſectariis frementib⁹. Et ſemel obſtaculum obiectaſſent tumultuarium, impetu in pij operis executores attentato, lapidumque grandine in ipſos proiecta, ni maturioris iudicii viri interceſsiſſent. Nihilominus Tribunuſplebis, conciuibus in domum ipſis communem concitis, ſat vehementer in inſigne miſericordiæ opus inuectus eſt, ſeuerèque cauit ſub pœna infamiæ, grauibuſq; mulctis, nè quis poſthac præſumat domum admittere Papiſtas, funeris deducendi cauſa. Sed ſuos terrere

rere potuit, non eos, quibus id pietatis opus incumbit. Ad ſacram templi ſupellectilem cùm alia multa ſunt addita, tùm præcipuè calix, qui non iam Lutheranicè vt olim, ſed Catholicè Miſſarum ſolemnia ineuntibus apprimè vſui eſſe poterit. Iſto concludam. Quidam inueteratus dierum malorum, genere & dignitate nobilis, ſed ob deſerta quondam Crucigerorum caſtra & auitam Religionem infamis, præſumpſerat viſitationem Eccleſiarum Curlandiæ, non vt à Lutheri ſordibus expurgaret, ſed quo vnicam ab ijſdem repurgatam, & à nobili, noſtrorum opera hiſce annis cum tota familia conuerſo, Sacerdoti Catholico deſtinatam, denuò contaminaret, non terretur, prędicit prius ipſum vita, quam Eccleſiam ſuam legitimo poſſeſſore, priuandum. Vaticinium fuiſſe, exitus probauit, iam ſe itineri impius ille commiſerat, vt conſtitutum facinus exequeretur. Ecce repente morbo corripitur, qui eum retraxit domum, & mox extinxit. Eundem non multò pòſt, alter eiuſdem propoſiti ſocius, nobilitate, dignitate, & odio erga Catholicos par, ſequitur, inopinata morte, dùm ſomnum capit, extinctus.



COLLEGIVM DERPA-tenſe.

QVAmuis bellum octo annorum cum Suecis, Collegium hoc Prouinciamque vniuerſam ad extremam deduxerit calamitatem: nihilominus duo Sacerdotes è noſtris, cum totidem Coadiutoribus, in magna omnium rerum egeſtate, ſtationem hanc nunquam deſeruerunt: tùm vt reliquijs Catholicorum in villis hinc inde latitantibus, & ſubinde ad nos recurrentibus, ſpiritualia ſubminiſtrent auxilia: tùm nè militem Polonum, qui in præſidio arcis & ciuitatis eſt, deſerant. Et quidem magno cum fructu iſtic manent, nam ſpatio iſtius anni, partim domi, partim in excurſionibus bis mille trecentorum confeſsiones exceperunt, ſacraq; Synaxi refecerunt. Viginti ſeptem ab hæreſi, & ſchiſmate Eccleſiæ adiunxerunt, concionibus, catecheſibus, alijſque miniſterijs ſtrenuè Eſtonicum populum militemque iuuerunt, illiſque inſtar parentum, in quam plurimis afflictionibus, & calamitatibus adfuerunt. Redditus autem Collegii tales ſunt, vt vbi olim quatuor millia florenorum colligebantur, nunc ægrè centum haberi poſsint, cùm nec ſeminare, nec metere liceat: neque Coloni in agris tutò manere poſsint; & ex ducentis Colonis, vix hoc tempore viginti, iique pauperrimi reperiantur. Vnde nec Scholæ haberi hic poſſunt, nec ruinæ Collegij reſtaurari, ſed omnes habitationes deſtructæ, col-

lapſæ.

lapſæque iam ſint, & duæ Eccleſiæ, quas olim habebamus, minantur ruinam. Dominus dignetur pro ſua miſericordia his noſtris ærumnis, finem imponere.





ANNVÆ LITTERÆ PROVINCIÆ VENETÆ SOCIETATIS IESV Anni 1608.



Vmerus Sociorum huius Prouinciæ fuit hoc anno trecentum & quadraginta nouem. Horum centum & viginti sunt Sacerdotes, centum & nouem Scholastici, qui partim addiscendis, partim tradendis litterarijs facultatibus dant operam, qui domestica peragunt ministeria, nouendecim supra centum. Domicilia vndecim. Et quidem Parmæ in Collegio D. Rocchi vixerunt sex & octoginta. Sacerdotes duodeuiginti; quorum duo Scholasticam Theologiam, vnus casus conscientiæ, tres Philosophiam, vnus Mathematicas docent. Humaniorum litterarum Doctores quatuor. Scholasticæ Theologiæ & Philosophiæ Auditores septem & quadraginta, Coadiutores septemdecim. In eadem ciuitate præsunt Collegio nobilium conuictorum sex, 4. de numero Sacerdotum, 2. Coadjutores. Placentiæ quinque & quadraginta, Sacerdotes tredecim, Magistri inferiores duo. Scholastici Rhetores septemdecim, tredecim Coadiutores. Bononiæ

niæ quinquaginta, Sacerdotes nouendecim, Magiſtri claſsium inferiorum tres, duodecim caſuum Auditores, tredecim Coadiutores. Mantuæ quadraginta, Sacerdotio inſigniti quatuordecim, Humaniorum literarũ Præceptores duo, Philoſophiæ Auditores duodecim, totidem Coadiutores. Ferrariæ item quadraginta, Sacerdotes viginti, Magiſtri humaniorum duo, reliqui Coadiutores. Nouellariæ triginta, Sacerdotes nouem, vnus ex Scholaſticis, reliqui Coadiutores. Mutinæ quinque & viginti, decem Sacerdotes, Præceptores humaniorum duo, reliqui Coadiutores. Foroliuij ſeptemdecim, octo Sacerdotes, Magiſtri duo, ſeptem Coadiutores. Imolæ quinque, Sacerdotes duo, Magiſter vn⁹, Coadiutores duo. Caſtelleonij noui Collegij iecerunt fundamenta quatuor in vniuerſum, Sacerdos vnus, Humaniorum litterarum Doctores duo, Coadiutor tẽporalis vnus. His addendus eſt R. P. Prouincialis cum Socio Sacerdote à ſecretis Prouinciam luſtrantes.

*D*efierunt viuere quatuordecim. Adlecti in Societatem noſtram decem. Sed hos cùm ob difficillima Prouinciæ tempora educare apud nos non poſſemus, in alias Prouincias ad tirocinium tranſmiſimus.

COLLEGIVM PARMENSE AD D.Rocchum.

Obijt P. Chriſtophorus à Sancto Georgio natione Belga: non ille quidem huic Prouinciæ, aut Collegio deſtinatus, ſed dùm

iuſſu R.P.N. Generalis Romæ nuper creatus Sacerdos, poſt abſoluta Theologiæ ſtudia rediret in Belgium, DEO in veriorem patriam illum vocante, Parmæ ſubſiſtere coactus eſt febris vehementia, donec lethali ſopore ad perniciosſam febrim accedente, ſparſo interim nobilium virtutum odore apud nos, vitam cum morte, Belgium cum cœlo commutauit. Iam ad viuos.

Noua Collegij ædificatio ſuperiore anno cœpta, eos habuit progreſſus, quos Ducis Sereniſsimi liberalitas habere voluit: qui ad aureos mille, quos ad inchoandum attribuerat, totidem hoc anno ad continuandum adiunxit. Itaque ſatis bona Collegij pars à fundamentis extructa, & cooperta eſt. Neque his contenta Ducis optimi, patriſque amantiſsimi benignitas, alia quoque noſtræ inopiæ ſubſidia idētidem ſuppeditare non deſtitit.

Egregiam Ducis liberalitatem imitata eſt liberalis primariæ fœminæ pietas, quæ aureos bis mille legitimi teſtamenti nobis obuenire voluit. Nec ſilentio prætereunda eſt cuiuſdam è noſtra Societate pia beneficentia, per quam aureos centum Collegio noſtro Parmenſi donauit.

Aucta ſacra ſupellex varijs, & quidem pretioſis ornamentis: in quibus principem iure locum obtinent oloſerica nuperrimè contexta periſtromata quatuor, opere non ſpecioſo minus, quam pretioſo, conueſtiendo ſacello maximo, cõparata ea ſunt ſtudio mulieris, quæ à multis iam annis ita noſtrorum commodis intenta eſt, vt de

nobis

nobis bene merendi nunquam finem faciat.

Federicus Tuccanus pictor inter Italos eximius, in hac vrbe clarissimorum pictorum operibus celebri, aliquod suæ artis & humanitatis monumentum relinquere cùm vellet, templum nostrum ad id sponte delegit, cuius in dextro sacello, aræ maximæ vicino, in ipso pariete, CHRISTVM DOMINVM humana, sed excelsa mensura columnæ alligatum, ac verberationi expositum; cruciatus ministrorum aliarumque personarum, imaginibus circum, ac supra comitantibus, aquatili pictura sic expressit, vt operis perfectione admirationem permagnam pari cum pietate coniunctam, in nostrorum atque externorum animis excitarit.

Congregationes quinque Beatæ Virginis non desinunt suos facere fructus. Pijs Beati Patris nostri commentationibus exculti aliquot.

COLLEGIVM PLACENtinum.

DVos amisimus, Sacerdotem alterum, alterum Rhetoricæ Studiosum, ille fuit Pater Horatius Marazzanius, nobili familia in hac vrbe natus, vixdum expleto tertio Probationis anno, post absoluta, non sine laude Philosophiæ ac Theologiæ studia, hùc missus erat valetudinis recuperandæ causa: & sanè visus erat recuperasse, sed nouo morbo occupatus, vitam coactus est relinquere, ante o-

bitum tamen voluit, quod iam non poterat opera sua aliqua saltem ex parte earum facultatum, quas ꝓpinquis relinquebat, nobis prodesse, legatis Collegio quingentis aureis nummis. Alter fuit Ioannes Antonius Ferrarius Brixia oriundus, bonæ spei Adolescens, sed breui consummatus ad eorum, quæ animo cōceperat, laborum præmia, vt speramus, suscipienda, volauit in cœlum. Sex variis religionibus dedere Scholæ nostræ, nobis duos. Cœpimus hoc anno primùm docere Christianam doctrinam in arce huius ciuitatis, magno bono præsidiariorum, magna Illustrissimi Præfecti approbatione: qui sicut militum suorum spirituali profectu admodum lætatur, ita nostrorum laboribus mirificè fauet. Cœpimus etiam Serenissimi Ducis voluntate, ire ad excipiendas confessiones eorum, qui carceribus detinētur, & ad eos iuuandos, qui perpetratorum facinorum publico supplicio dant pœnas. Ad id officij obstruxerant hucusque nobis aditum suspiciones nonnullorum, qui aliquid detrimenti suo cœtui accessurum putabāt, si vlli Religiosi homines admitterentur. Sed his initijs ampla se obtulit occasio, qua non modò nos non auersarentur, sed verò etiam industriam & patientiam nostram maximè commendarent. Erat quidam ex capite plectēdis, qui nescio qua euadendi spe concepta, vbi se morti adiudicatum sensit, iniquam sententiam vociferari, suam innocentiam grauissimis verbis testificari; Dei hominumque fidem implorare; Religiosis hominibus scrupulum inijcere, ni suam apud Principem causam tueantur; in-

innocentis sanguinis illos fore reos; nullius se sceleris conscientia conuictum, sed torturæ vltra modum doloribus intolerandis vi coactum ea, quæ nè quidem vnquam somniasset, esse confessum. Querelarum nullus erat finis: cibum, somnum, verba, consilia, preces, reprehensiones omnes reijcere, surdus ad omnia, tantùm illud clamare; se innocentem perire: velle se Ducem alloqui Serenissimum, à quo si vel semel exaudiretur, sciret se continuò liberandum. Nemo erat in tota ciuitate ex plebe, ex nobilibus, ex religiosis, ex Clericis sæcularibus, qui veteratoris animum vel leuissimè posset mouere. Nostri etiam, quid amplius facerent ignari, tres ipsos dies irrito se labore fatigauerant. Fiebant publicè, priuatim orationes pro eo; sed, vt tunc quidem apparebat, frustra. Datus iam erat feralis tertius pulsus, & Socius iam ex infelici arbore suspensus pendebat in foro, nec misero iamiam extrahendo illuxerat adhuc vlla lux salutaris pœnitentiæ, incredibilis erat omnium admiratio & expectatio, deducitur ad patibulum: iam collum perditus in laqueum inseruerat; iam scalas ascenderat; imminebat à lictore sola deturbatio, sed noster interiecto brachio retinebat. Illud videlicet vltimum experitur. Perditissime hominum, inquit, Iuda ipso proditore sceleratior, qui neque Deum reuereris, neque tuam curas salutem: ecquid effugium hinc circumspicis? estnè adhuc obstinatus in spe viuendi animus? vis ergo vno temporis puncto & animi & corporis naufragium facere? ter tantùm Sanctissimum Iesu nomen pronũciabo, tùm te deseram

Hic demum hiſcente barathro exterritus reſiliuit. Ah Pater, opitulare, ſeruemus animum. Dempto laqueo, ſic enim ab Duce iuſſum erat, deſcenditur, ſummotiſque turbis inibi exomologeſis horaria peragitur, inde ijſdem planè gradibus in cœlum volauit, quibus ad inferos deſcendiſſet. Iam quantum laudis & exiſtimationis noſtrorum induſtriæ acceſſerit ex hoc facto, vel ex eo colligere licet, quod inpoſterum aditus nobis ad carceres non ſolùm facilis fuit, ſed vltrò etiam ab ijs ipſis creberrimè inuitamur, qui alio nos tempore & prohibebāt, & tantùm non expellebant. Adiutum eſt Collegium non leuibus eleemoſynis.

Pia, eademque nobilis fœmina Lichnuchum argenteum ſacratiſsimæ Euchariſtiæ illuminandæ dono dedit. Quidam ex noſtris centum & quinquaginta aureis rem librariam auxit, idem Collegio quadraginta alios attribuit. Eundem imitatus alius patria Placentinus, ſua, & matris liberalitate ad domeſticam difficultatem ſubleuandam, centum aureos elargitus eſt. Mercator moriens ſexaginta legauit, pia fœmina paulò antequam decederet, triginta numerauit.

Facturum me operæ pretium puto, ſi ad finem literarum huius Collegij pauca quædam adſcripſero, de præclaris eximiarum virtutum exemplis, quæ nobilem Matronam Placentinam & hominibus ſuſpiciendam, & DEO cariſsimam

mam reddidere: tùm quia hæc à teneris annis ad extremum vſque vitæ, noſtrorum inſtitutionibus exculta, noſtræ fructus aliquis diſciplinæ ſpiritualis, non immeritò cenſeri poteſt: tùm quia non modica ad diuinæ gloriæ amplificationem profuturum eſſe videtur, ſi illuſtria hæc virtutum lumina non abſcondita ſub modio ignorationis, craſſis ſilentij tenebris inuoluta lateant: ſed in medium prolata ſuper candelabrum ſtatuantur, vt luceant ijs, qui in Domo DEI domino ſuo placere volunt, & viri à fœminis quoque veræ pietatis & Religionis exempla ſumere non dedignentur.

Hæc Lucretia nomine, Philippo Alciato Placentino nata, & nobiliſſimo viro Comiti Horatio Scotto matrimonio iuncta, ad eum perfectionis gradum peruenit, quem ea, quæ mox dicam, declarabunt. Ac primum locum ea obtinet virtus, quæ Chriſtianæ ſanctitatis eſt fundamentum, adeò de ſe ſubmiſsè & humiliter ſentiebat, vt nihili ſeipſam faceret; neque hoc verbis declarabat ſolùm, ſed multò magis, cùm dabatur facultas, etiam factis: etenim cùm ab alijs ſe parui pendi & contemni percipiebat, mirè lætabatur. Vt autem faciliori animo in hac virtute maiores quotidiè faceret progreſſus, domum ſuam humilitatis palæſtram quandam ſibi conſtituit. Hic illa à Socijs & famulis errata ſua libenter audire; hic terram cæteris ſpectantibus lingere; è ſolo, veluti è pulcherrimè ſtrata menſa,

cibum

cibum capere;ancillarum pedes deoſculari, ablu-ere, earum lectos ſternere, calefacere; ab ijſdem veniam precari: quæ Dominæ ſuæ faciem ſputis iuſſæ fœdebant quidem,ſed non prius, quam ora ſua rubore notata,vel inuitæ,lachrymis conſpergerent. In Noſodochio infirmas mulieres benignis verbis ſolari,inſeruire,cibos miniſtrare,earum & egeſtatem beneficentia leuare, & putridis vlceribus oſcula infigere, & cochleare, quo illæ inter edendum vtebantur, in os ſuum inferre. Venio ad patientiam, vbi ab infantia exceſsit, reliquum vitæ tempus grauium ſemper curarum & moleſtiarum plenum habuit: infracto tamen animo, eodemque ſemper vultu, non ſine magna tùm domeſticorum, tùm externorum admiratione. Vir certè eius,quo cum ſexdecim totos annos Matrimonio coniuncta fuit, ſe ab ea nulla vel minima quidem moleſtia toto eo tempore affectum vnquam fuiſſe conſtanter aſſeuerat, teſtatur quoque,ſe nunquam in illa vel leuiſsimum commotæ mentis ſignum deprehendiſſe:cùm tamen in ampla domo, omnium ipſa rerum adminiſtrationem haberet, neque raro ſuborirentur turbarum & iurgiorum occaſiones illæ, quas in magna familia neceſſarium eſt eſſe frequentiſsimas.Nihil tàm durum erat,aut tàm difficile,quod pro Chriſto non libentiſſimè vel agere, vel pati deſideraret. Quæ cauſa fuit, cur a Deo ſummis precibus contenderit, vt ſibi dolorem aliquem, diuini amoris gratia perferendum concederet. Voti compos facta eſt, eneruari ſiquidem & grauiter affligtari ſe,& animo linqui;& modò ſibi cor quaſi

quaſi quibuſdam clauis transfigi ; modò veluti forcipe comprimi; interdum caput quoque tamquam veprium aculeis redimitum transfodi ſentiebat.

His illa cruciatibus non vnius vel paucorum dierum, ſed multorum menſium ſpatio, aſſiduè læta fronte, torquebatur. Extremo vitæ anno quindecim totos dies ſanguinem euomuit tanto cum cruciatu, vt perſæpè vna cum ſanguine emiſſura etiam animam videretur. Neque tamen hic laborum eius ac dolorum finis, ſed quò ad brauium ſupernæ vocationis propius accedebat, hoc plures, grauiores & acerbiores à Deo dolores perferendi afferebantur. Hos tamen illa ſic patiebatur, vt nè domeſtici quidem perſentiſcerent: ſatis habens, vni eos, præter Deum, notos eſſe confeſſario: cui quidem teſtata eſt ipſa, partus dolores, quos experta eſſet octies, cùm hiſce extremis minimè comparari poſſe. Dùm firmioribus viribus vſa eſt, addebat inſuper voluntarias flagellationes, ieiunia, cilicia, & alia id genus, in quibus frœno ſemper, calcaribus nunquam opus habuit. Ad hæc pietatis officia alias nobiles fœminas hortabatur, & pertraxit multas in ſui imitationẽ: quare inſtituta eſt, ea impellente, congregatio nobilium matronarum, quæ ieiunijs, orationibus, voluntarijs corporis afflictationibus, maiores in profectione progreſſus indies facere ſummo ſtudio cõtendunt. Miro caſtitatis amore capiebatur: & quoniam lege Matrimonij ſe tanto bono ſpoliarat, pro viribus eam, ſeruato tamen mariti iure, coluit diligentiſſimè: tùm maximè, cùm vir ipſius

pro

pro Sereniſſimo Duce noſtro apud Hiſpaniarum
Regem legatione fungeretur, quo tempore Deo
ſe gratiſſimum facturam credés, caſtitatem ſuam
voti religione non tàm munitam, quam exorna-
tam dicauit, vſque ad viri reditum, cupiebat in
perpetuum, ſed quoniam vterque adhuc ætate
florebat, ac nè latum quidem vnguem iura Ma-
trimonij violare, vel in hac re coniugi quicquam
afferre moleſtiæ volebat: hanc prudens inijt ra-
tionem, facit maritum conſilij ſui participem, &
quidem hoc modo. Suadet ei, vt à primo die poſt
reditum ſuum ad primum vſque Chriſti proxi-
mè venturum diem Natalem, caſtitatem mutuo
conſenſu colát, annuit ille maxima volũtate: tùm
illa eundem ab eo die ad ſequentia Chriſti vel B.
V. ſolennia ad idem cohortatur, nec fruſtra, quod
ſæpius ſingulis annis ad extremum vſque vitæ ſuæ
diem præſtitit. Vota quoque paupertatis & o-
bedientiæ, quæ talem fœminam decerent, & e-
miſit, & ſæpius quot annis renouauit. Pauperum
inopiam ſua liberalitate ſuſtentare conſueuerat,
nomina, nè laberentur ex memoria, apud ſe de-
ſcripta habebat in libello; nec nomina ſolùm, ſed
& tempus, & quid cuique tribuere ſoleret. No-
bis viuentis perſpecta fuit beneuolentia pariter
& beneficentia, & moriens quadringentos au-
reos nummos legauit. Ad hæc vel agenda, vel per-
ferenda vires è cœlo trahebat frequentiſſimè: ſi-
quidem ſingulis diebus manè horariam preca-
tionem, & veſperi quoque perſoluebat, quo tem-
pore ea ſpiritus dulcedine cœleſti Patri iungeba-
tur, vt diem totum in recordatione tantæ ſuaui-
tatis

tatis, & rerum earum, quas orans mente pertractauerat, insumeret. Ter qualibet hebdomada ad sacram cœlestis conuiuij mensam accumbebat. Hinc ille tàm frequens in eius collocutionibus de diuino amore sermo erumpebat, nec solis verbis contenta miræ semper sollertiæ fuit in solicitandis proximis cuiusque generis, tùm maximè inter se diffidentibus, ac meretricibus à diaboli ad Christi Domini obsequium traducendis. suisset libenter ad ipsum lupanar ad perditas huiuscemodi mulieres è cœno extrahendas, nisi ætate (alterum enim & trigesimum ætatis annum moriens explebat) prohibita fuisset, quas tamen poterat, ad nostrum templum deducendas curabat: quo in loco ad virtutis lucem aspiciendam omni suo conatu impellebat. Nec irriti sanè conatus; qui vti cæteris erant perutiles, ita ipsam summo gaudio cumulabát: quippe quæ vt alicuius saluti opem ferre posset, ac prohibere nè diuinam Numen à quoquam violaretur, purgatorij loci pænas, immò inferorum quoque libenti animo perpeti se paratam esse sæpius affirmauit.

Accessit tandem tempus illud optatissimum, quo de imminéti morte certior facta est, ad hanc illa denunciationem immensis Deo gratiis actis, rebus omnibus, amicis etiam, & filiis quoque sibi carissimis nuncium remisit; quos omnes etiam aditu cubiculi prohiberi voluit, vna vni Deo vacatura. Per hos dies aliquem è nostris diu, noctuq; sibi assidere voluit, cum quo suauissima de reb9 diuinis colloquia misceret, creberrimæ illi erant in ore breues illæ orationes, quas iaculatorias vocát, è diui-

è diuina Scriptura depromptæ, præsertim ex ſacra Regij vatis pſalmographia, ea maximè verba vſurpabat ſuauiſſimè. Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, eoque libentius vſurpabat, quòd illis B. Aloyſium noſtrum tali tempore vſum eſſe cognouerat; cuius felici patrocinio tunc ſummoperè gloriabatur, cuiuſque ſempiternæ felicitatis, ope diuina, mox ſe conſortem futuram ſperabat. Adeò cœleſti fiducia pectus roborauerat ſibi ſpectatiſſima fœmina, vt mortem non timeret; ſed laceſſeret; ſæpiuſque diceret: maturemus, maturemus mortem, vt igitur optatam mortem expeditiori & alacriori animo exciperet, quatuor circiter horis antequam fato fungeretur, humi ſe collocari iubet, ac rogat, obſtitit tàm piæ voluntati vir cum domeſticis, timentes nè corpus ita debilitatum nimis affligeretur, vicit tandem precibus & conſtantia vt deponeretur, ſed ad breue tempus; inuitam enim & reluctátem in lectum tranſferri iuſſit confeſſarius: Ad vocem obedientiæ, quam ipſa tanti faciebat, ſtatim, ac libenti animo obtemperat, nullum amplius de hac re verbum proferre auſa. Mox Deo in beatam illam viuentium terrã vocãte, viuere deſijt nobis, vt cœlo & cœlitibus feliciſsimè & perenniter viueret.



COL-

COLLEGIVM BONONIENSE.

Abſtulit hoc anno mors Collegio Bononienſi duos optimos operarios: dignos illos quidem, vt eorum memoria non in Collegio ſolùm hoc, in quo ſuis ſe virtutibus celebres fecerant, ſed in alijs etiam ritè colatur, vterque è Sacerdotum Ordine, vterque ſpiritualis Coadiutor, vterque ſenex, vterque diuturnus incola Collegij huius, vterque magna cum ſanctitatis, apud ſæculares præſertim, opinione deceſsit. Prior fuit P. Lactantius Carduccius Vrbinas, hic annorum ſex ſupra ſeptuaginta ad vltimum penè vitæ halitum conſuetas ſuas confeſsionum audiendarum exercitationes continuauit: neque enim admiſit vnquam poteſtatem, quam non raro fecerāt illi ſuperiores, vt ceſſaret à laboribus. Aſciuerat illum noſtris Beatus P. Ignatius anno Dominicæ ſalutis 1550. non multoque pòſt miſerat hùc cum primis illis, quos ad Collegij huius inſtitutionem delegerat; vbi ille poſtea, nunquam ſtatione decedens, quinquaginta & vnum annos perſeuerauit. Omnia domeſtica munera obiuit. Grammaticam prius docuit; poſt egit Procuratorem, Miniſtrum, Prorectorem pluries, confeſſarium indefeſſum ſemper; quæ munera ijs præſertim temporibus obiuit, quibus noſtri in maxima paupertate, rerumque omnium neceſſariarum caritate viuebant: quodque in eo homine præcipuum elucebat, erat humili-

militas illa ſingularis; qua homo,cuius induſtriæ & laboribus magna ex parte Collegij fundatio debebatur,ſemper ita ſe geſsit, ac ſi heri, vel nudiuſtertius Societatem eſſet ingreſſus. Nihil vnquam ſibi arrogauit, nunquam ſe immiſcuit ijs negotijs,quæ ad Collegij regimen ſpectabant:neque verò de ijs ſermones habuit vnquam; niſi ſi quando ſuperioris locum tenere contingeret: ea elapſa occaſione, minimum quemlibet è grege dixiſſes. De paupertate, vt cætera ſileam, illud tãtùm attingo: moriens in cubiculo nihil reliquit, præter vnicum Breuiarium, & roſarium, quibus Dei laudes percurrere ſolebat, neque verò ei fuiſſet difficile plurima congregare, qui tot annos præcipuam liberaliſsimæ ciuitatis nobilitatem per confeſsiones audiuerat,cibo, potu que nihil à cæteris delicatiore vſus eſt ſemper, etiam vltimis vitæ ſuæ annis, quibus ſenectaipſa, de more, non paucas,neque modicas ægritudines ſecum aduexerat.

Alteri P. Antonio Tannetto nomen fuit. Tridenti natus anno Chriſti 1545. vixit ad ſummum tres & ſexaginta: quorum octo & quadraginta totos in hoc Collegio. Homo fuit valde deditus orationi, cui totum illud tempus dicauit ſemper, quod à reliquis occupationibus vacuum erat. Oſtendit Deus in eo,quanti valoris ſit ad maxima peragenda aſſotiata reliquis virtutibus columbina ſimplicitas: etſi enim in P. Antonio non deſiderauimus ſerpẽtis prudentiam, mirum tamen dictu eſt, quantum in eo eluceret ſimplicitas,nulla arte, nullo fuco circumueſtita. Hac ille

diui-

diuites, alioqui natura parcos, aggreſſus ad magnas eleemoſynas inducebat;hac homines vitæ ꝑfligatioris ad meliorem frugem redigebat: hac luſoribus aleas, impuribus amatoribus concubinas,aliis peccandi occaſiones ſubtrahebat: hac ab obſtinatiſſimis,maximèque exaſperatis hominibus pacem, & cum hoſte reconciliationem exprimebat: nec contentus ſolùm prodeſſe ciuibus, animum etiam applicabat ad iuuenes illos, qui huc ad celebrem Academiam ſtudiornm cauſa, ex vuiuerſa ferè Europa ventitare conſueuerunt, cum his quid profecerit,docent exempla multorum, qui non modò deſtiterunt à procaci & immodeſta illa viuendi ratione, qua iuuenili calore feruens ætas procul à parentum oculis, ſuæq; credita libertati,in ſumma licentia,in peſtilenti perditorum ſociorum conſuetudine,in petulantem improbitatem declinare ſolet; ſed optimi etiam vitæ generis æmulatores effecti, alij ad Cappucinos,alij ad noſtros, alij ad alias Religioſorum familias acceſſerunt; dignos in ijs pœnitentiæ fructus facturi, & multis etiam facem ad Chriſtianam perfectionem prælaturi. Mitto eos, quos ab hæreſibus ad rectam Catholicæ Eccleſiæ de diuinis rebus ſententiam pertraxit, quoſque nutantes, & tantùm non cadentes ſuſtinuit,roborauit,confirmauit. Et non erat, vt antea diximus, homini magna doctrinæ ſupellex, non magna dicendi facultas;ſed ingens diuinæ gloriæ amplificandæ deſiderium,Zelus animarum inexplebilis,maxima in diuina re procuranda ſedulitas. Fuit,quod eius mortem lugerent familiæ plurimæ, quas ipſe in-

tegras, corrogatis hinc inde eleemosynis susten-tabat, quorum nubiles puellas, dote cassas, & illocabiles, periculis amittendæ pudicitiæ subtra-ctas, aut monasterijs, aut maritis inuenta dote cō-mendabat. His, & alijs vero Societatis operario dignis occupationibus intentum hominem occupauit mors, non illi quidem inexpectata, aut ingrata, sæpè enim per eos dies, quibus grauiorib⁹ morbi incommodis lectulo defigebatur, medicum rogabat, vt mortis nuncium sibi optatissimū afferret aliquandò. Habuit triduum antequam decederet: quod tempus, purgato prius per generalem confessionem animo, veniaque à socijs omnibus suppliciter expetita, postea sibi soli Deoque intentus, totum deinceps orationi ad extremum vsque halitum dedicauit. Magnam reliquit apud omnes de se sanctitatis opinionem, qua re cum postridie nos delato in Ecclesiam cadauere, iustisque de more persolutis, illud essemus terræ mandaturi, ecce tibi Sodales Doctrinæ Christianę, grex virorum honestissimorum, qui eidem tanquam parenti suo carissimo, iterum parentare voluerunt.

Florent Scholæ numero, nobilitate, pietate, ex Scholasticis, triginta sese Deo dedicarunt, quidam in nostra Societate, alij in alijs religionibus. Visitabant nostri per dies festos Ecclesias illas, in quibus Christianæ fidei Catechismus explicari solet, deprehendunt in his magnum numerum puerorum & puellarum, qui cùm ad legitimam ætatem peruenissent; nondum tamen, siue parentum negligentia, siue incuria parochorum, cœle-

cœlestis pabuli participes erant effecti, hos omnes duobus in locis, pueros separatim à puellis, vnus è nostris erudiendos sibi suscepit circa ea, quæ spectant ad diuini illius Sacramenti dignam susceptionem, id cùm sæpius fecisset, vbi satis instructi visi sunt, per generalem de tota vita confessionem expiati, ad dies aliquot se flagellis, cilicorum gestatione, ieiunijs, orationibus compararunt. Demum stata die conuenere omnes in templum nostrum; quadringentorum numerus fuit. Hic post breuem, sed tempori accomodatam orationem, sacrum fecit Reuerendissimus Prolegatus Pientinus Episcopus coram Illustrissimo Cardinali Iustiniano Legato, ijsque omnibus diuinas illas epulas distribuit. Actis demum Deo nouoq; hospiti gratiis, donati singuli singulis præmiis piorum virorum, Illustrissimi præsertim Legati, liberalitate comparatis. Horum magna pars adhuc frequentant Sacrosanctum conuiuium, octonis alii, alii quindenis diebus, non sine suo ingenti fructu & aliorum ædificatione.

Reconciliati cum Ecclesia Catholica hæretici quidam, quos variæ hùc occasiones adduxerant.

Adiuta sanctimonialium cœnobia confessionibus, concionibus. Duo singularia facta recésebo, ex quibus facilè licebit de reliquis facere coniecturam. In Monasterio earum, quæ ab impuris amoribus ad Christum conuolarunt, erat fœmina magni quondam nominis inter impudicas, quæque maxima olim fuerat pestilentis esca voluptatis. Hanc dùm adhuc nuncio libidinibus

remiſſo,in monaſterio probaretur ad religionem, procaces amaſii ſolicitauerant ita pertinaciter, vt Religionis illi tædium, & prioris vitæ deſiderium iniecerint non mediocre, aderat tempus profeſſionis; ſed miſera cœnobiticæ vitæ pertæſa,ad Ægyptiacas cæpas & allia ſuſpirabat: non illi Abbatiſſa,non moniales reliquæ ſaniora conſilia poterant perſuadere: perſtabat obſtinatiſsima in volũtate exeundi è clauſtris ad lupanar. Aduocãtur Vicarius Archiepiſcopi,Canonici non pauci,viri religioſi : ſed nimirum aſpis obturauerat aures ad vocem incantantium ſapienter. Dedit Deus virtutem verbis vnius è noſtris, qui per eos dies Eccleſiaſten agebat in eo cœnobio:motum eſt nonnihil duriſsimum illud cor; ſignificauit ſpe rare ſe, fore etiam, vt ſi contingeret, vt illi homini totius vitæ maculas, per confeſsionem aperiret, id efficeret fortè,quod ipſi tantoperè deſiderabant. Audiit eam noſter inuitatus ab Archiepiſcopo; & ita Deo duce, mutauit fœmina mentem, vt ſtatim à confeſsione Abbatiſſæ acciderit ad pedes; veniam peruicaciæ petierit; vltrò ſe ad emittenda vota paratiſsimam exhibuerit,id paulò pòſt in communi totius monaſterii conſeſſu genibus aduoluta ſanctimonialium,non ſine magna lachrymarum effuſione factitauit; & ſtatim Deo ſe per votorum publicam emiſsionem mancipauit. Venerat alius ad quoddam monaſterium,ſacram ibi cõcionem ad cœnobitidas habiturus, interim dùm illæ congregantur, ſecedit in ſacrum veſtiarium: videt ibi calices,vela; veſtes Sacerdotales,omnes cum inſignibus gentilitiis appoſitis; interrogat

quid

quid rei esset: audit ex æditúo insignia esse gentilitia earum monialium, quarum industria instrumenta illa comparata essent, vel quarum intuitu donata monasterio : Hoc tamen non esse quid peculiare in sacra supellectili : in monasterio enim, aiebat, nihil est vasorum, nihil vestium, nihil quod paulo pretiosius sit, ad prophanos etiam vsus destinatum, quod eiusmodi notis cœlatis, sculptis, phrygionis acu pictis insignitum, non indicet, cuius sanctimonialis priuato sit vsui destinatum. Visa res est tùm sæcularem redolere vanitatem, tùm acerrimam religiosæ paupertatis inimicam proprietatem. In ipso concionis decursu, arrepta occasione grauiter increpat prophanam illam consuetudinem; monet quantoperè abhorrere ab illa debeant illæ, quæ se veras Dei famulas profiterentur. Non in irritum cecidere verba sapienter monentis; statim à concione, ex communi omnium consensu, aduocantur aurifices, & phrygiones, qui ex vniuerso tùm prophano, tùm sacro instrumento abominabiles illos characteres abraderent, delerent, auferrent.

Distat ab vrbe mille circiter passus Ptochotrophium, in quo quingentæ minimum puellæ, anus, mulieres, ætate, infirmitatibus & inopia miserabiles aluntur, est locus ipse angustus, & sine certo reditu: satisfit tamen vtcunq; præsenti corporis necessitati liberalibus piæ ciuitatis eleemosynis; sed quia hæ omnes ex infimis sordibus plebeiæ colluuiei extractæ, nihil aduexerant secum à loco natali pietatis, nihil Christianæ erudi-

ruditionis, miserabilem exhibebant inscitiæ faciem; erant, quæ nè ipsum quidem salutiferæ Crucis signum efformare scirent. Ad has, vt par est, erudiendas applicauit animum vnus è nostris: inuitat multas è præcipua nobilitate Matronas, adducit secum ad Ptochotropium; vicenas, tricenas, singulis erudiendas assignat: incipit ipse explicare Catechismum, & ad finem sermonem habere paræneticum, tanti facti sunt ad rem nouam concursus, per eos menses, quibus illùc diuertit, vt necesse fuerit, ad euitādam confusionem portas claudere, plurimosque excludere: & cum neque id satis esset remedij, intermittere publicam explicationem ad tempus: sed non intermisere Matronæ susceptam Prouinciam: confluunt toto anno ad viginti & triginta festis diebus, summaque cum alacritate munus illud exequuntur: immò etiam non raro, spirituali corporalem etiam eleemosynam addunt, allato prandio vel cœna.

Finio res huius Collegij gestas narratione casus cuiusdam, quo Deus Optimus Maximus visus est significare voluisse, quantoperè illi curæ sint ij homines, qui peculiari illum studio, & Beatissimam eius parentem in Collegiorum nostrorum Sodalitatibus colere consueuerunt. Quidam ex eo Sodalitio, cui à Serenissimis Iesu & Mariæ nominibus nomen est, quadam die adijt nostrum, qui præerat Sodalitio, rogat, vt sibi peculiaribus à Deo stimulis incitato consilium, opemque ferat ad insignem vitæ mutationem: hæc idē tidem repetens: ecquis scit, an mihi paulò pòst subitò,

bitò ac repentino mortis genere sit obeundum? veram eam esse diuini spiritus motionem indicabant lachrymæ, feruor, & verba ipsa, quibus illa dicebantur, tùm noster collaudata pia voluntate, peculiaria homini præscribit pietatis exercitaméta: præcipuè vt frequentius confiteatur, & singulis festis diebus ad sacram Synaxin accedat, paret ille diligentissimè monitis ad duos menses circiter: ad quorum finem cum quodam die festo mane incolumis exisset è domo, sacro interfuit, communicauit, concionem audijt, peregrinorum visitato hospitali liberales singulis eleemosynas distribuit: mox pransurus domum redijt; sed ecce tibi conscensis scalis ante ianuam cōcidit, sedet in ea, quæ prima occurrit, sede, & in inuocatione nominum Iesu, & Mariæ, animā suo reddit Creatori. Mouit res, vt par fuit, non parum Sodalium animos, & ad perseuerantiam incitauit; quippe qui aperte viderunt ijs se seruire, qui clientes suos ex hac vita imparatos decedere non patiantur.



COLLEGIVM MANtuanum.


DVos ex hoc Collegio ad vitam præmisimus alteram. Sacerdotem vtrumque, vtrumque insignem Societatis operarium. Prior fuit P. Lælius Passionæus votorum 4. professus, annos natus quinquaginta sex, quorum quinque supra triginta peregerat in Societate laudabiliter. Rectoris in hoc & in Mutinensi Collegio munera obiuerat annos aliquot. Cætera vir magni exempli, fidei in Societatem non vulgaris. Illud in eo singulare fuit, quod nihil vnquam sibi singulare in victu aut quæsiuit ipse, aut sponte etiam à superioribus oblatum, admisit. Hunc secutus P. Franciscus Grana Tridentinus septuagenarius, relatus iam pridem in numerum spiritualium Coadiutorum. Verona, in qua ciuitate viginti quinque annos strenuè laborauerat, appulit hùc, cum Venetus ille turbo collegia omnia Venetæ ditionis disiecit. Sed non intermiserat hic consuetos labores suos, quorum semper fuerat patientissimus. Obijt quadragesimo anno, postquam fuerat in Societatem cooptatus.

Scholæ, & ex earum alumnis coacta B. V. Sodalitia florent vt cùm maximè, numero, & quod caput est, pietate Sodalium: argumento sint hæc pauca de pluribus selecta. Quidam publicè à coætaneo Adolescente tàm verbis contumeliosis, quam minis illiberaliter exceptus, non modò ad insani-

insanientis petulantiam commotus non est, verum etiam eadem hora confessario adito, exomologesi prius, mox cœlestis panis sumptione ad grauiora perferenda sese communijt. Octo ad varias abiere religiones, sæculo valere iusso, plures id habent in votis, re ipsa suo tempore præstituri. Duo nobis aggregati, Philosophiæ vnus, alter Rhetoricæ studiosus, spem præfert vterque non inutilis Societatis operarii. Profuit quibusdam sua in B. Parentem nostrum Ignatium, & in B. Aloysium Gonzagam pietas & religio: vnus enim quartana, alter longa & diuturna febre liberati, hic B. Aloysii, ille B. P. Ignatii precibus. Rusticus deploratæ iam valetudinis incolumitatem prius à B. Aloysio impetrauit; pòst calculum etiam, à quo miserè torquebatur, eiusdem eiecit intercesśione. Quidam propriæ matri & cæteris consanguineis, iure nè, an iniuria, inimicus factus, ob certiśsimum sibi interitum, qui ab ipsa vitæ authore, conductis ad eum trucidandum sicariis imminebat, patria, vxore, filiis, lare domestico suas res habere iuśsis, vagus, profugus, exspes errabat, menses iam aliquot, per varias Galliæ Cisalpinæ vrbes. Hic Mantuam tandem peruenit, vt in alicuius Principis aula ignotus omnibus delitesceret. Inuisit prius vnum è nostris antiqua sibi necesśitudine notum. Huic aperit fugæ suæ causas, consiliumque in quo fixus hærebat, nunquam in tota vita ad paternas ædes remeandi. Noster primò amice consolari, deinde aulæ pericula patefacere: tùm illi propter relictam vxorem & liberos iniicit religionem: videat diligenter, non licere sibi diutius abesse

abesse ab illis, quos & humanæ, & diuinæ leges ipsi voluerant esse commendatissimos; tentandam omni ratione reconciliationem cum parẽte, cum consanguineis, mouit hominem qua precibus, qua rationibus, & induxit, vt purgato prius per confessionem animo, Deoque reconciliatus, cum consanguineis etiam redire vellet in gratiam. Cũ Illustrissimus Ferdinandus Gonzaga Serenissimi Ducis filius Purpuratorum Patrum numero adscriptus esset, exceptus est à nobis in Collegio prius oratione, carminibus, prandio, mox in Gymnasio Dialogo, & aliis Scholasticis gratulationibus.

Inopia nostra, qua maximè Collegium hoc laborauit, subleuata nonnihil est piis beneuolorum amicorum eleemosynis: Illustrissimi præsertim Episcopi, qui cùm aliàs, tùm maximè eo tempore, quo periculosissimè laborauit, centum transmisis aureis, suæ nos voluit liberalitatis esse participes.



COL-

COLLEGIVM FERRARIENSE.

FAtis concessere duo è classe temporalium ministrorum. Sigismundus Bennatus, & Octauianus Palma, ille patria Ferrariensis è sexaginta octo annis, quos vixit in hoc mundo, triginta octo laudabilem Deo & Societati præstiterat operam. Hic Bononia oriundus multos vitæ, paucos religionis annos numerabat; alterum enim à quadragesimo vitæ, quartum penè religionis annum agebat, cùm à Deo vocatus abijt ad præmia eorum, quæ breui tempore, multa tamen & insignia ad Dei laudem fuerat operatus. Vir diuinæ gratiæ promerendæ apprime studiosus, imbecillis corpusculi vexationũ pœnitentiæ nomine subeundarum finem nullum faciebat; animi perturbationes, atque iræ præsertim motus omnes non abrasisse, vt plurimi, sed eradicasse penitus videbatur: intimam sui custodiam, & certa precandi spatia nunquam omisit; tantaque fuit in Deum & Superos omnes, Angelum præcipuè Custodem & Dei Matrem obseruantia, vt cæteris somno consopitis, ipse ad multam noctem euigilaret in preces, recitando inprimis B. V. officio. Nullum denique tempus vacuũ elabi sibi è manibus prudens salutis suæ negotiator permittebat; quin succedentibus sibi in orbem orationis & operę laboribus, eum semper vel animo in preces effusũ diuinaq; commẽtantem, vel corpore in officij sui partibus acriter obeundis

dis occupatum offendebat. Vitæ non fuit exitus dissimilis., nam in ipsa ægritudine magnis patientiæ & pietatis exemplis relictis, dùm Beatæ Virgini, quam ferè semper habebat in ore, supplici se illa voce: Ad te clamamus exules &c. commendaret, in Dei & Deiparæ beatissimos cōplexus, vti speramus, euolauit. Integra Collegio cuiusdam ædis possessio duorum millium solutione accessit. Sacra supellex aucta ostrino conopæo serico, quod trecentis aureis æstimatur. Scholæ prærer literarios, hos etiam pietatis fructus dedere. Octo diuersis religionibus dedicarūt sese, tres nostræ Societati. Horum vnus Philosophiæ cursum penè emensus, præclaris rerum gerendarum dotibus instructus; duo reliqui dicendi præceptis exculti. Amicum sibi & filijs suis conciliauit, vt credere par est, Beatus Societatis nostræ Parens Ignatius: nam dùm die, reliquis quidem operoso, nobis autem propter felicem eius in cœlos è terra emigrationem, celeberrimo, quidam è nostris in eius laudes acerrimè incumbit; ecce tibi quidam in omne nomen nostrum animo antea quam maximè infenso, casu pone templum nostrum prætergrediens, rei motus nouitate, subsistit; templum ingreditur, sancti parentis laudes audit vsque ad finem. Mutata illicò sententia, nos suspicere, nos amare incipit, & peracta concione, vt propensæ in nos voluntatis recens inductæ certum præberet indicium, adit Sacerdotem nostrum, quo spiritali medico, ad recuperandam animi sanitatem, lōgo iam tempore multis flagitiorum sceleribus profligatam, vteretur.

Quidam

Quidam non vulgaris doctrinæ vir ad Sacerdotis nostri pedes octauo quoque die accidebat, tātāque innocentis vitæ significationem præseferebat, vt salutari tantummodo redemptionis nostræ signo exornandus videretur, quò dignior cœlesti mensæ accumberet. Eam animi munditiem non sine vehementi admiratione suspiciebat Pater: verum congressus aliquandò extra sacrum tribunal cum homine, post multa incidunt in sermonem de peccatis venialibus: quem excipit vir, alioquin eruditus, hac constanti sententia: peccata venialia, neque confessione, neque contritione esse expianda. Hanc altera ex parte hæretico dogmati adhærentem opinionem vnico, eoq;, vt ipse putabat, firmissimo argumēto contra nostri oppugnationem tuebatur, quod eam didicisset ab Religioso, doctrina & virtute conspicuo. Admonet primum noster ea, qua par erat, modestia, vel non animaduersum, vel è memoria elapsum esse modum, quo huiusmodi doctrina fuerat exposita; tùm rationibus, & authoritatibus grauissimis errorem dedocere aggreditur, tantūque dicendo effecit, vt praua deposita opinione, nunc octauo quoque die integrum vel leuissimæ culpæ numerum, non sine doloris sensu recēseat.

DOMVS PROBATIONIS NOuellariæ.

Tres obiere Nouellariæ. Horum primus fuit Antonius Faustinus Salodianus è numero Coadiutorum tēporalium. Vixerat annos omnino tres & quadraginta, horum tres & viginti in Societate æditui ferè muneribus occupatus.

Obijt non sine insigni patientiæ & pietatis significatione, qua die fuit sepulturæ mandand⁹, aduenit energumena, cuius ore nequam spiritus cum magno stridore exclamabat, indignatus homuncionem verrendis templis destinatum, illuc tandem peruenisse, vnde ipse in perpetuum fuisset deturbatus. Illudque addebat; se ab eo torqueri, cogique dimittere quosdam è socijs suis. Interrogarunt quidam, quid ita perstreperet in obitu eius hominis, cum plurimis alijs vita functis, qui vita nihilominus probata extitissent, nihil omninò dixisset? quia, respondit, ita Deus iubet, qui me per hunc hominem, non per illos torquet, vultque constare apud homines hunc iam cœlesti gloria potiri. Interrogauit alius, quisnam præcipuè ex Beatorum choro astitisset, opemq; tulisset animam exhalaturo? Beatam Virginem respondit, & Ignatium Societatis Authorem. Angelum præterea eius custodiæ destinatum, ita postremis illis temporibus astitisse, vt non sit passus eum vlla in re à quoquam ex tentatoribus spiritibus agitari. His quamquam nihil fidei habendum esse videatur ob eam causam, quia eum Authorem habent, qui & Dei, & veritatis perduellis, non nisi falsa, & mendacia consueuit effutire: quia tamen & idem frater toto tempore valetudinis suæ valde se patientem ostendit, & mortem ipsam à diuina voluntate immissam hilari se animo libenter admittere præsetulit, fortè etiam credi posset, Deum, qui non rarò id aliàs fecit, nunc etiam mẽdaciorum architectũ vera proloqui coëgisse, cùm præsertim per eos dies paulò antequam decumberet

beret generale Iubileum à Sanctissimo D.N. Paulo Quinto concessum, ipse cum reliquis ritè suscepisset.

Alter fuit Aloysius Molinus patritius olim Venetus, cuius obitus magnas nobis spes, quas de illo non sine certis argumentis ceperamus, intercidit, quinquennium tantùm vixit inter nostros tirocinio, & Philosophiæ studijs occupatus, hoc tempore licet sibi tātum & Deo vacaret, ea tamen identidem signa erumpebant, quæ satis aperte significarent, quantam ille sibi solidarum virtutum ad magnam olim Societatis operarium futurum supellectilem congregaret, humilis, obediens, animarum Zelator si quis alius, regularum obseruantissimus, prudentiam & grauitatem sic affabili comitate condiebat, vt non facilè discerneres, an in eo magis senilem grauitatem reuereréris, an humanissimam amares morum consuetudinisque suauitatem. Tertius iam Philosophici curriculi labebatur annus, & ipse felicibus satis progressibus properabat ad metam, cùm ecce tibi lētam phthisim, quæ litterarium cursum & vitam abrupit. Hoc tempore patientissimus iuuenis, vitæ sibi finem in ipso ætatis flore conspicatus, erat enim annorum nouem & viginti, nihil commotus, perinde ac si de alio quopiam futura illa narrarentur, à sua se animi tranquillitate dimoueri passus non est, in omnibus diuino beneplacito se accommodans: immò iucundissimi accidebant illi sermones, qui de morte, deque futura post obitum beatitudine sererentur. Parmæ (illic enim cœperat ægrotare) vbi medicamenta nihil

proficere comperta sunt, missus est Nouellariam tentaturus, an hæc cœli mutatio, quod alijs, ipsi aliquid vtilitatis afferre posset; sed iam non illi sub cœlo, sed supra cœlum destinatus erat ad habitandum locus, quare paulò pòst quam hùc venerat, Deo vocante, placidissimam animam lætus efflauit.

Tertio nomen erat Paulo Baptistellio, patria Foroculiensi, homo hic fuit satis vtilis in Societate, cui magna sanè cum promptitudine & diligentia seruiuit annos viginti octo, varijs temporalium Coadiutorum exercitijs distentus. Deo demum ad laborum suorum præmia euocante, felici obitu transiuit, vt speramus, in cœlum victurus inter beatos quarto & sexagesimo anno postquam viuere cœperat inter homines.

Mulier quædam habebat duos pueros malis veneficarum artibus fascinatos: hæc accepta ab vno è nostris, cerea Agni benedicti imagine appēdit puerorum collis, præmissa quinquies oratione Dominica: & Deo dante vis omnis veneficorum expulsa abijt: iamque secundus erat mensis cùm hæc acciderant, & pueri adhuc ab omni morbo perseuerabant incolumes.

Missi sunt ex hac Domo duo Sacerdotes fructificatum in Parmensem Diœcesin. Consenserat hic puella fallacibus nequam amatoris persuasionibus: conuenerat cum eo de hora, loco, & ratione qua ab illo de patria domo furtiuè rapta alio deduceretur; & quod grauius erat, per summam imperitiam & simplicitatem, nihil sibi dedecoris, nihil pudicitiæ suæ detrimenti suspicabatur

batur; cùm præsertim vafer pudicitiæ hostis nihil nisi honestum & sanctum ab illa requisiturum se esse profiteretur. Indidit Deus eam mentem, vt priusquam statutum tempus adueniret, confluentibus ex toto pago vniuersis ad nostros gratia confitendi, puella consilium suum nostro patefaceret; à quo errorem & periculum suum edocta vidit quam minimum abfuerit à pręcipitio; mentem mutauit in melius; & re omni parentibus sapienter manifestata, obuiam itum est scandalis plurimis, quæ dœmonem ea occasione machinatum esse constabat. Puella nobilis, cui facies, & paupertas viam strauerant ad exitium, adiuta, vt postliminio rediret ad pudicitiam, frementibus licet & frendentibus impijs loco tuto collocata, vbi & anteactæ vitæ maculas pœnitentia deleat, & Deo se per religiosos mores reddat commendabiliorem. Familia hominibus & diuitijs abundans, carebat ea, quæ in sociali vita præstantissima est, pace & concordi conspiratione voluntatum, oderant se plures annos ad inuicem filij, parentes, nepotes, patrui odio plusquam vatiniano. Erat inter hos iuuenis ætate & viribus verox, quē antiqua odia, & iniuriæ nec modicæ, nec paucæ mirum dictu quantum exasperauerant in patruum Sacerdotem. Hunc de medio vt tolleret sæpè instigauerat malorum consiliarius dœmon; sed tamen Deo prohibente manus semper abstinuerāt à parricidio, veritus in homine sacram personam: non tamen consilium ita deposuerat, vt aliquando perfecturum se illud non arbitraretur. Concordiam inter hos & pacem conciliare conati e-

rant multi, sed semper frustra: non proderat Prĩcipum virorum authoritas interposita, non multa intentata Magistratuum, non concionatorum plurimorum voces, non denique Dei ipsius reuerentia, & Christianæ professio religionis, sed exasperatas olim in diuidendo patrimonio voluntates nouæ identidem rixæ, murmurationes, iniuriæ irritauerant, efferauerant ita, vt nullus vnquã illis finis imponi, nulla medicina salutaris reperiri posse videretur, reperit tandem diuina bonitas, magno illius bono, cùm illùc accessere nostri: secundo enim congressu planè composita sunt omnia, summa totius oppidi gratulatione, & approbatione. Missæ sunt de his omnibus gratulatoriæ literæ ad Illustrissimum Parmensem Episcopum à Curionibus, à Regulis, quorum oppida lustrabant nostri: gratiæ actæ illi luculentissimæ, quod eos homines tantorum bonorum Authores ad ipsos transmiserit. Et Dei fuit prouidentia singularis, vt eiusmodi literæ perferrentur ad ipsum Episcopum, etiam antequam nostri redirent ex agro: nam ille falsis maleuolorum calumnijs præoccupatus, duriorem se initio præbuerat nostris, & facultatem etiam absoluendi à casibus ipsi reseruatis, rogatus, disertissimis verbis pernegarat: postea autem vbi comprobauit euentus, falsas fuisse calumnias illas, mutata voluntate, & nostris in Parmensi Collegio commorantibus gratulabundus literas illas legendas misit, & redeuntes ex missione multo humanius quam antea exceptos collaudauit, & vero etiam gratias egit pro laboribus, quos in sua Diœcesi excolenda susceperant.

COL-

COLLEGIVM MVTI-nenſe.

COgor in omnibus domiciliis initium facere à funeribus; ſiquidem ex omnibus, ſi vnum aut alterum excipias, ſuum decerpſit mors hoc anno tributum. Mutinæ etiam, vt in alijs locis ; vnde tamen eum hominem ſuſtulit, quem minimè omnium nobis eripi voluiſſemus. Fuit is Rector Collegij P. Ludouicus Gagliardus quatuor votorum profeſſus; vir ob inſignem dicendi facultatem in tota Italia longè clariſsimus, in eo munere triginta, atque eò amplius annos ita verſatus eſt in præcipuis Italorum ciuitatibus, vt non modò nomen ſibi, verumetiam maximam Societati exiſtimationem compararit: nec tamen concionandi munera ita hominem totum abſorbebant, vt ab alijs etiam Societatis exercitationibus ceſſare cogeretur: quin potius ferè ſemper aut Rectoris, aut Præpoſiti, aut Prouincialis perſonam ſuſtinebat: immò hoc ipſo tempore, quo migrauit è vita, Proprouincialem agebat, profecto ad generalem congregationem eo, quem habebamus Prouinciæ totius moderatorem. Occupauit hominem mors repentina quidem; ſed non, vt credere libet, imparatum inexpectata. Tertius illuxerat ſacri verni ieiunij dies Dominicus, qua die bonus ſenex; annum enim agebat ſextum circiter & ſexageſimum, ſacris piè de more operatus, impertita noſtris Fratribus ſacra Euchariſtia, exceptiſque ad horas a-

liquot multorum in templo nostro confessionibus, dùm interest concioni vnius è nostris in maximo templo, in quo ipse anno superiore concionem felicissimè tenuerat, subitò quasi leni correptus somno, ita placidè animam efflat; vt socio qui assidebat, quique eum parumper quiescere existimauerat, non prius mortuus sit, quam post concionem excitatus ac pertractus sine sensu ac motu repertus fuerit cum stupore simul ac dolore frequentis concionis: Ducis præsertim Serenissimi qui præsens aderat: qui quidem per virum primarium dolorem suum de repentino obitu tanti viri sibi carissimi nobis testificatus est. Crescit ædificatio templi nostri indies magis magna cum vniuersæ ciuitatis approbatione suppeditantibus optimis ciuibus eleemosynas, vel etiam si non rogentur. Neque tamen interim destiterunt ab alijs eleemosynis, quæ hoc difficillimo Prouinciæ tempore, alenda magna Collegij familia admodum sunt necessariæ. Accessit ad sacrum instrumentum vestis, quam tum materia, tum opus facilè collocant in pretiosissimis. Coëmpta præterea domus futuræ Collegij ædificationi necessaria.

Exculti spiritalibus commentationibus multi, morum ac vitæ ex ea cultura insignis mutatio facta est. Curatū cum Serenissimo vt nephariorum conuentuum, talariumque ludorum pestifera conuenticula tollerentur, nulla domo, nè præpotentis quidem Dynastæ excepta: adeò vt cùm vir quidam primarius quanta maxima contentione egisset cum Serenissimo de retinendo im-

impune domi suæ perantiquo iure aleatorio, nullo pacto flectere potuerit, vt eius rei gratiam assensumque præberet. Factæ excursiones in vicinos pagos, quæ temporis breuitatem frugum vbertate compensarunt: adeò enim pagani permoti, vt ad pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramenta confluxerint pagi integri, etiam die festo non admodum solemni, quo quidem tempore choreæ & alia huiusmodi ad oblectandam, tenendamque plebem vsitata, siluerunt, & locum concioni, Christianæque Catechesi cesserunt.

COLLEGIVM FOROLIuiense.

VIta cessit P. Laurentius Brixianus Coadiutor spiritualis, effœta iam ætate: annos enim natus erat propè septuaginta sex. Vir summæ simplicitatis, humilitatis, modestiæ, obedientiæ, laboris indefessi, donec mente & integro iudicio stetit, in curanda salute proximorum, audiendis præsertim confessionibus & iuuandis ijs, qui cum morte confligtabantur. Natus erat Callarii in agro Ianuensi: adscriptus Societati Romæ à B. Parête nostro Ignatio Anno millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio. Illud in hoc homine dignum imitatione fuga maxima otij, postquam enim ob senectutem foris cœpit cessare, nullus fuit in Collegio nè Coadiutor quidem temporalis, in rebus domesticis operosior, quindecim totis annis extremis solus triclinij onus sustinuit, & instruxit

menſam & ſuper eam legit. Maximum in eo fuit ſtudium orationis, diceres illum ſemper orare. Sex horas in dies ſingulos meditabatur in rebus diuinis, præter ſacras horas, quas nunquam omiſit. Silentium ſuis temporibus ſeruauit exactiſſimè, licet grandæus, omnes ieiuniorum ſacros dies ad extremum vſque ſeruauit, primus quotidiè ſurgebat è lecto, nullius vſus opera excitatoris, ignem lecto nunquam adhibuit, nè tùm quidem, cùm frigoris aſperitas vel iunioribus nimia videretur; ipſe verò ad focum nunquam acceſſit, niſi paucis ante obitum menſibus. Funus hominis magna populi frequentia cohoneſtauit, & verò etiam fuerunt multi, qui à noſtris aliqua ex ijs quæ eius fuiſſent, ſtudioſiſſimè petierunt: tanta erat exiſtimatio eius ſanctitatis. Obijt Nono Calendas Februarias, eius loco profectus eſt ad Nouitiatum Adoleſcens optimæ ſpei.

Ad Oratorium ciuium, & Scholaſticorum Partheniorum cœtum, addita eſt tertia congregatio minorum Adoleſcentium. Deo illam cordi eſſe conijcimus ex incrementis: paulo enim poſtquam inſtituta eſt, octoginta Sodales numerabantur. Lites reſciſſæ noſtris ſuadentibus: odia ſublata: inimicitiæ, quæ frequentes exoriuntur in belligera ciuitate, Deo fautore, compoſitæ. Non procul aberat ab interitu congregatio quædam mulierum, quæ nomen habet à Charitate: horum munus eſt pauperum fœminarum inopiam ſubleuare. Hunc cœtum ferè, vt dixi, diſſolutum, & tantum non extinctum, noſtri Sacerdotis induſtria erexit, ſtabiliuit, auxit, ſuis legibus ſtare fecit,

cit, multarum Matronarum accessione maximè opportuna.

RESIDENTIA IMOlensis.

ORatorium piorum virorum annis superioribus institutum, hoc anno frequentia & pietate auctum, obtinuit à R.P.N. Generali, vt primariæ congregationi, quæ Romæ est, aggregaretur. Hanc suam aggregationem celebrarunt solemniter in templo nostro magna cum ciuitatis approbatione, & bono etiam Oratorij; multi enim ex ea re moti sunt, vt se illis etiam adscribi vellent. Annuus 40. aureorum census redemptus est, multum æris alieni sublatum, quod annis superiorib⁹, dùm templum ædificaremus, necessario fuerat contrahendum, tùm ex redditibus domus nostræ, tùm ex eleemosynis piorum amicorum plusquam ducẽtorum aureorum summam superantibus. Habemus liberalem sanè & amicam nobis ciuitatem, plura etiam daturam, si opes ipsi suppeterent ampliores. Tanta est ad confessionem frequentia, vt tàm diebus festis, quam ijs, qui festos dies proximè præcedunt, diluculum ferè matutinum cum nocturnis crepusculis coniungant duo, qui soli hic habitant Sacerdotes. Itum est ad eos iuuandos, qui criminum rei, pœnas capite luunt. Itum ad eos, qui in priuatis domibus animam erant exhalaturi; non sine fructu.

COLLEGIVM CASTELLEONI-ense inchoatum.

IActa ſunt hoc anno fundamenta noui Collegij in hac Prouincia Caſtelleonij in ipſa Patria B. Fratris nſtri Aloyſij Gonzagæ, res autem ſe habuit in eum; qui ſequitur modum. Rodulphus Frater B. Aloyſij is, cui B. ipſe Societatem noſtram amplexatus Marchionatum, & paternam hæreditatem renunciauit vniuerſam, tres filias poſt annos aliquot moriens reliquit, quia autem ditio, & oppida ipſa fœminis relinqui non poterant, Marchionatus quidem Illuſtriſſimo atque Excellentiſsimo Franciſco Fratri ceſſit, ſed dos digna tanti Principis filiabus, cùm nubere voluiſſent, tribus virginibus debebatur: prætulere ipſæ nuptijs caſtitatem, Chriſtum ſponſum æternum, ſponſis poſt aliquot annorum curricula morituris, ſtatuerunt ſequi exemplum optimi patrui, & relictis ſæcularibus pompis Deo ſeſe, Beatoque Patruo ſuo dedicare. Eligunt igitur ſibi priuatam domū, in qua cum alijs eiuſdem conſilij virginibus perfectioni nauarent operam diligentem, renunciant Patruo, cui reliquo ceſſerāt, maximam bonorum ſuorum partem, hac tamen lege, vt ipſis quantum ſatis eſſet ad victum aſsignaret, & præterea vnum in ipſo oppido noſtrorum Collegium fundaret; vnde ipſæ ſpiritalis vitæ documenta petere poſſet. Amplexatus eſt pius Princeps conditionem pro ſua erga Ordinem noſtrum, & Beatum Fratrem obſeruantia, ad id ipſum ſua ſponte ſatis animatus:

tus: & hoc anno, quo tandem res perfecta eſt, aſſignauit nobis pro futura Collegij fundatione prædium optimum octingentorum iugerum; ex quo redditus annui ducentorum ſupra mille aureorum colliguntur: & præterea in optimo toti⁹ oppidi loco domum coëmit & hortos ſatis amplos, vbi Collegium & Templum Beato Aloyſio dicatum poſsit ædificari. Interim curauit nobis à reipublicæ moderatoribus ædes nobiles, quas olim Principes ipſi incoluerant: & has in præſentia nos habitamus; poſſuntque in ijs ſatis commodè degere quindecim è Societate.

Quatuor tantùm in hiſce initijs illùc deſtinati. Sacerdos vnus: duo humaniorum literarum Doctores; & vnus, qui cæteris miniſtrat, temporalis Coadiutor. Apertæ Scholæ non ſine magna lætitia & approbatione oppidanorum, initia ſatis felicia fuerunt: ſpes etiam eſt, vt ex circumuicinis oppidis, quæ multa ſunt, & frequentia, & nobis amica, confluant multi, qui olim, cum Veneta nobis ditio non erat interdicta, plurimi Brixiam & Veronam conuolabant, vt noſtris ſe darent in diſciplinam.

Inſtitutum eſt Sodalitium B. Virginis, in quo diſcipuli Scholarum adſcripti, ad pietatẽ & Chriſtianos mores inſtituantur. Floret in hiſce initijs, numero, & pietate non pœnitenda. Facit pietas oppidanorum, & procliue ſatis ad pietatem ingenium, vt lætiſsimos fructus ſuo tempore ex hoc Sodalitio non temerè nobis diuina aſpirante aura, polliceamur. Inſtituta Chriſtiani Catechiſmi Schola feſtis diebus. Ad annuos illi redditus, quos Collegio

legio aſsignauit Illuſtriſsimus Fundator, aſsignaturas ſe præterea trecentos aureos nummos ſingulis annis promiſere tres illæ Virgines de ſuo. Atque hæc de Collegio Caſtelleonienſi, & de tota Prouincia Veneta.



LIT-



LITTERÆ ANNVÆ PROVINCIÆ BOETICÆ SOCIETATIS IESV Anni 1608.

DOMVS PROFESSA HISPALensis.



N Domo Hiſpalenſi vixêre hoc anno è noſtris ſeptuaginta, Sacerdotes viginti octo, qui circa domeſtica versãtur miniſteria, triginta. Reliqui nouitij, qui è Montellano tirocinio per vices ad nos experimenti cauſa, mittuntur. Vita functi è fratribus noſtris duo. Sex verò, qui locum eorũ petierunt, in Societatem adlecti. Bis igitur hoc anno Domus funeſta, duobus è Fratribus noſtris ex labore domeſtico ad quietem æternam, & præmium euocatis. Priori nomen, Ferdinando Ruiz: virtus eximia, demiſsionis præſertim religioſæ ſtudio, natura facilis, & commoda, quam gratia ſic diuinæ vocationis grata quadam ſuauitate temperauerat, facilè vt omnium tàm domeſticorum in ſe, quam externorum animos, affectuſque traheret. Operæ plurimum intentus, nunquam erat hominem otioſum videre, quin vtile

ſemper

ſemper aliquid ad communem domus vſum operaretur. Lignatum ibat vehiculo per mediam vrbis plateam, Sago tantùm Hiſpanico vili tectus, ac ſi infirmorum omnium hominum, infimus homo fuiſſet, idque menſes perpetuos complures.

Alter nomine Iacobus Fernandez, facilè ſuperiori illi par in cæteris omnibus, niſi quod ars illius fabrilis vtilis multum fuerit ad huius constructionem Domus, quæ quædam potiſsimum opera, tota exædificata eſt: animum illi perpetim tranquillum cum æquabili ſemper, & imperturbata quietudine, regularum ſtudioſum obſeruator, ſilentij inprimis, religioſa pietas ac deuotio erga Miſſæ ſacrificium, cui vnica voluptas erat, cum Feſtis ac Dominicis diebus à ſummo manè adVſque meridiem licebat miniſtrare, quod quidem ea faciebat lubentia, vt ad campos aliquandò, & animi recreationem cùm immitteretur, modeſtiſſima vteretur excuſatione, adſiſtendum ſibi eſſe ſacro. Campus videlicet omnis, & recreatio illi erat inter Angelos Dei Sanctos, Beatoſque ſpiritus in altaris miniſterio ſtudio indefeſſo verſari. Notabant guſtum quendam & animi ſenſum in hoc obſequio, externi homines templum noſtrũ frequentare ſoliti, vt vel hoc ſolo argumento hominem vti ſanctum quendam obſeruarent, cuius cùm periculum eſſet intellectum, quod morbo mortifero de vita ageretur, fuere qui clam, ſertũ eius precarium peterent à ſuperiore, vt illud velut relictũ à cœleſti quodam homine religioſè ſibi haberent. Magnus illi in Superos Dei Sanctos amor, in B. Virginem præcipuè, cui ſolicitus omni die

exi-

exitum suum, & mortis horam commendare solitus: nec irrita vota, nec vanæ preces; planè fuit illi mors ad omnium domesticorum exemplum: animus illi, vel ipso mortis nuncio, qui reliquos ferè perturbare solet, serenior, atque tranquillior, vt diceret, melius se eo contentum quam si mundi vniuersi thesauros obtinuisset. Exindè ad vltimum eius spiritum continua oratio, continua colloquia iam cum Sacratissima Virgine, iam cum Domino suo crucifixo, quorum vtrimque medius contemplabatur imagines, atque illud erat admirabile si quando ferebatur in Sacratiss. Trinitatis mysterium, quo sensu illud animi quo spiritus ardore confiteretur? mox inde reuersus ad præsidium suum dulce, Mariam Virginem, præcipuè hoc illi cõmendabat, quo benè beatèq; mori possit, atque ab hoste protegeret, & ita opus fuit; nam subitò quidem visus hostis adesse, & nescio quibus animum, vel intemperijs turbare, vel illecebris ad defectionem solicitare; sed nimirum mente ille solida quati non potuit. Iesu, inquit, bone, quid illud est? quid agis? ô proditor animarum, atque euersor Diabole? Egonè vt Iesum dulcissimum? egonè vt Virginis magnæ præsidium deseram? egonè tot annos studio religiõis insumptos, iam hoc vltimo vitæ momento perditum eam? age tu mihi frater, (ait infirmario) cedo mihi Christum meum iterumque crucifixum arctissimè cõplexus animam Deo reddidit; suæ mortis desiderio domesticis omnibus relictis. Hæc de mortuis tantùm.

Iuuentus, qui mentiri confessionem sacri-

legio ſolitus, plurimos annos ita frequentabat Sacerdotem, vt maxima quæque ſcelera prodere nō auderet, inuitatus hoc anno libertate iubilei Pōtificij, & opportunitate tàm opportuna, cætera quidem præſtitit ad indulgentiam propoſita, ſed ad confitendum cum ventum eſt, pudorem vincere non potuit, decreuitque ſcelera ſua confeſſario non aperire. Sed ecce popularis quiſpiam præcipua illi iunctus neceſsitudine; qui iam alicui ex noſtris confeſſus fuerat, occurrit, eique ex ordine narrat, quomodo Sacerdotem in Societate inueniſſet, cordatum Patrem, & medicum ſalutis. Fateor, inquit, ſæpè mea ſum confeſſus peccata, ſed numquam eo ſenſu, atque fructu. Profuit exemplum, ſimul cum oratione tàm opportuna miſero abijtque recta eum quæſiturus Sacerdotem, à quo benignè acceptus, addita fiducia, fructu eſt eodem à confeſſione regreſſus. Alteri cuipiam ſimili planè laboranti morbo profuiſſe videtur. Cum plurib⁹ annis viueret in peccatis grauiſsimis, ac planè deteſtandis, nihilominus tamen Magnæ Matris cultui plurimum erat addictus, recitans in illius honorem quotidiè neſcio quas preces, & ſanè non fruſtra; nam & ille, Virginis vt creditur interceſſione adiut⁹, ſimul exemplis bonorum, qui tanta frequentia, tantoque ſtudio ad propoſitum Iubileum concurrebant, ingenti pri⁹ animi motu ad pœnitudinem excitatus, etiamſi longius abeſſet à ciuitate, Hiſpalim tamen, non alia de cauſa, quam vt confiteretur, venit, adiutus duobus diebus & non amplius à Sacerdote noſtro, plurimas horas confeſſus eſt, ſed eo ſenſu animi

animi sui, vt nisi Virginis singulari patrocinio esset impetratum auxilium, credi homines nunquam posset: modo diuersa longe ratione, homine dignam Christiano, veroque pœnitentæ vitam instituit.

Ex optimis ciuibus ornatus quidam publico munere alapam ignominiæ plenam cuidam alteri inflixit, captum tenebat aduersarium, qui iniuriam acceperat, atque iniuriarum agebat, animo ad vindictam accenso, intercessit vnus è Sacerdotibus nostris cuius ille modestia victus, ita flexit animum vt libens quæ omnia precibus concederet. Liber è vinculis ire iussus eodem die aduersarius, nulla vel iniuriæ commemoratione facta, denique ea complexus est hominem charitate ob Christum, ac si nunquam antea offensus fuisset. Mulier à peste coniugalis amicitiæ susurrone quopiam domestico apud virum accusata de amorib⁹ adulterinis in suspicionem venerat; constitutum erat marito, decretumque vxorem interficere, idque certus referebat confessario, tantum vt, si vellet amatorem vxoris moneret. Implacabilis initio animus vix adduci potuit, vt moram concederet dùm cognosci veritas possit, paulò pòst vxore monita, & re perspecta, penitus exempta suspicio omnis ex animo viri, secura deinceps mulier vixit, cautior inposterum, suspicandi prorsus omni occasione remota. Matrona quædam molestè ferebat admodum, viri delitias & amores, nescio quid scortilli sordidi, domi & in oculis suis versari, vt eius causa multa pateretur à marito suo: factum industria Sacerdotis nostri, vt accepta dote nube-

nuberet honestè muliercula, ac facilè inter coniuges gratia comparata est.

Afri natione tres hoc anno, cum multa, quodam à religioso concionante per transennam audiuissent alibi, vt plura audirent, & in lucem venirent apertam, vocante eos, ducenteque Numine venerunt Hispalim. Ducti prius, vt oportuit ad Cardinalem Archiepiscopum Hispalensem, dein ab illo ad nostros missi, cum imbuti essēt perfidiæ Iudaicæ veneno, inuentus est Pater vnus Hebraicæ Linguæ tàm peritus vt commodè eos docere, & omnia à Principijs fidei Christianæ arcana explicare potuerit, dùm rogarent ipsi multa, respōderet vicissim Pater, ac veterem errorem conuinceret, Deus simul intus, & in animo ipsorum potentius agebat, denique conuersi planè, quod petierūt enixè, publico & solemni baptismo in summa æde Hispal. lustrati sunt. Archidiaconus Carmonensis è numero Sodalium domi nostræ, vir spectatæ religionis ac pietatis, qui magno huiusmodi opera, studio complecti solet, baptismi celebritatem curauit. Susceptores, seu patrini (quos vocamus) viri primarij nobiles, ornatus, vti par erat, loco temporique conueniens, musica vt esse solet Hispali, propè cœlestis, ad dictum spectaculum ciuitatis vniuersæ confertissima multitudine concursus, sed precipua fuit communis omnium, & verè Christiana lætitia cum baptismatis iam abluti fonte nouitij Christiani, sublatis in cœlum oculis, nunc immortales gratias Deo agerent, nunc versi ad congratulationes, magno (vt ex ore atq; oculis emicare videbatur) charitatis affectu, in mu

tuos

tuos amplexus ruerent, nec defuit bonorum liberalitas, primum ij, qui de salutaribus vndis eos in fidem suam protectionemque ritè susceperant cum digna nobilitate sua, & splendore munera contulissent, domi suæ complures dies liberaliter habuerunt, deinde Cardinalis Illustrissimus beneficentia, præfecti vrbis, atque deinceps aliorum eleemosyna liberali, ære per nostros ac D. Archidiaconum corrogato, ea summa collecta est, vt commode hic omnes vna viuant, cùm & ipsi fideles maneant, constantesque (quod certissimũ videtur esse diuinæ vocationis argumentum) manu sua dominante Deus atque opulenta gratia rem ipsorum promouet, ipsi vt primulis accensi facibus ardent, pietate & magno veterum Christianorum exemplo diuina Sacramenta frequentant.

Ad fructum porrò animarum, & lucrum quod attinet, quotidie maior fit accessio, crescente in annos singulos ad mensam Eucharisticam accedentium numero: vidimus altare primarium non sufficere multitudini, alterum additum est à latere in quo perinde vt in summo salutaris hostia populo administratur. Cùm infinita sit hîc prope turba seruorum qui ex Mauritania Sacramentis initiati Ecclesiæ, Dominis seruiunt Christianis, nè si negligerentur deficerent à recta fide & moribus probis, præfuit ex nostris Patrem vnum constituere qui festis, dominicisq; diebus, idonea ad eos exhortatione habita, moribus viuere doceat Christianis.

Congregationes & Sodalitia solito suo mo-

re & numero florent. In ijs Sacerdotum præ cæteris eminet; videre enim est viros primarios, & præ alijs graues, reliquis virtutum prælucere faces, vt manifeste notare liceat exemplo Sodalium totum proficere Ecclesiasticum Ordinem, moresque fieri quotidie meliores: noto iam vocabulo à Conceptione Virginis immaculatæ congregationi nomen. Ea solita quot annis, quo auocetur ab insolentia populus, magna celebritate multisque pietatis exercitiis Bachanales ferias in æde nostra, solemnes habere, hoc ipso anno visum est manifeste, siue sumptu Sodalium, & liberalitate in rem diuinam & ornatum templi, siue studio religionis accenso facile præteritos omnes annos superatos fuisse, exemplum late proficit, religiosa quadam & sancta æmulatione apud reliquos ordines excitata; decem hoc anno minimum templa numerata sunt in quibus eadem per istos dies, quæ in templo nostro celebritas; non ijs defuit frequentia, & nostræ quidem ædes capere multitudinem non potuerunt. Est etiam virorum nobilium cætus, nobilissimum à fonte totius nobilitatis & claritudinis nomen habent, congregato scilicet Sanctissimæ Trinitatis mores respondent, & vitæ normo, Xenodochia frequẽtant ipsi sua infirmis opera, atque ope ministrant: statutis diebus simul omnes ad altaris Dominici mysteria communicaturi accedunt: domi nostræ suas sibi habent exhortationes accommodatas, Dominicis diebus præter cætera, magna est ijs cura, vt familiam integram habeant inculpatam pietatisque exercitam studijs. Tertia congrega-

ga-

gatio eſt, doctrinæ Chriſtianæ titulo inſignis, quam ſcilicet Sodales præcipuè ſibi commendatam habent, vt egregiè permoueant: ipſi viri honeſti & graues pueris mixti, qui ad ſignum è domo noſtra ſublatum, ex Scholis & vijs conuenire ſolent, per vicos & compita Chriſtianæ doctrinæ rudimenta cantatum eunt, eo demiſsionis exemplo, vt incrementis augeri, rem annis videamus ſingulis, ac ſi iam doctrinæ Chriſtianæ ſtudium inciperet effloreſcere.

Quarta congregatio tribus ſuperioribus addita hoc anno, nobis opus eſt verbis, ſi quis admirandam Dei bonitatem, ac iudicia prorſus occulta explicare velit, plane opus illud eſt, ad immortalis Dei gloriam ſempiternam laudabile, publica vtilitas, & ſalus maxima, totiuſque admiratio ciuitatis. Magna erat (ſecundum aliquos) in Hiſpalenſi Iudiciorum foro, quod platea D. Frãciſci nuncupatur, rerum perturbatio ſimul & multorum quærela, propterea quod nonnulli ex iuſtitiæ Miniſtris, non adeò rectè & ſecundum ius, nec vt æquitas poſtulabat, ſe gererent in ſuis adminiſtrandis officijs, vnde fiebat, vt hoc genus hominum apud multos non bene audiret, imò exoſum haberent ferè omnes, nec deerant, qui affirmare auderent, venale eſſe ius, plena Sycophantijs & periurijs omnia, neque æquitatis vllam eſſe rationem: Deus Optimus ac Maximus ergo, eam iniecit vni ex noſtris mentem, vt de Sodalitio, ex illo hominum genere cogendo cogitaret, imo & ageret. Difficilis omninò & in acceſſa prouincia viſa eſt hæc initio, ſed diuina gratia factum

eſt, vt initio victus vnus, & alter, illi ſenſim ſine ſenſu vicerint cæteros, atque adeo breui tempore iuſto conſcripti numero vltro ipſi, de Sodalitio inſtituendo, & pontificis autoritate firmando, atque indulgentijs Roma petendis agere cum Sacerdote noſtro inſtituerent, re in vrbe peruulgata nullus non inuentus eſt ex oĩum hominũ genere, qui opus in cœlum vſque non euere conaretur, Societatemq; noſtram non præconijs commendaret maximis, inter omnes præcipuus, concionator quidam inſignis, vir autoritate, ſanctitate, & litteris conſpicuus cum magna ſemel audiretur frequentia, palam publiceque bonum factum exclamauit. O bonum factum? non ipſi tantum ciuitati, ſed vniuerſæ Prouinciæ ſalutare? promouendum enimuerò eſſe, modis conatus omnibus, ſe quidem (ait) paratum eſſe, ſi opus id videretur, manibus pedibuſque reptare per vrbem, agendo & ſupplicando enixè, vt exitum res felicem atque ſperatum ſortiretur, addidit animos audita vox, acceſſereque quamplures ad numerum, & enunciare pœnitentiæ Sacramento lapſi temporis peccata, res ſuas vitamque componere nomen, animoſque Sodalitio lubentes dare. Denique tantis incrementis, cùm aucta res eſſet, de nomine & Præfecto congregationis eligendo actum eſt, & communi omnium ſuffragio, congregatio nomen Spiritus Sancti ſortita eſt; præfectuſque electus Doctor Suarez de Caſtilla, dignum vel hac ratione, memoria, literiſque nomen, quod prim⁹ fuerit Autor, Duxque honorati huius cœtus, vir litteris quidem & ſanguine nobilis, ſed virture

multo

multo nobilior, qui plurimum certè & oratione ſua & re, & authoritate rebus congregationis ꝓfuit. Litteris acceptis à R.P. noſtro & Indulgentijs, dies ſolemnis habitus in templo noſtro, lætiſque initijs; ſeptuaginta ſimul Euchariſtico conuiuio refecti ſunt, templi ornatus, muſica, vt par erat rebus tantis ac dignitate Sodalium, initio præſertim, quando feruere ſolent omnia, populi Hiſpal. communis lætitia, talis ac tanta, vt ſi de communi ciuitatis bono & ſalute ſumma ageretur; maior eſſe non poſſet. Leges congregationi præpoſitæ, (res ipſo ſtatim aditu ſalutaris) ſumma & acurata peccatorum omnium totius vitæ apud aliquem ex noſtris, confeſsio, deinde frequentatio Sacramentorum, ſicut illi hominum generi videtur accommodata ſingulis fere menſibus, ſolemne eſt aliquoties annis ſingulis pariter vt omnes vno in templo noſtro, & vno in ſacro ad epulum cœleſte conueniant, excitat ea res, augetque caritatem inter Sodales ipſos imitabile cæteris exemplum, quod multos inuitat, vel vt Sodalitio adiungant ſe, vel ſi id commodum non eſt, frequentiores ad diuina myſteria accedant, nota ſunt alia, more Sodalitatum aliarum communia. Porro fructus qui ex huiuſmodi fonte ad commune bonum ſalutemque publicam emanarunt, illi ſunt præcipuè notati. Magna in Forenſi Iudicio & manifeſta mutatio, clauſus auaritiæ gurges infamis, iniquitatis irritamenta munera in vniuerſum ſublata ſunt, facillimè negotio omnia, & breuiſsime expediuntur, adeo quæ æternæ erant alias futuræ lites, die iam ſæpè Forenſi vno, & altero

tero finitæ, experta id Matrona quædam nobilis cum annis pluribus impendio graui litigasset, vna sola nostri Sacerdotis commendatione, molestijs omnibus absoluta, quod suum erat libere tenuit, restituta quæ iniuste erant accepta Fuere qui pecuniam ingenti precio oblatam reiecêre, aureos, vnus, nummos quadringentos, sola mercede iusta & ordinaria contentus, & multo quidem diligentius, quod muneris sui erat, & aperti iuris executus est, quam si pretio fuisset empta solicitudo, & breuissimum suum finem lis, & optimum, vti causæ debitum erat, consecuta est. Constitutum est per Sodalitium vt è Sodalibus vnus omni die Forensi causam pauperum agat: multis ea res solatio est, liberantur è vinculis multi gratis omnino: vnius nuper pauperculi cùm esset aliqua difficilior causa, vt nisi pecunia numerata parti, exire non posset, causidicus ipse de suo ære pretium dedit, & hominem è carceribus liberum ire iussit, in mendicos pauperes sunt ipsi liberaliores. Emirantur boni omnes magnam rerum mutationem, & operam Societatis nostræ, caritatemque, laudibus in cœlum tollunt, mali contra multis modis oblatrant, atque detrectant, sed vltor aliquo Deus est. Nuper cùm vnus insolentius dixisset in congregationem, multosque Sodales turbasset: quasi vaticinio elocutus fuisset Pater, qui Sodalitium dirigit, sane (ait) infelicem huius hominis exitum è vita, vereor, adfuit repente verbis fides, subito infirmatus, obiit, nihil tale ipse cogitans, nullum vt remedium saluti animæ tempestiuè potuerit aduenire, aliqui eo quod

parti-

partibus ſtuderent aduerſis, inimicitias inter ſe gerebant, & vnico tamen iuſſu Sacerdotis noſtri poſitis odiis inueteratis, ſtabili inter ſe amicitia ſociati ſunt. Magna omninò inter ipſos Sacerdotis noſtri autoritas, vt vel nutu ſolo facile quiduis apud eos efficiat, tabulas luſoreas, aleaſque longe iuſsit exulatum ire, in locum earum preces venêre, & pii cum otium eſt, in manibus libelli. Rarum erat ante ſi vel pauci ex illis hominibus domum noſtram adirent, iam nihil illis frequentius, quaſi tota vtilitas & ſalus eorum ſit in area noſtra, ita nunquam eam deſerunt. Prouocati etiam multi ſerio agunt vt admittantur, ſed nè multitudinem ſpectare potius, quam fructum videamur, aditus omnino difficilis eſt; niſi probata ſit multis argumentis, & bene expectata virtus, nemini locus eſt, mercatores viri graues, & opulenti item nobiles & optimi quique ciues ſtudio religionis, pietatiſque primarii, multis contendunt enixe precibus, ſociari. Verum vt moris vnius & inſtituti homines melius conueniant. Lege iam conſtitutum eſt, vt niſi Forenſibus, & adminiſtris iuſtitiæ non pateat ingreſſus. Erat iniqua contra nos euulgata fama, quaſi habendi ſtudio eſſemus inſatiabiles eoque multi, cum rei ſui male timerent, fugiebant noſtros, experti ſunt contrarium Sodales, cùm multa & ingentia obtuliſſent ſuo directori munera, abſtinentia conſtans & inuicta, vicit facilè, vt ſileat modo magna ex parte rumor inſolens, & intelligant omnes, religioſos non eſſe, more maiores, paupertatis opulentia ſola contentos, præcipuum illud argumentum eſt

quod hoc quidem anno apud Hiſpalenſes autoritatem pariter, & gratiam ſocietati comparauit. Sed neque iſtud etiam eſt prætereundum pietatis opus Chriſtianæ, mulieres erant à libidine vagæ, turpique quæſtu ad frugem conuerſæ, & pœnitentiam, ſed incommode habebantur, domo & re familiari perquam anguſta ſic vt à corporis vitæque incommodis, inquietudo eſſet animorum, & multæ deficerent ad veneris reuerſæ nundinas, turpitudinis officinas. Sacerdos vnus è noſtris iunctis ſibi Eccleſiaſticis duobus viris eximiæ pietatis, & ad ſtudia Chriſtianæ pietatis ardentibus, item Laicis duobus eiuſdem animi, effecit vt ſtipe collecta, & elemoſyna bonorum, habitarent, haberenturque commodius, graui quadam & ſpectata virtute fœmina præpoſita, iam quietæ ſunt, nec deeſt omnino quidquam, dum operantur manibus; vbi lucrum non ſufficit, piorum ſtudium & liberalitas abundè ſuccurrit, ipſæ cilicijs, ieiunijs, ſpontaneis diuerberationibus & orationibus intentæ potiſſimum, facilè vitæ prioris odium viuendi aſperitudine, feruoreque declarāt. Cura illa præcipua eſt, nemo vt ad illas homo penetrare poſſit, nec fœmina quidem ad fœminas, abſq; vllo diſcrimine omnino omnibus fores inexorato velut adamante clauſæ ſunt, muliercula vna ex earum numero Sacerdotis libidinem, vitamque inceſtuoſam ſecuta diu, cum ex vna ciuitate in alteram profuga, vindices iuſtitiæ fugeret manus, Hiſpalim venit, vbi intellecto quod locus huiuſmodi eſſet agendæ pœnitentiæ commodus, agente potius Deo, clam Sacerdote, recepit ſeſe,

& ſta-

& ſtabili propoſito eſt ingreſſa,ille ſiue dolore magis,ſiue amore amens,conditionis ſuæ dignitatiſq; prorſus immemor qua precibus, qua minis furere,niſi prædam,depoſitumq; redderent,ſubito ignem ſe flãmaſque in tecta iniecturum,fortis illa, & propoſiti tenax,ridere omnia atq; contemnere melioribus de cœlo flammis accẽſa, Chriſto vt placeret melius, libidinis illecebras oẽs vna cum ornatu capitis,& capillamento poſuit,arcti⁹ coniuncta Deo, cæteris exemplum eſt imitabile pœnitentiæ. Alia diſsimili ratione poſt annum exactum cum ſumma quietudine,& pace,ſubito pertęſa ſolitudinis iſtius,& aſperæ vitæ, ſimul agitata cupidineis furijs abiecta conſtantiæ parma, reſpiciens ad licentioris vitæ conſuetudinem ꝓſtibuli lutum redire cogitabat,præceps anim⁹,& cæcus, initio ruebat impetu,irreuocabilis, fixum ſedebat immotumq; pudoris omnia iura reſoluere, ire iterum in vetitum nefas, adeo veſtem iam depoſitam reſumpſerat, cùm è Patribus noſtris opportune euocatus vnus,redire iubet in templum,ante crucifixi imaginem ſerio ſecum expendat,vnde,& quo ire paret, tum incõſulta beatiſsima Virgine Domina ſua & Patrona nihil ageret, ſ, repetitum Salue regina acclinata in genua,& Symbolum Apoſt^rum ſemel ad latus Chriſti ſeruatoris ſui recitaret,iuit monita,recitauit,& ecce quid valeant neceſſario tempore preces, ſubito tacta intus,& effuſſa in lacrimas,pudorem eloqui nõ potuit ob cogitatum nefas, vertit animum ſubito, vicitque machinas tentationum,quantumq; pri⁹ agebat impetu, vt abiret, tantum nunc ſolicita, vt fidens animi,conſtanſq; maneat. Et

Et si domi & in ipsa ciuitate Hispalensi tanta sit rerum variarum seges, tamen excursum est aliquoties vt messem etiam ex agro nostri colligerent, fructus vbique consuetus, turbæ quarum gratia nostros potissimum euocarant viri primarij, licet ingentes essent, mole difficultatum, tamen feliciter & ex animi sententia compositæ; litteræ ad Patrem Præpositum datæ testes operum, totam concionibus nostrorum, Catechesi, cæterisque solitis exercitijs mutatam subito ciuitatem, nec alia magis in circulis, & in compitis vox, quam cœlo lapsos homines videri nostros, doctrina, pietate singulares, qui momento velut vno cùm tantam rerum mutationem attulerint, procul dubio si redeant aliquoties fore ad gloriam Dei sempiternam, vt salus promoueatur omnium Christiana res ad summum vestigium educatur.

COLLEGIVM HISPALENSE.

Collegium Hispalense nomine ac tutela S. Hermenegildi, tres & octoginta incoluêre Sacerdotes duo & viginti; qui varijs dant operam disciplinis vnde triginta, reliqui circa laborem domesticum versantur. E Sacerdotum numero, Theologia 4. Philosophia docenda tres occupantur, iuuentutem ad Humanitatem erudiunt sex, laborum solatio, commodo studiorum, ad quinque Scholas Grammaticas, noua vna accessit. Solemni quatuor vota Deo nuncupauere

Patres duo, Sacerdos vnus cum duobus rei domesticæ Administris tirocinio exacto, consueto Societatis vsu, Deo, & Religioni per vota fidem obligarunt. Seculo quam religioni aptiores duo, ex Societatis Catalogo expuncti, vtilis hoc anno primum in mauris & Ætyopibus, qui seruitutem hîc seruiunt opera posita, septem oculatissimis totius vrbis locis, Catechismus est ijs explicatus, non raro ab ipsis Sacræ Theologiæ Professoribus, magna cum admiratione ciuium & approbatione, cùm viros viderent ordinis nostri primarios, & vndequaque doctissimos, tanta alacritate ad hominum genus tàm vile proiectumque docendum adcurrere, imitati suorum exempla Præceptorum, pari feruore, & animi promptitudine studiosi; carceres obiere & hospitales domos, dulce miseris vbique solatium, quandoque salutis attulere auxilium, natus duos & viginti annos venus, neque signum salutare crucis pingere, neque recitare preces vnquam vllos didicerat, aut an omnino esset Deus aliquis, rerum moderator & arbiter, inaudierat, dùm lecto attineretur in Xenodochio dies aliquot, mora fuit opportuna, vt quæ ad bene beateque viuendum Christiano more necessaria sunt, accuratè disceret, tandem confessus rite peccata, & Eucharistiæ salutari pabulo recreatus, ita deinceps vitam omnem instituit, vt ægritudinem corporis, animæ fuisse medicinam facile ostenderet, & quidquid haberet inposterum spei ad salutem vni Fratri nostro secundum Deum acceptum referret. Inuentus est mortis ipso in limine extremo, iam compulsus animam

ponere,

ponere, qui animi maleuolentiam, capitalesq; inimicitias ponere nequaquam potuit, in animũ induxerat, mori se bene beateque non posse, nisi vindictam de inimico dignam sumpsisset, & pari alicubi illum talione reuerberasset: opportune accessit è nostris vnus, & eo flexit animum intractabilem, vt iniuriam omnem remitteret propter Christum; confessus & ille suprema vitæ hora, & Sacramentis munitus, quæ bene moriturum comitantur, paulo post, vix medium superstes diem animum Deo placatum, tranquillumq; reddidit, certo periturus, quod ipse fatebatur, nisi Dei beneficio singulari ad auxilium tẽpestiue pater occurrisset. Magni Ieiunij tempore hoc addidere laboribus consuetis Humanitatis Magistri, quod Parœcijs distributis tota vrbe, ad institutionem Christianæ pietatis, & Catechismi paruulos erudierint, sacris de Ecclesiæ præcepto diebus perfora & vrbis compita ad male feriatam desidemque turbam exhortationes à Fratribus nostris habitæ, simul ea ratione didicere rudes, quæ saluti erant necessaria, simul ad rem diuinam ire compulsi. Paschatis tempore supremo Scholasticis è nostris vrbem obeuntibus, tanta mendicorum hominum turba confessionis gratia ad Collegium adducta est, vt Sacerdotibus omnibus enixe fuerit laborandum, res iucunda visa est ciuitati, & ad commendationem valuit maxime. Vexillo crucis sub lato agmen Catechisticum per vrbis vicos solita modulatione cantus è Scholis aliquoties duxere nostri, habita concio locis patentioribus, quibus maxima hominum frequentia conuenire solet,

fructus

fructus operæ constitit motu animorum ingenti, die vno cùm de confessione rite instituenda sermo fuisset, tanta conuenit multitudo ad Collegiũ vt audiendis omnibus, nisi dilatione facta confessarij pares non essẽt, repetitæ confessiones. 10. 20. & 30. annorum, grauibus subinde rebus compositis. Maior aliquanto Iubilei tempore frequentia, res momento, & pondere maiores, restituta pecunia, quibus iure debita, multorum aliquoties millium aureorum. Cum à studijs vacare licuit, extra muros vrbis exspatiata est aliquantulum opera nostra, mirati sumus, locis haud ita procul dissitis ministeria nostra; doctrinamque tam necessaria fuisse. Verba die Purificationis in oppido vicino cùm vnus de Sacerdotibus nostris de superiore loco fecisset, confessionum audiendarũ finis non fuit, sane magni momenti fuere res aliquæ, vt non alio consilio diuina prouidentia à discrimine salutis aperto multas animas ereptura videatur fuisse: quam accessu illo tempore nostrorum quam grata ciuium omnium in nos fuerit beneuolẽtiam vix dici potest. Diuinos homines cœlo delapsos, velut Angelos, prædicabant oẽs, ad se viæ, vitæq; beatæ duces, venisse, neq; verbis modo, sed lacrimis sensum doloris testabantur, cum abeundum fuit, peccatisq; id adscribebant suis, ꝗ præsentia nostra dulciq; solatio frui diuturno tẽpore non possent. Pari successu & animi propensione vir quidam nobilis, Societati nostræ plurimum amicus, nostros ad se, summique populum erudiendum per anni vacationes maiores euocauit: reprehensa pro concione vitia quædam, quæ tẽporis negligentia insederãt, statim fuere sublata,

vt mirum videretur non pueros iam paruulosq; studio puerili præcurrere, sed optimum quemq; & nobilissimum præire minoribus exemplo. Grata æquè summis, imis, de rebus cœlestibus disceptatio, publica vt voce testarentur, si semper illa auribus suis insonaret, animosque demulceret musica, fieri non aliter posse, quin viuendi ratione mutata alij longe mores, planeque religiosi breui tempore essent futuri. Porro ne desiderari quidquam vltra videretur ex ministeriis nostris, Vicarij nepos propositas de vniuersa Philosophia conclusionem præside vno ex nostris propugnabit, adfuere honoris causa præter Ecclesiasticos, & Religiosos, quotquot erant in loco viri nobiles, & honorati, ab laudata omnibus Adolescentis indoles, nostra institutio, simulque ad studia, bonasque artes ardor excitatus.



SE-

SEMINARIVM ANGLIcanum.

DEcem habuit Anglorum Seminarium ex nostris. Maioris Ieiunij tempore Anglicè conciones in templo nostro habitæ. Sanctæ summæque fidei inquisitores in libris expurgandis, vbi hæretica labe essent aspersi, plurimum vsi sunt opera nostra, mane, vespere, totas sæpè hebdomadas ad arcana eorum consilia euocati, facilè sensimns, quantum Societati fiderent, qualemque de Seminario nostro, & Patribus Anglicanis concepissent opinionem. Nouem hoc anno supra triginta fuere Alumni Angli, dicto Superiorum iussisque audientes omnes, sed præcipuo inter se nexu Caritatis fraternæ coniuncti, Literis eruditi in Scholis nostris, pietatis studio domi, vtrobique profecere eximiè. maioribus anni à studiorum exercitatione ferijs, & per Quadragenos Ieiuniorum dies, multi Societatis more Sanctis B. P. N. Ignatij commentationibus, æque bono suo, vt gaudio exercitati. in Societatem admissi duo, finito studiorum curriculo, qui videbantur eruditione Theologica, & virtutum quæsitarum studio solidi, amissi à nobis in Angliam quinque. iam auditum est eos portum tenuisse & in Regia ciuitate Londini versari, magna spes omnibus excitata. Deus ad rem promoueat, & ad immortalem suam gloriam. Conclusionibus de vniuersa Philosophia propositis, ab vno ex Alumnis solemnes habitæ in ipso Seminario disputationes,

bonus cum bono Deo successus, & læta omnium comprobatio. Cùm ob templi sui dedicationem religiosi de mercede quos vocant, solemnem per domum & plateam Seminarij supplicationem instituissent ad ornatum viæ qua longe porrecta iacet, & explicata cum templo domus nostræ, peripetasmate diuite, & vario parietes vestiuimus, altari admodum augusto cum fornice extructo; Adolescentes Alumni ab ingenio profectum addidere ornatum, vario carminum artificio emblematis passim, ac Hieroglíphicis picturæ iuxta venustæ elegantia, & ingenij lumine intermicantibus. gratum fuit officium religiosis vicinis nostris, & singulari ratione Seminarij amicis, petierunt Patri suo Reuerendissimo Generali lœto munere mitti affixa à iuuentute carmina, quibus recreatus potissimum Illustrissim' Cardinalis Hispalensis, bis ipse domum nostram inuisit, vel vt altaris opere subitaneo extructi videret ornatum & opulentiam, vel vt gratum laudaret officium, ac bene religiosis amicis exhibitum, cum debita laude caritatis. Cum religiosa familia diem quoque suum habeat quo publice proposito Sanctissimo Sacramento Corporis Christi Festum agit, etiam nostri instituti esse putauimus, & hoc anno primum aggressi sumus, templo omnibus vt licuit modis ornato, concursus fuit ingés toto die, primariorum præsertim hominum tam Ecclesiasticorum quam secularium. sacro pontificio more solemniter operatus Illustrissimus vir. D. Iacobus de Zambrana Archiepiscopus Charcasensis, cui cum alijs Prælatis & nobilibus viris, pro iu-

cundo

cundo fuit magnoque ſolatio quod officio templi peracto, domeſtica noſtra & frugali menſa inter Patres noſtros & Alumnos acceptus eſt. Templi res aucta eſt nouo maioris altaris pegmate prægrandi, & auguſta imagine ad ſummum vſq; fornicem eleuata, margines artificio vario, ſtatuæ, piramides, columnæ, auro omnes ditiſsimo incruſtatæ. Magnum amicorum & liberale impendium fuit, ſed vero eorum ſolidoque gaudio, cũ ad Dei gloriam opus vnum ſit inter præcipua, quæ videri poſſunt Hiſpali, & maxime ob artificium, elegantiamque ſpectandum. Domus comparatæ vicinæ duæ, mille ducentis aureis vna, amplificando tanto Seminario, altera infirmorum neceſſario ſolatio aureis mille octingentis. Rex Philippus mille quingentos aureos liberali munere cõtulit alios item ex vectigali ciuitatis domo aureos ducentos. Via erat poſt Domum Seminarij & hortum noſtrum, ſordidum velut ſtabulum, libidinum pudendarum, ſcelerumque latibulum, eiecta immunditie, valuæ ad ingreſſum vtrinque & exium additæ, nobis claues datæ, vt in arbitrio noſtro ſit claudere cum videtur, & aperire.



COLLEGIVM TRIGV-erense.

TRiguerense Collegium incoluerunt sedecim, sex Patres, Fratres qui vel Scholis præsunt, vel res curant familiares decem. Non ex municipio tantum hoc ad nos conueniunt, sed vndique ex tota circumiecta vicinia, qua late patet, septem vel octo miliiaribus, frequentissimus est ad nos hominum concursus, quasi non aliud sit afflictis animis asylum atque perfugium, ita nostris vnice fidunt, nec bene sibi videntur pro animi sui gustu, sensuque confessi, si ad alios forsan accesserint, ac tunc demum se securos esse sentiunt, quādo alicui ex nostris animum suum aperuere. Concionator vnus è nostris, vt à multis iam annis fieri receptum, per Quadragenariū ieiunium proximo in populo, bis quaq; hebdomade conciones habuit, gratum officium duci de Medina, qui quo i fructum videat vberem ad salutem, inter sibi subditos, cultu nostro & studio propagari, multis modis fatetur obstrictum se Societati, & benigne nostris facit. Census Collegij augeri non potuit, sed commode viximus pro ratione instituti nostri, ac domum amplificauimus additis porticibus duabus cum peristilijs marmoreis, quæ longe se explicant ad ædificium antiquum, molestam interim domi rem, mille ducentorum aureorum debitum alieno ære contractnm dissoluimus.

COL-

COLLEGIVM GADI-tanum.

VErſati in hoc Collegio 14. ſex fuere Sacerdotes, alij Fratres noſtri, è quibus duo latinè docent, alij vernacule legere pueros & ſcribere. Facile ſuperauit anni huius labor annos ſuperiores, in claſsiario milite, in triremibus, in carceribus, & valetudinarijs publicis præter morem vtilis negotij plurimum. Nunquam intermiſſa per vrbem Doctrina Chriſtiana ſolito maiorem ad vſum Sacramentorum frequentiam dedit, duæ erectæ congregationes, florem vna nobilium virorum, altera mercatores complexa, difficile exuitur negotians à negligentia, notum diuinæ ſapientiæ oraculum, & ita tanto magis enixe laborandum fuit, ſed labori dulce ſolatium fructus reſpondit, omnes in officio pietatis alacres fuere & ſtrenui, vere Societatis noſtræ amãtes ac ſtudioſi, eleemoſynam vicatim petere commune eſt vtriſque finis tamen diuerſus, alij captiuos iuuant collecta pecunia, alij quos pudor & honeſtas cum extremè laborant, mendicare non ſinit, multorum neceſsitatibus auxilium liberale, non corpori modo, ſed animæ ſæpius, etiam & æternæ ſaluti ꝓfuit. Pleriq; mercatores, & qui legibus ciuitatis ſeruandis præſident, infenſis inter ſe animis diſsidebant, congregatio inſtituta diſcordiam ſuſtulit, datis dextris in amicitiam & gratiam conuenere. Procineralibus diebus nouo Gadibus exemplo in templo noſtro ad auertendã

cata, & insolentias frenandas Deo supplicatum est. Viriles fuere ad Virginum sacraria conciones, vt licuit per otium singulis septimanis vna aut altera, totis generali confessione monasterijs expiatis vitam vidimus aliam, nouis additis animis ad studium religiosæ perfectionis.

COLLEGIVM MARCENENSE.

DEgunt in Collegio Marcenensi Sacerdotes nouem, ex quibus duo Grammaticæ Scholas regunt. Fratres Coadiutores septem, è quorum numero scribendi legendiq; Hispanicè periti duo pueros docent. Diem suum obijt P. Michaël Ferrer. quatuor votorum solemnium professus, ex antiquissimis Prouinciæ professis, ad septuagenariam ætatem septem addiderat annos, sex & quadraginta vixit in Societate magna sanctitatis opinione, ante ingressum religionis iuris vtriusque doctoratura ornatus, inter nostros Theologiam audijt, Rector aliquando huius ipsius Collegij, á confessionibus Serenissimis Ducibus de arcos triginta totos annos, magna cum integritate, solicitudine, & acurata diligentia in eo munere versatus, nunquam ad palatium ire solitus, nisi euocatus, nihil solicitus de carne & sanguine, quamuis multis modis promouere rem suorum consanguineorum dignitatemque potuisset: studio religionis continebat animum, solius vt immortalis Dei negotium, non suum, aut amicorum agere videretur. Solitudinis & silen-

& silentij rarus amor, sermo de diuinis rebus, cum sensu animi sacrum suum facere solitus. Orationi deditus apprime cubiculi sui secreta omnibus huius vitæ delitiis anteponebat, quantumuis fessa iam & graui ætate nunquam elabi passus est annum vnum, quo non colligendi animum desiderio per exercitationes Societati familiares, octo minimum dies à negotijs se ad quietem contemplationis reciperet. Singularis circa passionem D. N. affectus & reuerentia per extremos præcipuè Quadragesimæ dies, quibus more fontium oculi eius lacrimis amoris dulcissimis assidue fluebant. Istis ad mortem præsidijs armatus è viuis excessit. Duces Excellentissimi vt par erat Patri suo spirituali, multis indicijs amoris & obseruantiæ editis magnifico munere parentarunt. Cum de more Sodalitas Sanctissimæ Trinitatis prandium liberale certis adsignatisque diebus vinctis daret; curatum tunc est, vt pœnitentiæ Sacramento perpurgatis conscientiæ maculis, communiter omnes cœleste conuiuium inirent, magna fuit ibidem vis exhortationum nostrarum aduersus prauam inueteratamque iurandi consuetudinē, diceres religiosam iam esse familiam, carcerem, ita precarijs globulis ad manum paratis dulce præsidium suum Virginem Mariam conciliant.

Nouis iuxta rationem instituti nostri & libelli studiorum modis ad excitandos iuuentutis animos excogitatis, Scholas habemus frequentiores opus ornatusque maioris altaris, vt inceptum erat anno superiore, feliciter hoc anno

perfe-

perfectum. trecentos quinquaginta aureos liberale donum Ducum de arcos, iuuere ijdem ad reparationem templi duobus millibus minimum regalium numeratis, alij amici reliquum contulere summam in vniuersum aureorum septingentorum, quibus effectum vt templum, alioqui vnum è Prouinciæ Beticæ pulcherrimis, non collaberetur.

COLLEGIVM CORDVbense.

DVos supra sexaginta numerauit hoc anno, Sacerdotes septendecim, ex quibus duo Scholasticas de Theologia quæstiones explicant, Scripturæ Sacræ interpres vnus, in Philosophia docenda occupati duo, duo item Magistri literarum humaniorũ, è Fratribus nostris studiosi qui Theologiæ dant operam. 16. Magistri duo Grammaticæ, qui rei familiari inseruiunt numero sunt 18. Inter Sodalitates illa Princeps, cui vocabulum est à Sanctissima Trinitate, quæ cæteris fere pietatis facem prælucet. Studium iuuãdi pauperes, qua pecunijs & eleemosynis collectis, qua autoritate cùm possint, omnibus est singulare, multi opem sensere miseri, qui carceribus attinebantur præcipuè, & qui domi cum extremam paterentur inediam, bene nati alios educatiq; pudorem vincere non poterant, vt paupertatem foris proderent. Altera Sodalitas Spiritus Sancti nomine ac tutela insignis, honestorum ciuium est, par illi superiori studijs & exercitationibus

tionibus Christianæ pietatis, publicis passim, priuatisque ac secretis honestorum pauperum necessitatib⁹ quotidiana fere eleemosyna subueniunt Sodales, carceres hospitales domos magna obeunt alacritate soliti seruire infirmis opera ipsi sua ad corporis munditiem, ad vestitum &c. vnum id hoc anno nouum ad solita liberalitatis officia adiecere, tota vrbe collectis vndique in vnum, quotquot erat reperire pauperibus, ad ædem eos Collegij nostri adducere, sedebant confessarij nostri parati, vt audirent peccata confitentium, dein musico concentu sacro parato simul omnes cœlestem Dominici Corporis dapem ab altaris Ministro receperunt, neque corpori postea defuit solatium, conuiuium festiuis epulis liberaliter extructum excepit omnes, refecitque ministrabant ipsi mensæ Sodales permixtis alicubi nostris, neque strepitus vllus in mensa, neq; vox vlla liberior, aut motus insolens, dicebantur, agebantur omnia vt audiente, videnteque Deo sportulæ post mensam datæ domestico solatio, pecuniæ alijs, alijs necessariæ vestes, vt omnium ab omni parte inopiæ abunde prouisum fuerit. Per eam ipsam Sodalitatem præcipue, & primariam alteram curatum est ingenti sumptu vt celebres fuerint in templo nostro tres ante cineres cum indulgentijs dies: Prædicant inuentum illud esse cœleste omnes, quo penitus hac in vrbe velut bachanalibus mortuis, bachantium licentia sublata est, & melius inposterum animi ad solemnes Quadragesimæ dies parantur. De tertia congregatione Annuntiationi B. Virginis dicata cæ-

teris annis abunde scriptum est. Dominicis festisque diebus eius cura præcipua est seruitia ciuitatis & vagam iuuentutem vt ad sacrum audiendum cogant, post sacrum habet vnus ex eorum numero conciunculam, quam magno sæpe fructu sensimus auditam. excurrunt Sacerdotes ijdem ex illis, in pagos proximos per dies aliquot ibidem hærere soliti, more Societatis concionantur, confessiones audiunt, fructus maximos referunt. Domi & in Scholis nostris vtile exemplum est dum studiosis Adolescentibus ad virtutem stimulos adduat, decem & septem ex ijs religiosæ vitæ institutum amplexi, & sane plerisque idem animus. Facile intelligitur dùm hæc fiunt imitatione Societatis, quam nostris ardens inflammatumque studium esse oporteat ad omne officium religiosæ pietatis; morientibus adesse, iuuare damnatos ad supplicia, visitare infirmos, &c. quotidiana sunt. Conciones admodum fuere efficaces vnius potissimum ex nostris, qui verbo potenti penetrans altius animos, intimosque sensus, multos ita commouit peccatores, vt repetitis à pueritia quantum recordari potuerant omnibus peccatis, redierint in gratiam cum Deo, alia deinceps vitæ consilia secuti. Odij incendia inter viros primarios, leuibus vt fit orta causis, nostrorum interuentu antequam deflagrarent, extincta sunt. pretio numerato bene magno sicarium sibi Matrona conduxerat, qui fratrem interficeret, cum quo immortales illi ex rixis ortæ erant inimicitiæ, secreto indicio sciuit paratum scelus vnus è nostris, obuiam iuit malo tempestiue,

ue, deterruit à concepto parricidio mulierem, hominem innocentem à periculo liberauit. Excursiones in oppida vicina magna sunt vtilitate frequentatæ. Fuit qui audita quadam die concione, cum ad quietem veſpere ſe componeret, ſubito gutturis tumore correptus, ſtrangulandum ſe putauit à malo dæmone, propoſuit quod ex tempore facere non poterat, confiteri peccata ſua poſtridie, nec fefellit fidem, peracta confeſsione, ſimul ſcelere, ſimul metu, & morbo liberatus eſt. Adoleſcens quidam in Anglia natus magnam partem orbis terroribus circumactus, animo perinde, vt curſibus, vagus, & ſi parentibus eſſet apprime Catholicis, ſæpe mutauerat religionem, & varijs modis à fide Christiana defecerat, à græculo potiſsimum Sacerdote ſeduct⁹, cui veneficijs adiunxerat ſeſe, mordicus adhærebat ſchiſmati, vt neque mortis quidem certo, quod medicis videbatur periculo, Romæ cum eſſet, iuuari potuerit à noſtris, quo Romanum Pontificem caput fateretur Eccleſiæ, tandem ab India reuerſus in Hiſpaniam, Cordubæ tantiſper hæſit pictor arte ſua, dum paratis quæ ad iter neceſſaria videbantur Hiſpalim rediret, & inde cum nautis in patriam, commoda haud dubiè ſit parata ad ſalutem hominis mora. Opportune quidem è Patribus noſtris Anglus in familiaritatem ſe hominis inſinuat, ſatis initio cum difficultate cum fateri nollet contumax errorem ſuum, & eo noſtros fugeret: tandem poſtquam rem aperte confeſſus eſt, ſimul animi inquietudinem indicauit,

& ſi

& si acri esset ingenio, multisque contra veritatem niteretur argumentis, paucis tamen superatus velitationibus manus dedit, mox à Sanctæ fidei quæsitoribus cum data potestas, facta confessione peccatorum diligenti & accurata, rite absolutus est, & Ecclesiæ Catholicæ aggregatus. Vidimus allata luce, cognita veritate tantum ob peccata, tam serium dolorem, vt nihil vnquam supra sentire hominem posse crederes, deinceps vitæ constans vna & æquabilis ratio, tanto rerum cœlestium gustu, affectuq; vt nihil iam magis ex animo peteret, quam loqui & audire cœlestia.

COLLEGIVM GRANATENSE.

SEX & septuaginta fuere in hoc Collegio. Sacerdotes viginti quatuor, Fratres studiosi totidem, Magistri ex illis, humaniores duo legunt, è Patrum numero tres, vnus etiam Sacerdos Seminario nostrorum præest, alter in artium superiorum cursu versatur. Studiosi commodis ad institutum nostrum ingenijs, indole laudata, admissi in Societatem quinque, ad obsequium familiare duo. Catechesis præ cæteris eminens cùm præter morem frequens, iret è domo nostra, tota passim vrbis frequentia concurrente optimos quosque ciues etiam nobiles excitauit. Vir è summa nobilitate primarius vnus, dum rheda forte præteruehe retur, qua cruce præ tereunte canentium puerorum ordo sequebatur, visa multitudine hominum vndique circunfusa,

fuſa, & ipſe deſcendit in viarum ſtrata, ſub alijs i-
pſis cruci proximus, inter medios pueros voce
plena cum cæteris fidei noſtræ Chriſtianæ rudi-
menta decantans, & per viam vniuerſam pedibus
ambulans ad metam vſq; vltimã, donec è templo
noſtro iuuentus vniuerſa cum concione dimiſſa
eſt. Feſtis ac Dominicis diebus Fratres noſtri gen
tem circunforaneam ac deſides homines qui fe-
riantur in compitis, & angulis otioſi paſsim ad
rem diuinam ire compellunt, ſi cui deſit inſtitu-
tio ad ſalutem neceſſaria, patentioribus vrbis lo-
cis concionantur, quod in hac vrbe ſupremi iu-
dicij (cancellariam vocant) ſedes ſit, plures omni-
no, & maioribus cauſis, carceribus attinentur,
multi ſcelerum attrocium rei, tanto magis noſtri
laborant colloquijs de ſalute æterna pijs, & aſsi-
duitate monendi, complures adducuntur pau-
latim, vt confeſsione totius vitæ crimina eluant
gratia ab aduerſarijs vltro petita, libentes etiam
ipſi, quas ſæpe paſsi ſunt, remittunt iniurias ære
oppreſſus alieno, multiſque oneratus debitis cum
diu ſediſſet in vinculis, dimiſſus tandem à præfe-
cto carceris ſpatio duorum non amplius dierum
conceſſo, laxamentum fide præſtita, aut pactis a-
lias commodis à creditoribus rogaturus, res dif-
ficilis admodum tempore tam breui componi
haud facile potuit, & periculum erat carceris præ-
fecto, qui ſine ſuperiorum iudicum autoritate
abeundi ad ſuos copiam fecerat, erant qui de cæ-
tero nihil ſoliciti, autores eſſent vt in monaſteri-
um aliquod ſe abderet, quidquid demum præfe-
cto carceris inde eueniret incommodi, nihil pen-
ſi ha-

si haberet, dum inibi liberius secum ipse & cum suis agere posset, sed fidei memor obstructæ, vti à Sacerdote nostro doctus erat, ne pro benigne factis malam vicem rependeret, solicitus reuertit in carcerem, noctem etiam addens itineris laboribus, ac ne quid accideret aduersi per iter ipso die sacro Missæ officium ter audierat, firmo animi proposito concepto confitendi vni ex Sacerdotibus nostris omnia totius anteactæ ætatis peccata, non frustra fuit pietas, media nocte cum per cæcas tenebras viam periculis & hostibus plenam ingreditur insolito territus armorum strepitu, & quasi vinculis inter se graui pondere collisis, cum videret adesse neminem, clare distincteque has voces audiuit, age sodes, hominem aggredere, impelle in latus, occide licet, moriatur iamq; sed impediri se respõdit aduersa vox, nec posse quidq̃ nocere, quod missis illo die tribus oblatis religiose interfuisset quodque omnia totius vitæ peccata Sacerdoti explicare constituisset, miratus enimuero vir bon⁹ cogitationum suarum & votorum arcana per aërem diffusa, voti se Sacramento Deo obstrinxit, si redire incolumis in carcerem possit non commissurum vnquam vt confessionem vltra differat, audijt votum Deus, redijt in carcerem, & rite vni ex nostris postridie confessus est. Dissensiones graues vnde plurimum videbatur imminere mali nostrorum industria repressæ, facit hominum ad nos accurrentium frequentia, vt vita vigorque sit Collegio, & latissime pateat in omnem partem de omnibus bene merendi occasio, iucunda res & grata primarijs viris dum vident

dent nostros cum ciuibus mediocribus & infima plebe tam benigne & familiariter agere, contra prouocantur infimi maiorum exemplo, quos aduertunt in templo & in domo nostra quotidie versari. Salutem & conscientiam nostris hominibus credere, diuina frequentare Sacramenta, denique nihil agere quod alicuius momenti sit, nostris inconsultis.

Augent impense frequentiam conuersationemque cum nostris institutæ congregationes; Quæ Saluatoris præsidium sibi patrociniumque adlegit, lectis publice pontificijs diplomatis, diem institutionis suæ Festum sumptu pari & augusta celebritate, religione, & pietate ornauit. Grata ciuium admurmuratio quocumque incidimus, bona passim bene precantium verba. Doctrinam illi Christianam promouent, quam per vrbis compita Dominicis Festisque diebus cantatum eunt. Sodales Sancti Spiritus bacchanales ferias celebriores fecere, rarus templi ornatus, musica varia, multitudo populi confluens spem & opinionem omnium superauit, propositum est illi Sodalitio certo cuiusque hebdomadæ die eleemosynas, per vrbem pauperum solatio cogere; vt studium illis bene merendi crescit, ita ciuium indies augetur liberalitas, supra mille ducenti aurei, hoc anno collecti, & qua maxime dura res cum necessitate visa est miseros premere bene collocati.

Summis æque & infimis gratum, laudatumque cunctis studium, ARCHIEPISCOPO præsertim GRANATENSI qui enixè quantum

quantum poteſt autoritate ſua iuuat ipſe & promouit. Feſtis diebus circa fornices, & antra veneri damnata ijdem occupati Sodales, qua monendo, qua legendo librum aliquem pium, multa impediunt, auertuntque peccata. Solemne fuit & nouum hoc anno, die qui per Hiſpaniam Exaltationi Sanctæ Crucis ſacer eſt, aditu ipſo loci infamis Crucem videre poſitam ornatamque vocum, fidiumque concentu præeunte, concio in rem & locum accommodata, populi concurrentis maxima multitudo, fructus conſtitit, cæteræ communiter fere omnes mulierculæ commotæ, vna turpitudinis officina relicta, Sodalium ope atque auxilio à proſtibuli luto ad caſtam piamque viuendi rationem traducta eſt. Conciones ab vno è noſtris habitæ loco commodo quo cum reliqua multitudine infinita prope omnium ordinum, etiam nundinæ ſolent conuenire publicarum libidinum, plane fuere in eandem rem efficaces, decem omnino penetrante ſe altius in animos diuina gratia è cœno ſordido extractæ, vel ad nuptias aliæ honeſtas, vel ad pœnitentiæ ſemota à turbis clauſtra, vt cuique lubentia fuit, Sodalium beneficio & eleemoſyna adiutæ ſunt, vna præ reliquis formæ præſtantia & malis artibus, ac lenocinijs excellens, iam præcipue diuini amoris facibus ardens, vere pœnitudinis, & laudandarum omnium actionum exemplum eſt. Æque ſuas partes agit ſtrenue Sanctiſſimæ Trinitatis congregatio quæ ſuo ſibi commodo & fructu pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramenta aſſidue frequētat, & carceribus quacumque cauſa attentos potiſsimum

tiſsimum iuuat. Anduxarenſis ciuitas anno ſuperiore concionatorem habuerat ex noſtris menſe Decemb. ante natalis Dñi ferias, hoc anno melius viſum eſt, ea in vrbe verſari per Quadragenos magni Ieiunij dies, commodum initium de bacchanaliorum ferijs, vt veteri relegata inſolentia, quæ per ſummam licentiam bacchari vbique ſolet, ad Dei potius templa, diuinum Numen placaturi omnes accederent, placuit Vicario Epiſcopi cõſilium, parietes cuiuſdam templi ornati maximè, muſica comparata, & Sanctiſsimæ Euchariſtiæ Sacramentum omnibus ſpectandum propoſitum, ipſe Vicarius habita concione ſub medium ſacrũ, horam fere totam in laudanda Societate conſumpſit. Veſperi Doctrina Chriſtiana per vicos & vrbis compita celebrata, ad templum canendo ventum eſt, alias bene capax, multitudinem tamen hominum capere non potuit, excluſi plurimi, ſub die & in plateis, hærere coacti ſunt, cæterum ſtudio diuini honoris. Eccleſiaſtes noſter accenſus, argumento de bacchanalium veteri licentia propoſito, eo genere dicendi eſt vſus, vt animis commotis pectora perfoderit omnium, ac feſto hoc tam religioſe inſtituto, prauos ſecuti mores, petulantiam per illos dies in vniuerſum ſuſtulerunt, proſecuti deinde noſtri quod bene cœptum erat, totis ibi quadraginta diebus moram traxere, pro mouendo, concionando, conſcientias per Sacramentum pœnitentiæ iuuando; ſtudio indefeſſo laborandum fuit, vix vt ocium eſſet reficiendo corpori, aut quieti neceſſariæ carpendæ, tanta nos multitudo negotiorum & varietas obtinebat,

 confeſ-

confessiones pleræque à prima pueritia generales, negotia momento rei & magnitudine grauia, sæpe inter inimicos conciliata gratia, obitæ domus hospitales, nunquam Doctrina Christiana sacris diebus intermissa, & omnium semper Ordinum confertissima multitudo, spontaneæ diuerberationes ad vindictam, castigationemque peccatorũ introductæ, nouo quidem spectaculo ea in ciuitate, vbi nihil vnquam auditum ante, visumque simile. Altera excursio per vicos & pagos del Alpuiarra, magis etiam vtilis, quia maior visa necessitas, gens ignara, rudis, quia tenuis & paupercula ab omnibus deserta. Vix tertio, vel quarto mense semel contingit, vt rem diuinam audiant, aut fieri videant, nullo ad eos accedente Sacerdote, Societas nec de nomine illis cognita, omnia fuere à principijs ipsis, & rudimentis repetenda, quot erant audiendæ confessiones, tot instituendæ priuatæ Catecheses, vires animosque suffecit qui vocauerat nos Deus, & ipsos iuuit in pectore penetrabili gratia sua; docti omnino omnes, & confessionis expiati Sacramento, homines nos prędicant cœlestes à Deo missos, sine quorum institutione & auxilio pereundum sibi fuisset. Inter Illustres Collegij benefactores, carum nobis, dignumque nunquam interitura memoria nomen Bartholomæus Venerosus vir nobilis inter primos ac diues, ad fabricam & ornatum templi, præcipue vero ad fundationem Sacelli nostri maioris, vnum & viginti millia aureorum contulit, ea lege vt siquid ex ea summa templo superfit, cedat in bonum, vtilitatemque Collegij.

diem

diem ſuum obijt. Faxit Deus vt aris, temploque collata beneficia cum in terris eſſet, cumulata in cœlo, & cum fœnore recipiat.

Studijs incrementum acceſſit; Auditores in Scholis plures, datum initium Philoſophiæ, artibus maioribus inpoſterum docendis, ex noſtris lecti Studioſi duodecim, externi omnino multi. Profuit nomen B. P. N. Ignatij grauibus rebus, manifeſtiſque periculis aduocatum, eo pietas aucta & religio in ipſius inuocationem & cultum. Matrona vna nobilis, cum eſſet grauida, repentina correpta eſt ægritudine, quæ momento vno, loquendi ſimul ſentiendiq; facultatem abſtulit, ſolita inuocare cum valeret magno animi ſenſu B. ſuum Ignatium, præſens in ea neceſſitate eius ſenſit auxilium, ait vero, manifeſte ſpeciem eius ſibi in morbo fuiſſe obiectam, bonumque addidiſſe animum, dixiſſeque ei, nunquam futurum vt moreretur ſine confeſſione, breui tempore cum valetudine commoda redituram ad ſe, ſpatij tantum abunde fore, vt ſcrupulos omnes & animi latebras aperire confeſſario poſſet, ita vouit illa ſe vero & ſerio facturam, & præterea ſe cum tota ſua familia diem eius feſtum celebrem, & in honore habituram. ita Deus audijt, accepitq; votum, paulo poſt ad ſe reuerſa vti libitum erat cōfiteri potuit, feſto porro eius die, ornatu templi noſtri ſuo impendio procurato, fidem Deo, Sanctoq; debitam exſoluit.

COLLEGIVM BAECA-num.

IN hoc Collegio, quatuor tantum fuere Sacerdotes, sed operarij strenui, qui facile quantum numero defuit, labore & industria compensarunt, in opera domestica fratres versantur nouem, si tres inter illos numeres, qui cum vno Patre præsunt operis in ædificio construendo, quod Dei Superiorumque voluntate Domus Probationis futurum est, admissi in Societatem ex artium cursu duo, quibus vnus Theologus accessit, fratres ad curam, laboremque familiæ tres, pro conditione quisque sua, electi omnes, & bonis dotibus præditi. Vix credi potest operarijs tam paucis messem potuisse tam vberem colligi. Sodales hospitalem domum visitare consueuerũt: & post obsequia charitatis infirmis exhibita, è vitis Sanctorum factum aliquod illustre in exemplum imitabile proponitur, ad quod audiendum magna hominum multitudo accurrit, vt ad concionem. Theologus de congregatione præcipuus vnus, gradu scientiæ ornatus, cum ardentissimis animis admitti in Societatem nostram expeteret, in cœlestium à Deo Societatem est euocatus: vti ætatis actæ magna fuerat integritas, ita rara in Deum fiducia mortis tempore, & moriendi atq; ad vitam transeundi beatiorem flagrans desiderium: certus affirmabat patri qui sibi aderat extrema necessitate nihil se dubitare posse, quin recta iturus esset cum auxilio boni Dei, ad B. P. Ignatium,

gn:tium, qui numeris illum ſuis adſcriptum in cœlo, inter Societatis homines collocaret, cum ſubijceret pater, moram forte longiuſculam fore, animoque eſſet in vtramque partem parato, moleſtiam tamen ſentiebat ex mora, deniq; Sacramentis extremis rite ad exitum paratus, mortuus eſt imitabili virtutum exemplo, & magna apud omnes ſanctitatis opinione relicta. familiare, finitis lectionibus quotidie per quartam horæ partem in templo noſtro legi ex pio quopiam libello puncta quædam, quæ ad pietatis excitanda ſtudia faciant, conueniunt præcipue de Sodalitate, qui lectione finita mediæ fere horæ ſpatium ad conſpectum Sanctiſsimi Sacramenti in oratione ponunt. Eximie Sanctum eſt hoc loco, earumq; nomen B.P.N. Ignatii, ara in ipſius honorem excitata, arceri multitudo non poteſt, Miſſæ ſacrificio, cereis accenſis lucet ei honor perpetuus. Vota plurima ad aram ſuſpenſa, argumenta ſunt quoties quiſque ſancti opem ſit expertus. Mulier partus diſcrimine laborans, ſubito reliquiis eius allatis liberata eſt. Puer quinque annos natus, à medicis deſperata ſalute relictus, cum voto non puerili eaſdem ſibi reliquias afferri petiiſſet, ſacro earum contactu, ita ſubito conualuit ſalute reddita, vt omnibus admirantibus, & ad miraculi ſtuporem attonitis, in templum poſtridie venerit, & ingenua acclinatus gratias immortali Deo ob reſtitutam valetudinem ipſe reddiderit.

Antiqua virtus Sodalium eſt, vt ſigno ad Salutationem Angelicam dato quotidie omnes in ædem ſe noſtram conferant audituri lectionem

ſpiritualem, media deinde perpetua hora ad altaris maximi conſpectum oratio eſt. Diuerberandi ſe cauſa ſimul omnes omnium congregationum Sodales ter vnaquaque ſeptimana ad Pſalmum Miſerere conueniunt. optimi quiq; & honeſtiſsimi primi, eorum exemplum alios trahit. damnatos extremo ſupplicio non alij quam noſtri Sacerdotes iuuant. Catechiſticæ rei palma floret maxime, non agmen ſolum puerorum præit, ſed exercitus copioſus hominum omnium ordinum, & plerique viri grauiſsimi, plurimis ex ſtudiorum vniuerſitate mixtis, teſtes qui negotiorum cauſa huc aliunde veniunt libere profeſsi, rem eſſe dignam ob quam vel ſolam videndam Baccam quis peregrinatum eat. nec defuit qui domicilium ea cauſa, hac in ciuitate ponere decreuerit. Funda iactiſque lapidibus prælia miſcere ſoliti vagabundi per vrbem pueri, nulla ratione poterant prohiberi, atque ita in colle vrbi proximo ſtatis diebus, lapidum volabat procelloſus imber, & acri certamine pugna feruebat. Vulnerabantur vtrinq; multi, & quod in campo res ageretur, remedium adferre malo iuſtitiæ Miniſtri non poterant, pater qui præeſt doctrinæ Chriſtianæ ſigno ſublato Crucis agmen coegit Catechiſticum, & fugientes inſecutus donec blandis prouocati verbis & ſecuritate promiſſa conſiſterent. Vix pueri interrogando reſpondendoque vt vſus habet Chriſtianæ Doctrinæ tradendæ, neſcio quid ſcite dixerunt, de fundis patri in honorem B. Virg. Mariæ reddendis, cum ſtatim conuerſis animis tanta multitudine ad pedes manuſq; patris fundas quibus

pugna-

pugnauerant, proiecere, vt vnus colligendis non fuerit satis. ita positis armis diremptum ea vice prœlium, fractaque audacia post diem istum non vltra processit. Mulier quod male timeret à marito cum bona hæreditatis parte adulterum secuta, opera nostra ad locum pœnitudinis reuocata est, & bona quæ abstulerat marito restituta. Sycophanta quidam scriptura defuncti mariti per summum nefas imitatione ficta, à vidua muliere quadringentos petebat aureos, fraude per nostros detecta, molestia mulier, impostor scelere liberati sunt.

COLLEGIVM MALACItanum.

Dvos & viginti Socios aluit, Sacerdotes octo, Fratres quatuordecim, è quibus occupati Scholis duo, reliqui domesticis reb⁹. Scholarum iuuentus aucta numero est, Academijs virtutis, exercitationibusque per Magistros institutis vitijs profligatis, tota inter iuuenes de pietatis studio excitando, promouendoque tractatio est. paratis animis frequentes participant cœleste Dominici Corporis mysterium, docti vel ab ipsa statim pueritia sibi aduersari, cilicijs, ieiunio, flagellis corporis motus reprimere, carnem habere exercitam. Si quo diuino instinctu religiose viuendi desiderio religiosæ se alicui familiæ adiungunt, planè aiunt superiores nihil egere solitis tirocinij experimentis, quos tanta cura, solicitudineque, tot modis in omnem partem Societatis moderatio probarit. Kkk 3 Du-

Duces illi præcipue Catechisticæ phalangis, Doctrinæ Christianæ capita, per compita plateasque Symphonia alternante concinere consueuerunt. Per Sodalitium cui à decollatione S. Ioannis Baptistæ tutela est, & patrocinium, corrogatis eleemosynis victus quotidianus vinctis in carcere omnibus est comparatus, & multa præterea exhibita caritatis officia, pari studio congregatio Sancti Spiritus eorum subuenire studet necessitatibus, qui à mendicando, pudore deterrentur: certa Episcopi autoritate duobus hebdomade quaque diebus adsignatis vrbem obeunt Sodales vt stipem cogant, quam eadem, qua data est liberalitate Dominicis diebus distribuunt, ac Pentecostes quidem præteritæ summo die, cum esset annonæ magna angustia, panes dati supra mille, carnis libræ quingentæ. Studio eiusdem Sodalitatis supremis ante Ieiunium sanctum diebus, templum nostrum ornatum est, musica etiam omnium instrumentorum varietate curata; oratio per illos omnes dies instituta. omnium plane iudicio laudadilis & sancta institutio, bacchanti licentiæ frenum. in loca proxima quatuor ex nostris Sacerdotibus exiere, confessiones auditæ prope innumerabiles, dies non fuere satis, sæpe nox laboribus diurnis addita, Nosocomiis, carceribus obitis piis monitis instructi miseri, eleemosyna subinde, quatenus facultas data sublevati. ad maris portum solet otiosa turba perditorum confluere, verbis petulantiaq; morum, vt fere conditio est temporum lasciuire, accurrere nostri, præsentiæ suæ autoritate verbis grauibus

initio

initio repressere audaciam, deinde conciunculis aliquot habitis, & Catechismo accuratius explicato vicere animos, magna vt admiratione rara sit secuta multorũ conuersio, religione cæterorum animis iniecta, complures ex iis qui commercii causa in portu versantur ab hæresi ad veram pietatem reuocati, compluresque alii Doctrina instructi Christiana. Adolescentis vnius fortitudo & indoles laudanda, qui blanditiis, & minis quibus poterat renitente patre, nihilominus veritati constans adhæsit, Deum potius salutis Authorem, quam parentem, secutus.

COLLEGIVM XERense.

DVodecim tenuere socii, sex Sacerdotes, è quibus vnus litterarũ Professor, studiosus vnus nondum sacris initiatus Grammaticam classem ducit, reliqui domesticarum rerum Administri. Auctæ congregationes virtute & numero ciuium optimorum, scholas nostras ducenti Adolescentuli adeunt, studio Doctrinæ Christianæ à teneris & frequenti Sacramentorum vsui asuescunt, multi in carcere constituti, grauibus admodum rebus compositis opera nostra adiuti sunt. Eiecta libidinum mancipia, turpes ex ædibus mulierculæ, iniusta lucra multa restituta. Viri primarii quinque ob diuersas suspiciones, suggestionesque vxori quisque suæ, infensi mortem parabant, vnus Sacerdos noster placauit animos omnium, vitam gratiamque coniugibus

conciliauit. publica totius offenſione ciuitatis, vir nobilis filium oderat infenſis animis, & viciſſim filius, male volebat patri. poſt multa iurgia longaſque rixas, ad noſtros vtriusque conſenſu delatum arbitrium, faciliter Deo dante, totius comprobatione ciuitatis res eſt compoſita. Sacra ſuppellex aucta ornatu diuite. pars vna templi exædificata bene capax, expenſis duorum millium aureorum. quingenti eorum amicorum liberalitate donati ſunt.

COLLEGIVM VBEDAnum.

Octo tantum numerauit hoc anno Socios, Sacerdotes quatuor, totidem fratres, cum ad ſacræ Euchariſtiæ communionem Sodales conueniunt, nobiles plerumque ſexaginta ; ciues inferiores plures numerantur trecentis, exemplo perinde, vt fructu ciuitatis eximio: Sodalium nomen, eo apud homines loco eſt, vt maxime ſit optimo cuique commendatum, & in votis ; plerique qui difficiliores eſſe videbantur dum valerent, ſi in ægritudinem incidant, mori ſe bene beateque poſſe negant niſi in Sodalitatem admittantur. Viris nobilibus duobus omni ſeptimana electis, congregatio captiuis in carcere patrocinium præſtat in iudicijs, multos è vinculis liberat, minorum ciuium Sodalitas Doctrinam amplexa Chriſtianam, fructum annis ſingulis vberiorem remittit. Iuſtitiæ forum hac in vrbe ſæpe nullum , Martia

gens,

gens, ad manum, & ad arma promptior, & ideo pro contentionibus & inimicitijs strenuè est à nobis, feliciterque laboratum, prius vt extincta sint odij semina, quam deflagrarit incendium. Frumento collato, & pecunia Collegio data, ciuiumque liberalitas domesticam leuauit inopiam.

COLLEGIVM ASTIgitanum.

OCto & viginti fuere hoc anno in hoc Collegio. Sacerdotes decem, Studiosi domestici totidem, cæteri fratres Coadiutores. Ex Sacerdotum numero in Scholis occupantur quinque. tres Humanitatem legunt, Philosophiam vnus, vnus item de iure conscientiæ quæstiones explicat. res domestica quinque ducatorum millibus aucta est, non statim eis fruitura Societas, sed cum è viuis excesserit nobilissima Fundatrix Domina Beatriz de Monsalue, quæ hoc liberali dono nos denuo obstrinxit.

Ad ornatum altaris præter alia non parui pretij, antipendium cum casula additum phrygio opere eleganter textum centum septuaginta aureorum pretium fuit Studio literarum virtutisq; perinde, vt numero iuuentuis, Scholæ hoc anno floruere: æque externi, qui nos frequentant, vt ipsi domestici proficiunt. ad lectionem Theologiæ moralis, quæ quotidie habetur, omnes fere totius ciuitatis Clerici confluunt, magno, (quod vsu compertum est) & ornamento ipsorum, & animorum solatio ac fructu. Excur-

COLLEGIVM GVADI-xense.

IN hoc Collegio morati quatuordecim, quinq; Sacerdotes, ad studia Scholasque regendas è studiosis vnus, familiæ ministerijs obeundis fratres octo. Ne toties repetendum sit, communis est omnibus Prouinciæ Collegijs & Sodalitijs in carceribus & hospitalibus obeundis caritas, in Catechesi tractanda diligentia & crescit indies fructus. Episcopus nostræ Societatis amantissimus. Lætis anni auspicijs rem diuinam celebrauit in templo nostro, conuocatis è Clero dignissimis quibusque & Magistratibus vrbis præcipuis, quibus ipse, & nostris omnibus sumptu suo domi nostræ opiparum & liberale prandium singulari beneuolentiæ argumento instruxit. S. Torquatus, in cuius patrocinio est oppidum Guadixense, etiam templi nostri diuus est tutelaris. Cũ festus eius dies magna celebritate ageretur, decreta fuit ab Ecclesia maiore in ædem nostram cum reliquijs Sanctissimi Martyris supplicatio solemnis, Ordo tam Ecclesiasticorum quam secularium Magistratuum splendore magno frequentissimus conuenit, ciuium præterea multitudo innumerabilis, ornatus per vias vna cum tripudijs in Hispania ad religiosam lætitiam vsitatis, præter morem diues, iuxta & elegans. Sumptus omnes ære suo & animo liberali Episcopus dedit. idem & maior etiam aliquanto; Sancto Fandilæ Martyri honor est habitus, conuenientibus ad

ornan-

ornandam celebritatem omnium ordinum viris religiosis. Magnæ de rebus difficillimis & inter viros grauissimos opera nostra consopitæ controuersiæ. Vicina oppida obita cum fructu.

COLLEGIVM FREXE-nalense.

ALere solet decem è nostris, Sacerdotes 5. pari numero fratres. accessit nouitius vnus ad ministerium domesticum admissus, ad rem familiarem vinea comparata cum horto nostris vsibus commodo, pretium numeratum, quingentorum quíquaginta quatuor aureorum. excurrere nostri ex hoc Collegio in proxima oppida, magno æque fructu atque laboris compendio, odia inueterata deposita complura, subita vnius hominis memorabilis conuersio, concionem cum audierat nostri Sacerdotis, familiariter ad eum accessit, & mortem duobus inimicis diu meditatam proximo se die destinasse aperuit. Socios habere sceleris totius conscios coniuratosq;, ad manus ad facinora promptos homines, certum esse decretumque non occidere modo homines, sed vltionis, odijque exemplo immani, in frustra minutatim secare, atque discerpere, & eo se sportam habere comparatam, qua membra frustatim adnumerata colligat, horam iam, occasionemque diu captatam aduenisse, differri rem vltra diem sequentem nulla ratione posse, & addẽs ait, pater vides hanc meam vestem atram qua incedo, nigrior est equidem anima mea, tristiorque con-

concepto facinore.multa cōtinuo noster adferre cœpit vt hominem deterreret sed nulla animus intractabilis consilia admittere volebat. tandem homine semoto à turbis, imaginem Redemptoris nostri è Cruce pendentis de pectore cū prompsisset Sacerdos noster flexis genibus rogauit hominem, vt per vulnera eius & pretiosum Sanguinem, per tormenta ipsius & merita vinceret hac vice obstinatum animum, & vel exemplo eius & imitatione, vel causa ipsius dilectioneque remitteret iniuriam. nihil opus pluribus. nota vis est signi Saluatoris, statim exuta prorsus omni immanitate, posito furore, proiectus & ipse humi, iniuriam condonauit, litteris statim datis ad coniuratos, vt nihil eorum quæ inter se constituerant, adimplerent. Excursio altera in oppidum Encina sola nuncupatum. ipse Pater Rector cum alio Sacerdote dies quindecim impendit operæ, difficilis initio aditus, sed fructus animarumque salus procurata multarum, facile laborem omnem difficultatemque superauit. omnes toto oppido onere deposito conscientiæ Christique sacro sumpto Corpore, multis modis ad bene beateque viuendum adiuti, æque nos ægre abire à se passi sunt, atque initio admittebant, deprecantes ne se desereremus inposterum.

Instituta hoc anno primum congregatio nomine præsidioque Conceptionis immaculatæ Beatissimæ Virginis MARIÆ: lætis principijs vberem promittit vrbe tota messem, visa statim ipso initio mutatio morum, iurandi temeritas coërcita, exercitia pietatis excitata.

rarus

rarus erat qui sæpius quam quotannis semel ad confessionem accederet, quadringenti iam Sodales mensibus conueniunt singulis, vt diuino Sacramento pascantur. Sensit ipsa Sodalitas opem præsentem aliquoties à patrocinio Virginis profectam. Adolescens nobilis mulierculæ prouocatus illecebris, hac sola vicit recordatione, Sodalis sum B. Virginis, si non est mundus, qui non viuit vt mundus, nec profecto sodalis est sodalis, si non viuit, agit, loquitur, vt Virginis immaculatæ sodalis, caste scilicet & pure, atque illo tanquam impenetrabili scuto, tela omnia cupidinis represit. Alteri pugna erat anceps multumque dubia cum animo suo, daret ne Congregationi nomen, & male agendi consuetudinem ablegaret à se, an contra trahi se vinctum, captumque peccandi consuetudine pateretur, & nihil inposterum de Congregatione cogitaret. Vicit, vt est procliuis imbecillitas hominum, pars deterior, posthabito Virginis sodalitio, negauit se iuramentis solitis, vitæ prioris moribus abstinere posse. Sed quæ Dei est, Virginisque clementia, nocte cum angustijs premeretur malæ conscientiæ, ipsa Misericordiæ Mater per visum se ei obiecit, Matrona Maiestate grauis, voce etiam alia qua solent homines, & quid agis tu? (inquit) quid ego hoc de te merui, vt sodalitas tibi mea iaceat contempta? & libidinem potius tuam, quam virtutem sequaris? nec verbum addidit vltra, nec opus fuit, turbatus verat homo monitis, & cœli voluntate tam certa, omnia postridie consilia mutauit, vt primum potuit, orto statim die Patrem euocauit qui sodalitatem

litatem regebat, non erat verbis opus, perturbatio ipſa inſolita, & metus adhuc in vultu, & in oculis inſidens facile loquebantur: ſtatim renarrata, ipſo eo die in congregationem Virginis eſt adlectus: nunc in ea verſatur magno animi ſui, & ſolido gaudio, & præcipuꝰ inter eos qui raris exemplis enitent, quique virtutem omnem, pietatemque ardenti ſtudio ſequuntur. Dies inſtitutæ congregationis ea religione, ſolemnitateque fuit ornatus, vt non meminerint huius loci homines, diem ſe vnquam ſimilem vidiſſe.

COLLEGIVM MONTELLAnum cum Domo Probationis.

MOntellæ iuxta Probationis domum, in eodem domicilio Collegium eſt. Sexaginta numerantur noſtri. tirones partim, partim veterani: inter tirones Sacerdotes duo tertium agunt Probationis annum, duodetriginta qui litteras didicere, ad ſtudia admiſsi, reliqui ad operam domi præſtandam. veterani Sacerdotes numero ſex, Magiſtri duo nondum initiati ſacris, Grammaticam docent, fratres adminiſtri domeſtici duo item legendi, ſcribendique vernacule peritia, paruulis præſunt. cæteri domi miniſtrant. Diem ſuum obijt frater Michaël Hieronymus, Hiſpali natus, certo (vt eſt vſus in Societate) immotoque gradu ad laborem domeſticum Coadiutorum, annum agebat ætatis 61. 40.

ginta totos annos in Societate versatus, studio religiosæ modestiæ, charitatisque insignis, cui vel illud inprimis curæ, ne dicto suo aliquo vel facto quemquam offenderet, potius vt igniculis additis omnes ad studium diuini amoris accenderet. Patres confessarios præcipua habebat in veneratione, accurata ad eos diligentia adcurrens quoties ad munus euocabantur suum, præsertim si infirmorum essent subinde confessiones excipiendæ. nec minus, valentes exhortabatur ipse per opportunitatem, vt rationem salutis haberent suæ, nec pœnitentiam differrent. amor eius in B. Virginem singularis, atque istud mirum inprimis: ætate fessus cum esset fractisque viribus, seu mane, seu medio die, seu nocte ipsa sera, nunquam nisi in genua humi acclinatus visus est orationem peragere, aspero vsus flagello ad extremum vsque. dies horasque certas, quas corpori castigando constitutas habebat, nec puncto quidem immutabat, tandem Sacramentis more & vsu Christiano munitus, ita hinc à nobis abiit, vt insignis constaret animi ipsius cum diuina voluntate conformatio. nouissima fuere verba, siue viuam, siue moriar, Domini sum, in vtrumque paratus, statuat hoc de me diuina bonitas, quod eius diuinæ voluntati beneplacitum fuerit.

Cæterum quia duæ sunt vna in domo hominum classes, bifariam diuidenda epistola est. nouitij primo loco (quod ijs maxime propositum est) strenue in ea incubuere studia, quæ sui ipsius, & rerum terrenarum contemptum promouent. peregrinationes more pauperum obitæ, feruor


ex

ex peculiaribs Suocietatis nostræ meditationibus, opinione maior. alij cantharis onerati per vias publicas aquatum: iuere alij iumenta fimo onusta per oppidum egerę. alij legumina in horto collecta in forum venalia tulere: pro se quisque strenue cum alacritate & gaudio, vt ipso statim aditu nouæ vitæ, verè germaneq; Soc[tis] filios, ingentibus animis magnos ad studium religiosæ demissionis progressus fecisse cognosceres. Festum B. P.N. Ignatij quasi à luce & igni nominis ardorem duplicauit animis, vt id temporis & circa ferias solemnes Sanctißimi Corporis Christi maior alacritas in exercitamenta eiusmodi, cæterasq; domandi corporis asperitudines oculis fuerit notata.

Veterani ad vtilitatem ciuium Societatis munia exercent, fructus ijdem, qui vbique paßim à nostris. Sed hæc notata sunt rariora; distributis inter pauperes coronis precarijs insignis in Dei Matrem pietas excitata, neminem vt sit reperire tam proiectæ negligentiæ, qui non quotidie globulis per sertum decursis pensum illud persoluat. Bis anni septimana communiter, ter maioris Ieiunij tempore primarij viri tam Ecclesiastici quam seculares, sub nocturnas tenebras in æde nostra flagellis vltroneisque verberationibus carnem castigant, Psalmo Miserere dum verberant solemni musica decãtato. Æthyopissæ vnius memorabilis visa est ad maiorem Dei gloriam conuersio. Domini quibus illa seruitutem seruiebat commendabili pietate homines, baptismo eam volebant maxime lustrari, refugiebat ea multum, & peni-

tus oderat appellationem Christiani nominis, fuit ea dexteritas vnius ex nostris, qui tenebris infidelitatis discussis cum auxilio boni Dei lucem attulit animo, vt accensa iam cupidine votis expeteret omnibus, quod ante tantopere fuerat execrata. Sed ægre salutis inimicus prædam sibi è faucibus eripi passus, nocturnis eam spectris, terroribusq; vexabat: adeo vel medio noctis conticinio eiectam è lecto miseram affligebat, multisq; modis male mulctabat. nec sciebat illa quid ageretur, donec excitata tandem clamoribus hera domestica intellexit esse dæmonis violenti insultus. tunc vero desideriis ingentibus icta magis ex animo contendit, ne differretur longius, quod esse sibi tam salutare intelligeret: paulo post gaudio, concursuque oppidanorum magno, voto suo in æde maxima ritu solemni, & maxima celebritate, quam herilis curauerat liberalitas, & munificentia, baptizata est, grata beneficiis acceptis, vereque Christiana, vt à Patre instituta est, & ab heræ exemplo didicit, pie viuit admodum, sæpeque memorat, si libertas eo ipso tempore, grato munere oblata fuisset, videri sibi tantum bonorum cumulum, tantumque ac tam solidum animo gaudium, quam vnda salutaris contulit, ad ferre minime potuisse. Concionem domi, foris, in parœciis, in templo maximo habitæ totius decursu anni frequentia maxima, fructus argumentum maximum; morum est in melius quotidiana mutatio, vt oppidum quotannis diuersum videas. Catechistica institutio multum celebris, singulis mensibus è Scholis nostris longus ordo comitan-

mitantibus domesticis vicos obit, locis quibus est maior hominum frequentia, parata concio, exemplorum factorumque illustrium è vitis Sanctorum vis est & efficacia maxima. Templi supellex eleemosynis aucta, byssо & linea tela subtiliore in vsum altaris, Sacerdotumque collata. Hierotheca, quæ anno superiore magno fuerat impendio parata, auro iam est incrustata. Auctæ pietate & numero Scholæ, simul qui latine discunt, & literas formare, ac in verba sententiasq; prima litterarum elementa colligere. quadringentorum numerum excedunt. Academia inter illos instituta ex flore iuuenum, tutelaria sua habent festa, maiores, minoresque, & Academici distincta, certamen inter illos religiosum, diem quisque suum vt habeat ornatissimnm, Letaniæ solemni musica omni Sabbato canuntur, loci huius ad studia quietemq; opportunitas, simul cura Magistrorum vigilans, & adcurata multos omnino traxit ex locis remotis ad nos potius, quam ad alias ciuitates vt studiorum causa confluant. Aliqui se ad alias contulere religiosorum familias, ad nostram vnus bonæ indolis & expectationis.



COLLEGIVM ANTI-quarense.

IN hoc Collegio, seu potius Domo, octo vixerunt ex nostris, in sacris ministerijs Sacerdotes quatuor, totidem in domesticis fratres. ad vsum Sacramentorum fuit toto anno tanta frequentia, vt tritum communi sermone iacteretur prouerbium, in templo Societatis quotidie Pascha videri. Die B. Mariæ Magdalenæ cum haberetur concio de eius conuersione, duæ prostitutæ pudicitiæ mulieres è lustris exiuere & fornice libidinis, comitatus prætor vrbis omni præcipua nobilitate, dies aliquot in domo sua liberaliter & honeste eas habuit, donec & à Sacerdote nostro ad morum honestatem doctæ fuere, & collecta pecunia viris in matrimonium datæ. Fructus operæ constat, rebus omnibus Dei beneficio ad votum fluentibus, orto inter nobiles viros & prætorem ciuitatis dissidio, asperatis animis subito ad manus & ad arma ventum, stricto vtrimque ferro, magna perturbatione & offensione publica ciuitatis, tenuit complures dies offensio, machinis hinc inde varijs in exitium destinatis, donec moniti nostri, hora sub noctem constituta conciliandæ pacis gratia partes in Collegium cõuocarunt, paucis ibi rationibus in medium allatis inimicitia deposita, datis dextris, pax in suum locum, beneuolentiaque restituta est. Adolescentuli qui publici Ludimagistri Scholas frequentant,


tant, singulis mensibus habito de Sacramentorum vsu sermone, postquam rite sunt confessi nostris, vno in sacro quod eorum causa celebrari solitum est, omnes ad Eucharisticum epulum admittuntur.

Congregatio in hac Domo alia non est, quam eorum qui pœnitudinis gratia bis omni hebdomade ad spontaneam diuerberationem conueniunt. plerumque exhortatio ab vno è nostris ante corporis diuerberationem præuia est. Excursiones nostrorum vtiles fuere, solitis nostræ Societatis exercitationibus & ministerijs ad hominum vsque admirationem Rondæ præcipue populi Magistratusque beneuolentia comparata, serio vt de Collegio petendo Senatusconsultum habuerint, verum cum intelligerent hoc tempore commodum non esse, cnm Episcopo egerunt per litteras, vt impediret reuocationem nostrorum, neque redire nobis licuit alia ratione, quam fide data, spatio nos alias longiore cum opportunum esset, redituros promitteremus: cuius quidem promissionis fidei iussorem esse voluere Episcopum, cui tanta tamque præclara scripsere in commendationem Societatis, vt præsul optimus quauis occasione data non de alia re frequentius, quam de opera & laude Societatis loquatur. Sed in ciuitate dicta ante reditum nostrorum hæc præcipue sunt effecta. Indulgentijs quas excursionibus nostrorum summus Pontifex concesserit publice per concionatorem propositis, ille fuit ad sacramenta concursus, vt maior esse ipso die Paschatis non posset

omnium Sacramento confeſſionis animis expurgati, Euchariſtia ſacra refecti, contra deteſtabilem iurandi conſuetudinem eo dictum eſt animi feruore & motu, nulla de re vt magis ſint ſoliciti ciues, quam ſcripto habeant, ne memoria fallat, formulas execrandas, quas male notauit pro concione Sacerdos noſter, remedijs etiam additis, quibus improbum morem corrigere liceat. Eadem dicendi vis contra luxum libidinemque valuit, fuere ſtatim qui finita concione conſilia peterent, quibus peſſimi exempli licentia in perpetuo quorundam concubinatu exturbari ex vrbe, amandarique poſſet, profuit & in odia fuiſſe orationem inuectam, deleta plurima, ſopita ſunt alia, fuit qui toto commotus animo & corpore ad pœnitudinem, ſtatim adiret Sacerdotem noſtrum, fractum victumque contumacem animum confeſſus, iam ſe velle pacem cum inimico, ſi ſecum ire vellet noſter, & hominem conuenire, numquam ſe in domum ſuam rediturum, niſi redintegrata gratia, iuit vero & lubenter Sacerdos, & amici aliquibus annis inimicitia diſtracti in gratiam familiaritatemque priſtinam reuocati. fuere qui ex oppidis Antiquariam ſoliciti recurrerent ad Collegium, & quæ Dei virtute, noſtrorum opera fierent, omnia cum ſui animi gaudio referrent. Quæ ad Senatum habita eſt exhortatio curam ſolicitudinemque addidit animis pro ſuo quiſque vt munere magis ex animo, meliuſque in Reipublicæ bonum intenderet. Simul patricij omnes Senatuſque totus, vt ciuibus exemplo præirent, celebrante noſtro Sacerdote, de altari

paſti

pasti recreatique sunt. ad Clericos perinde sua propria concio, & ad vinctos in carcere, curatum postridie vt confessi omnes ad cœleste cōuiuiūm accederent, deinde eleemosynæ liberaliter datæ, & pauperum fames epulis triduo mirifice collatis exempta est. Fuere nostri etiam in ditionem Hispalensem euocati. nomen oppidi Canneta regia, consilium euocandi fuit instituta congregatio Sacerdotum, ac honoratorum ciuium, ac nobilium hominum, vt formam à nobis modumque reciperent, quo iuuari præcipue, retinerique Sodalitas ea posset. Visum communiter omnibus non alia ratione melius quam directoribus nostris fieri posse. ita ex loco viciniore potius illos euocare, & summam rei eis committere, constituere. multa interim ad morum vitæque mutationem proposita. Chrrstiana Doctrina per vrbis compita, magna celebritate decantata, optimo quoque & nobilissimo de ciuibus comitante, neminem vt omnino putent, vel è secularium, vel Ecclesiasticorum Ordine, qui aliquo sit inter eos loco, abfuisse, magna sinceraque dilectio erga Societatem nostram litteris datis constat. quibus litteris nihil tam solicite agunt, cordatèque, quam solicitare, nostri vt ad se crebro mittantur. ad ornatum templi mille ducenti aurei liberali eleemosyna collati, ex ijs ad altaris frontispicium contegendum diues cum suis fimbrijs auro intexto pannus quingentis aureis comparatus.



LITTERÆ ANNVÆ PROVINCIÆ SARDINIÆ SOCIETATIS IESV Anni 1608.



Enſentur in Prouincia Sardiniæ Socij duo de quinquaginta ſupra centum, per quinque domicilia diſpoſiti. Sacerdotes vnus & quinquaginta, Scholaſtici duo ſupra quadraginta. Coadiutores reliqui quinquaginta quinq;, vnus morte ſublatus, dedere Societati nomina nouem.

COLLEGIVM SASSAritanum.

ALuit hoc anno Saſſaritanum Collegium octo ſupra quadraginta Socios. Cum his viuere deſijt P. Sebaſtianus Campo, vir ſanctitatis eximiæ, daturus in fine eam, quam apud omnes ſui nominis admirationem reliquit & gratam memoriam.

Quidam noſtrorum induſtria à concubitu cum cognata abſtractus ad meliorem frugem, & Sacramentorum frequentiam ſe recepit. Alius qui

qui peccatorum volutabro implicitus volutabat, generali ſcelerum omnium expiatione, non ſine viſcerum doloris indicio vitam in melius immutauit. Emicuit cæterorum charitas erga carcere detentos, & in eos præcipue, qui ad patibulum ducebantur, quibus non modo ſumma cura, & diligentia conſultum, vt in viam quæ ad ſuperos ducit, pedem inferrent, peccatorum expurgatione, anteactæ vitæ pœnitentia, & ſummæ læſæ Maieſtatis dolore, verumetiam corporum lætitia, cæteriſque omnibus, quæ temporis illius anguſtia ſolet adferre. Damnatus quidam oppidanus vt laqueo è medio tolleretur, in patriam, quæ à Saſſari vrbe diſsidet millia paſſuum duodecim ducebatur, vt manifeſtior pateret agnitæ culpæ punitio; tam ægre pœnam illam inter noſtrorum turbam laturus ferebatur, vt ſuis ſe paſsim coloribus tingeret, & ruborem indiceret, patris tamen, qui eum comitabatur, ita fuit oratione mollitus, vt ad nuptias duci, ſiue magnum euehi dignitatis faſtigium videretur; exceſsit tandem non leuibus futuræ beatitudinis argumentis.

Sodalitas BEATÆ VIRGINIS, quæ ex equitibus & alijs matrimonio iunctis conſtat, non ſecus, ac ſemper Pietatis Chriſtianæ ſpecimen oſtendit: Charitas annonæ ita infimæ ſortis homines, eos præcipue, quos publica cuſtodia, & Noſocomium continet, opprimebat, vt de ſua non pauci ſalute deſperaſſent, ni horum SODALIVM CHARITAS præſentaneo occurriſſet remedio, porrò non modo

tantam

tantam leuare miseriam propriis eleemosynis sunt conati, verumetiam stipem ostiatim cogendo per totam vrbem, maxima ciuium omnium ædificatione, qui tanto permoti humilitatis, ac pietatis exemplo, largius ipsi quoque necessaria erogabant : hos etiam imitati seculares Adolescentes è Sodalitio Purificationis B. Mariæ sacrato, nullum pietatis opus prætermisere ; incumbunt acriter ad virtutum omnium studium, non citra omnium stuporem, qui tantam in ea ætate modestiam nunquam desinunt admirari; ab vno disce omnes. Quidam bombo exploso, & glande plumbea ictus tantum abfuit, vt inflictæ iniuriæ pœnas repeteret, quin potius cum parente indigne ferente facinus tot precibus egit, vt & culpam condonarit, & suæ querelæ finem omnino imposuerit, quod adeo Deo Optimo arrisisse cognoscit, vt, & à periculo imminentis mortis eo facto ereptum, & integræ restitutum se sanitati crediderit.

MISSIONES.

IN quodam oppido non longe ab hac vrbe dissito, grauis cuiusdam hominis honori fuerat illata iniuria, quæ adeo admissi odij vulnus quotidie refricabat, vt ferme nihil aliud præter inimici cogitaret interitum, ansam sibi præberi optabat singulis horis in eum irruendi. Verum Dei miseratione, & Patris monitu effectum, vt & odium deponeret, & totius vitæ confessione expiatus animum sedaret. Non minorem hac; iniuriam

am filiæ raptus cuidam alij pepererat, is eum conceperat vindictæ furorem, vt decem & octo menses odio, & armis semper instructus raptorem vna cum cõsanguineis, quibus furorem ipse excitauerat, quæritaret ad necem. Verum Patris oratione ita est hominis animus immutatus, vt & ipse abstinuerit vindicta, & consanguineos ad sui imitationem impulerit. Miserandus quidam homuncio septendecim iam annos peccatum in confessione reticuerat, quam ob rem toto vitæ spatio semel tantum licet quadragenarius esset, ad sacram Eucharistiam accesserat, generali tamen sordium ablutione à metuendo illo perditionis statu Patre dirigente liberatur.

Alio in oppido vnus ex nostris plures quinquaginta generales audiuit confessiones. Quidã Patris concione permotus, auxit religiosæ familiæ numerum, vouit alia Castitatem, & Obedientiam.

Primarius quidam vir, apud quem pater cum socio diuersabatur, & eiusdem filius per hebdomadam sese in B. P. N. Ignatij meditationibus quæ primæ assignantur, exercuerunt, tanto animi solatio, vt dicerent aliquo modo secum actum ad Zachæi similitudinem Christum Dominum excipientis.


Alterius oppidi incolæ Patrem non modo expectabant, sed auide expetebant. Hi præcipue qui in gregum custodia occupantur, modum suæ lætitiæ facere non valebant, cum hominem à cõfessionibus se faterentur adeptos, cui liceret, & vlcera aperire confidenter, & præsentaneum ex-

pe-

pectare remedium; ex his accessere nonnulli, qui biennio, alij triennio, alij quadriennio, & septennio peccata non aperuerant, tanta vndique confluebat pœnitentium multitudo, vt vix faciendi rem sacram sumendique cibum tempus suppeditaret, cum his pater aliquando se omnibus satisfacturum impossibile esse dictitaret, eamq; ob causam adhortaretur eosdem, vt parocho, ac reliquis Sacerdotibus peccata faterentur; potius in caulas omnes se reuersuros respondent, quam alij præter eundem conscientiam detecturos.

Ex alio oppido patri eidem accersito nox medium clausit iter coegitq; intra nemus quoddam expectare diem, vbi primum apparuit ignis, ad frigoris iniuriam arcendam excitatus, fit maximus pastorum concursus, exulum præcipuè, qui in nemore illo latitabant. Hi quoniam patrem adeundi copia non fiebat, abstinuerant à pœnitentiæ Sacramento per aliquot annos; vt cognouit pater miseros illos ita disponit, vt nocte illa peccatorum sarcinam oẽs deposuerint; mulier ita variis afflictabatur à cacodæmone vexationibus, vt quieti nullus concederetur locus, modo eam spectris territabat, modo in somnijs, modo fragoribus, ac mille omnino terriculamentis infestabat, timorem incutiens; vbi sacros B. V. globulos recitandos manibus assumebat, fastidium pariebat; tantam infœlici fœminæ incutiebat indignationem, vt eos ab se statim repelleret, deijceretque in ignem. luctabatur ipsa secum assidue, obstabatque, sed victrix nunquam euasit, præcipue cum adeundi templum cogitatio insidebat

debat animo; eoque illam miseriarum adduxerat, vt effrœnatos libidinum motus comprimere nullatenus valeret; prorumpebat sæpissime in quosdam tam fœdos, & histor a indignos actus, vt facile ex ipsis agnosceres auctorem; ingreditur templum aliquando, nescio quo pacto (diuina procul dubio miseratione) ingressa audit concionatorem increpantem scelerum in confessione occultores: statuit ibi suæ vitæ quærendum ab eodem remedium, sibi namque retinuerat scelus, dum cætera aperiret non raro Sacerdotibus, annos sexdecim. desperabat omnino, seq; traditam tartareis ex hac vita tortoribus, vt etiam in alia perpetuo torqueretur, asseuerabat. Pater iubet, eam bene sperare, abluitur totius vitæ sordibus generali confessione; datur tanquam vitæ amuletum cereus Agnus, & N. B. P. Ignatij effigies, quibus nullo ferme negotio molestiarum, & turpium cogitationum dispulit nubem; frequentauit Ecclesiam, & deuote valuit percurrere coronam. Ab esu carnium deterriti sacri Ieiunij tempore nonnulli, qui leuibus egestatis causis religioni minime fauebant, & pauperibus tandem victus, & alia ministrata.



SVM-

SVMMA SEV BREVIS QVIDAM EPILOGVS RERVM AD VITAM, ET obitum Patris Sebaſtiani à Campo ſpectantium.



Ater Sebaſtianus Campo natus fuit in ciuitate Saſſaritana à patribus non minus pijs, quam honoratis; in qua poſtquam Grammatica fuit, & litteris humanioribus informatus, eaſdem progreſſu temporum, cum magna & ciuium laude, & addiſcentium vtilitate publice profeſſus eſt: curans ſummopere in eorum animos vna cum litteris, lac totius virtutis, & pietatis inſtillare. Adoleſcétiæ annos ingreſſus, quamuis à diuinæ legis ſemita non nullatenus deſtauit, rediuit tamen, & omnia, quibus ad Deo ſeruiendum innectebatur, retinacula, prorſus abrupit. Sacerdotis deinde munere inſignitus, tanto cum ſtudio in vitiorum extirpatione, & cupiditatum moderamine inſudauit, vt ſub ſæcularis Clerici habitu, perfecti, & numeris omnibus abſoluti religioſi virtutes præſeferret. Impendebat tantum temporis orationi, vt Sabbathis omnibus ab occaſu ſolis, ad ſubſequentis vſque diei gallicinium, & flexis genibus, & nudo capite (quando etiam frigus rigidius ſæuiebat in corpore) coram effigie B. V. Annuntiatæ in Noſocomio perſiſteret. Faciebat rem diuinam diebus ſingulis, ad quam ſicut ſe per ſemihoræ ſpatium, pia aliqua meditatione comparabat, ita eandem finito ſacro, in longius protrahebat.

bat. Amplectebatur magno cum ardore ſpiritus alias corporis afflictationes, cædebat ſe crebro, & rigide verberibus. Tranſigebat ieiunio dies omnes Veneris, & Sabbathi per totum annum: Quadrageſimæ vero tempore, nullum aliud obſonium, præter panem, & aquam, ad prandium adhibebat. Tenebatur maximo humanarum, & diuinarum ſcientiarum deſiderio, quibus vt commodius, & liberius nauare poſſet operam, Valentiam verſus conceſſit in Hiſpaniam: quo in itinere, Deo ſic permittente, à Turcis fuit abductus in ſeruitutem, emptuſque Argerij à quodam homine truculento valde, & belluinis induto moribus; religionem ſiquidem abiurauerat Chriſtianam; quem adeo ferum & immitem erga ſe experiebatur, vt præterquam quod diebus ſingulis, ad grauiorem, quam ferre poſſet, laborem compelleret, fuſtibus ei tundebat latera, & ad virium pene exhauſtarum refectionem neceſſaria denegabat. Quod eo maiori dignum videtur admiratione, quo is noſtræ religionis iniquiſſimus transfuga, maiorem de Sebaſtiano conceperat probitatem: ſolebat enim eum, vt egregium, ſãctum, ac fidele mancipium cæteris prædicare; Sebaſtiani quippe ſanctitas non poterat non infidelium Apoſtatarum obnubilatis mentibus innoteſcere; quamuis ceſſat prorſus admiratio, ſi inhumani huius hominis, Gryphi potius auariſſimi, animus ſpectetur: tam inexplebili enim ſiti circa numos cumulandos ardebat, vt cum ſuum in animum induxiſſet, magnum ad ſe auri, & argenti pondus, ex Sebaſtiani redemptione, venire

posse, vexabat eum quibus poterat modis, vt quanto citius de hac cogitaret redemptione, vt optatum ipse aurum possideret. Sed tolerabat id omne magna cum submissione, ac spiritus alacritate Sebastianus, aliasque sponte à se susceptas macerationes adiungebat: proripiebat se suo ex humili, in quo cubabat, strato solo, scilicet duabus post intempestam noctem horis, quo tempore horas Canonicas recitabat, & cum Deo suauissime colloquebatur, quousque destinati sibi laboris tempus, quem à primo mane in sui heri fundo excolendo ponebat, adesset. Erat magno solatio, & leuamine Christi fidelibus omnibus, qui secum seruitutis iugo premebantur; & quibusdam quasi admotis faculis, omnes in Dei amorem succendebat: hos erigens, qui timore ac desperatione frangebantur; illos vero diuino plenis spiritu rationibus confirmans, quos in fide posse facere naufragium coniectabat: ex quo factum fuit, vt plurimos ad Ecclesiæ gremium reuocaret, qui Christiana destituta religione Maumetanam fuerant legem pestilentissimam amplexati: quos cum litteris ad Sardiniæ Inquisitionem mittebat, per quas submissiori, quo poterat, modo, cum Inquisitoribus agebat, vt suo se de more cum illis humaniter gererét; & quando de sua captiuitate sermo incidebat, solitus erat dicere; illud tempus tanti facere, vt nullum illi aliud esset propositurum; licet tot ei mundorum offerrent imperium, quot esset syderibus plenum cœlum, & sua iam ætate in extremam magis properante senectutem asseruit, ex toto eo tempore, quo

quo lucis huius vſura potitus fuerat, nullum illo ſuæ ſeruitutis, aut præſtantius, aut vtilius ſuæ animæ extitiſſe.

Demum inter eos, quos ad Chriſtianam, quam repudiarant, amplectendam religionem adduxerat, Genuenſis quidam numerabatur, qui cum ſummo, & incomparabili ſe à Sebaſtiano affectum crederet beneficio, quod per eum vitam ſpiritus recuperaſſet, & ab ea mentis reſipuiſſet ſtoliditate, qua tam impie delirarat, ſuauiſsimum Chriſtianæ legis iugum à ſuis humeris excutiens, & in denſam errorum caliginem impingens, voluit tãti beneficij memor exiſtens, ipſum non modo memoria colere ſempiterna; verum & re ipſa ꝓ ſuo modulo remunerari. Quare cum eum ſeruitute corporis preſſum videret, à quo ipſe fuerat in libertatem ſpiritus vendicatus, libertatem libertate adnitens compenſare, Sebaſtianum numerata pecunia redemit; poſtquam tres anni à ſuæ ſeruitutis initio euolaſſent. Non paſſus eſt Sebaſtianus hoc officiũ in ſuo animo emori, ſed maiori quam antea diligentia, ſtuduit inpoſterũ eundem in ſalute animę conſeruare, quem tanto cum labore curarat, & ab æternæ mortis periculo eripuerat: nec deſtitit, quouſq; ipſummet à pernicioſo illo barbarorum cõtubernio, & infidelium Apoſtatarum contagione euocaret, & ad terras Chriſtianorum deueheret. Nam cum Genuenſis ille amore patriæ teneretur, ad eamque cuperet remigrare, & exitum aliunde ſibi videret vndique intercluſum, conuenit, vt ſolebat, Sebaſtianũ in tanta rei difficultate, ſuiq; animi propoſitũ illi

communicans, modum, quo illinc aufugeret, efflagitauit: quem ille adeo facilem Sebaſtianus à Deo illuſtratus edocuit, vt eius conſilio, & directione breui ſe potuerit ſimul cum vxore, alijſq; vndecim captiuis Chriſtianis, nec non vna cum ipſo Sebaſtiano huius facti Duce in tuto ponere, atque ad optatam Genuam peruenire. Vnde per eundemmet Sebaſtianum ſuo fuit Præſuli, ac Paſtori, tanquam ouis deperdita reſtituta. Inde Sebaſtianus tot animarum ſpolijs, ac victorijs, quas Deo acquiſierat, iam onuſtus, ſuam verſus patriam iter deflexit: ad quam fœliciter, & magno cum ſuorum gaudio perueniens, paucos poſt dies propoſitum illud executioni mandauit, quo Argerij detentus Religionis ſtatum in Societate Ieſu capeſſere deliberauerat; cuius Nouitiatum ibidem commorans, non modo viſus fuerat peregiſſe, verum & inſtitutum etiam, tum ſuæ, cum aliorum ſaluti attendens exercuiſſe. Dedit nomen Societati Menſe Iulij, anno ætatis ſuæ quadrageſimo ſexto, à Chriſto vero nato, ſupra milleſimum quigenteſimum ſexageſimum ſextum. In qua ſtatim ac ſe collocatum agnouit, non ſolum quidquam de vitæ priſtinæ rigiditate remiſit, aut detraxit, quin addidit plurimum, eamque adauxit mirum in modum, edomans ſæuis carnem ſuam, non verberibus tantum, quibus ſe noctibus ſingulis caſtigabat, verum & cilicio, & mira quadam in cibo parcitate, & femoralium ex equinis ſectis contextorum geſtatione: quæ nunquam ſolitus erat alternare, niſi linteis, & ſimplicibus, attritiſque ſubligaculis, quando hiemale tem-

tempus aſperius inualeſcebat. Quoties ei à ſomno contingebat expergiſci, toties ad verbera, qua cunque ex materia, etiam ex duro bouis neruo confecto, manum admouebat, & quadam quaſi ſui feritate correptus, carnis contumaciam, non modo coercere, verum & eam quaſi exanguem, & emortuam velle relinquere videbatur; cuius rei optimus exiſtebat teſtis horror, quem, qui ſuo adiacebant cubiculo, ex vehementi verberum crepitu, contrahebant. Ieiunabat perpetuo diebus Sabbathi in obſequium B. V. quam vt incomparabili proſequebatur amore, ita eandem aliquoties meruit diuino cinctam ſplendore, & eximia condecoratam pulchritudine intueri. Sed quamuis tantum in macerando, & compeſcendo corpore ſtudium adhiberet, non ideo negligens erat in animi paſſionibus ſubiugandis, & illis imperio rationis ſubdendis; maiori quin potius diligentia, vt par erat: in hoc incumbebat, excubans aſſidue circa dæmonis technas, & verſutias cognoſcendas, quibus eum in fraudem, & laqueum inijcere contendebat. Sed fruſtra iaciebat rete ante oculos pennati; vitabat enim Sebaſtianus, & eludebat facile omnes illius inſidias, & machinamenta. Nulli vnquam fuit tædioſus, aut moleſtus, neque illius ex ore verbum aliquod, vel inconcinnum, vel mendax, vel aculeatum excidiſſe fuit auditum: qui enim fieri poterat, vt faſtidium, & moleſtiam pareret, qui erga omnes mitis, & benigniſsimus exiſtebat? & qui patientiæ, & charitatis, & miſericordiæ virtutibus inſigniebatur? quomodo aut ſubiraſci, aut mordere

piam auderet? Fruebatur summa cum omnibus pace, & cunctos aureis charitatis vinculis sibi deuinciebat. Tangebatur amore summa, & deuotione permira erga Missæ sacrificium celebrandum, orationisque exercitio maxime addictus erat, & diuinis quibusdam motibus, cœlestique dulcedine adeo recreabatur, vt licet collatorum diligens occultator donorum esset, vix tamen se poterat continere, quin præ nimia, qua agebatur, spiritus vi, suspiria ex cordis penitissimo ducta, & voces quasdam simul cum lachrymis adeo contentas emitteret, vt de longinquo spatio perciperentur: & tum Missæ, tum orationi dans operam, visus fuit persæpe à solo abripi, sicque abstractus, & suspensus in aëre cœlestis lucis radios suo ex capite iaculari. Et cum semel quo tempore sacrum Christi Corpus sumpturus erat, sacratissimam Christi humanitatem, ad pueruli formam redactam aspexisset; hęc ab eo verba proferri audiebantur: Domine non sum dignus: non sum dignus: redi Domine, redi, vt eras.

Atque alias eidem sacræ rei intentus, cum eundem Dominum speciebus subesse Sacramentalibus firmissime crederet, Crucem ligneam, ante altare positam, manibus sat feruide fuit aggressus, & Christum inde pendentem refigere conatus est sic proclamans: viuus, viuus; quam ad vocem qui omnes aderant in Ecclesia concurrentes, stupore perculsi ad inuicem dixere: en ad quantum sanctitatis, & deuotionis peruenit.

Vix

Vix dici poterit Zelus, quo de animarum salute procuranda, indies inflammabatur: nullum renuebat laborem, nullum subire onus, aut periculum hanc ob causam. Obibat loca, & populos ciuitati finitimos, vt eos Christianæ fidei rudimentis instrueret, quibus diuini verbi panem, tanquam paruulis, tanta cum dexteritate frangebat, vt ipsum possent omnes, & mandere, & igne spiritus, quem in eorum animis fodicabat, decoquere: quæ enim docebat, sicut audientium captum non excedebant (namque illis sese pro viribus accommodabat) ita suorum animorum morbis latentibus medebantur. Accipiebat omnium, quas poterat, confessiones, quorum nomina, ne è memoria laberentur, in Catalogum referebat, atque vt sic omnes ad Sacramentum Pœnitentiæ perduceret. Hæc nostræ Societatis munia, tanta cum solicitudine, & animarum fructu exercebat, vt vulgo ab omnibus ceu Apostolus, & Sanctitate plenus vir reputaretur. Sed si tanta cum in aliorum salute per populos, & villas discurrens, se impendebat; non minori sane studio, & charitatis argumento in Collegijs, in quibus agebat vitam, idipsum præstare conabatur. Publicas inuisebat custodias, & valetudinaria: præsto erat ijs, qui in mortis articulo constituti, sanctorum virorum egent auxilio, non deerat pauperibus, in quibus poterat, sed leuabat verbis eorum ærumnas, & labores; & quamplurimis in necessitate constitutis, quæsita eleemosyna succurrebat.

Vbi primum vero ſe his occupationibus videbat ſolutum, in ſuum ſecedebat cubiculum, vbi retruſus nullis alijs vacabat rebus, quam orationi, Meditationi, & lectioni librorum ſpiritualium, eius præſertim, qui de vitis Patrum inſcribitur, hic enim liber illi erat valde familiaris, eumque de manibus ægre deponebat, Sanctorum namq; virorum exemplis, quæ ibi à B. Hieronymo exprimuntur, ad maiorem ſtimulabatur ſanctimoniam, & noua, & ardentiora de ſua perfectione deſideria concipiebat, eademq; exempla, quorum lectione ſuum animum pauerat, crebro in ſuis collocutionibus, modo eſſent cum externis, modo cum domeſticis, recreationis tempore vſurpabat. Præter Miſſæ ſacrificium, quod nunquam omiſit celebrare, recitabat diebus ſingulis horas Canonicas, & officium B. V. & defunctorum, vna cum Pſalmis Gradualibus: ſtabat ſemper, ſedebat nunquam, vt fuit à quamplurimis obſeruatum in ſua cellula, quod non mediocre mortificationis indicium videtur. Inibant de hoc ſermonem ſæpe ſæpius multi ex noſtris, & quaſi per iocum ſolebant dicere, Patrem Sebaſtianum ea plurimum corporis poſitione gaudere, quam eſſet in cœleſtibus habiturus, iuxta illud Prophetæ: ſtantes erant pedes noſtri. etiam quoties ei ex cubiculo pedem efferre contingebat, corpore ad tantam modeſtiam, & humilitatem compoſito, egrediebatur, vt re ipſa in ſe primo cōplere videretur, quod idem tanto cum verborum pondere, & animi affectu noſtris ſolebat explicare, vt ſcilicet ad ianuam vocati, non aliter è cubiculo egrederentur, quam

quam ſancti illi monachi ex eremo, quando cum alijs agendi gratia, in populos ſe conferebant.

Deum ſibi ſuum, vt ſigillum interius, & exterius adeo impreſſerat, vt Deus in mente, Deus in corde, Deus in opere, Deus in vultu, Deus in oculis, Deus denique in toto eius corpore conſpiceretur; ei ſolum modo placere, ei obſequi, & de eo ſolum cogitare curabat. Vnde rumores omnes, quibus vrbis compita perſtrepebant, nón modo ſuas ad aures non accedebant, verum nec ea ſciebat, quæ domi erant omnibus trita, & aperta: ſicque contigit ei ſæpiſſime, ignorare prorſus munia, vel exercitia publica, quæ noſtris eſſent vel patribus, vel fratribus iniūncta per ſuperiores. A fratre quodam Scholaſtico poſtquam annum vnum Philoſophiæ nauaret operam ſciſcitatus fuit, quonam officio diſtineretur? Alium iterum multos iam menſes cum alijs in Collegio commorantem, ac ſi aliunde recenter aduentaſſet. amplexus eſt; & cum de quodam cubiculó, quod ſeptem fuerat annis extructum, & non ſolum à domeſticis, verum & ab externis celebratum, fieri mentionem audiret, tanquam de re vnquam viſa, nec audita, rogauit, vbinam eſſet? Poſtremo eius maturitas, & modeſta grauitas in actionibus tanta erat, vt modeſtiæ amorem in ſpectatorum animis ingigneret, eorundemque ſibi amorem conciliaret. Erat vir apertus, & ſimplex, nec non diuina quadam potius, quam humana donatus prudentia: nulla in eo deprehendebatur ſimulatio, nullus fucus, nulla inerat affectata deuotio. In ſuis omnibus actionibus, & ſi erat

ummopere circumſpectus, maxime tamen in o-
ulorum moderatione, quos non vagos & libe-
os, ſed in ſolum ferme demiſſos ferebat, quando
ræſertim cum mulieribus, colloquendi ſeſe da-
at occaſio. Coluit ſemper mirifice ſuos præla-
os, eiſque ad nutum magna cum promptitudi-
e, & ſubmiſsione paruit. Cum malignis ſpiriti-
us, & humani generis hoſtibus vix dici poteſt,
uot pugnas, quot conflictus, & quot prælia in
æculo, & Religione perpetuo ſuſtinuerit; ſat e-
it dicere, nunquam ex eis victum, ſed victorem
Deo ſibi opitulante euaſiſſe. Plurima, quæ priuſq̃
ierent, prædixit, non aliter, ac ab eo prædicta
uerant, contigere, & arcana plurima, quæ nul-
us niſi peculiari à Deo luce irradiatus potuiſſet
ſſequi, detexit ipſe, & propalauit, atque hoc eo-
em Prophetiæ ſpiritu diem ſui obitus meruit
rænouiſſe: tribus enim diebus, priuſquam ex
ac vita decederet, honeſtas quaſdam fœminas,
quibus in pauperum miſerijs ſubleuandis adiu-
abatur, de ſua fecit morte certiores; quod idem
uobus ex noſtris communicauit. In ſua ægritu-
ine præclara ſuæ ſanctitatis ſpecimina præbuit,
iſque ſe virtutibus præcipue oſtendit inſigni-
um, quæ cuicumque religioſam vitam profiten-
ſunt maxime neceſſaria: nam Patientia in ſui
orbi tædio, & doloribus tolerandis erat ex-
nia, ſingulare ſilentium, quo vtebatur, id e-
im, nōn niſi ab inuiſentibus coactus rumpe-
at, & tunc, vt eorum charitati faceret ſatis, pau-
s ad quæſita reſpondebat: oculos ex ipſo mor-
i initio ad extremum vſque ſpiritum, clauſos
geſsit.

geſsit. Sed quæ tunc temporis in eo maxime virtus eluxit, virtutum fuit omnium Mater Humilitas, quoties enim de cœleſti gloria, aut beatorum præmio, eo præſertim, quo Deus ſuos eſſet labores remuneraturus, verba facere audiebat, non ita ſe attentum præbere videbatur, quaſi ſe tanto bono indignum, totius vero pœnæ reum reputaret: è contra vero quando de inferorum flammis, & animarum illis addictarum tormentis acerbiſsimis præcipiebat agere, gratis auribus hæc omnia excipiebat. Atque eodem fere tempore, quo vitali calore erat derelictus, & iamiam à morte ipſa deuorandus, hæc ab eo verba in exultatione ſpiritus iterabantur: impleatur, impleatur, atque hæc: noua, noua. ex quibus quam ardentiſsimis teneretur deſiderijs diuinam adimplendi voluntatem, & quantopere maiori ſe perfectione ſpiritus innouare concupiſceret, ſatis apparebat.

Obijt tandem quadam correptus febricula intraque paucos dies Auguſti menſe die Dominicæ Transfigurationis ſacro, & octauo anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum, eoque tempore, quo cubitum erant patres diſceſſuri; & patres omnes, ac fratres. qui ei moribundo aderant, ſtatim ac exhalaſſe animam cognouerunt, pedes ſunt illius cum magna ſubmiſsione, ac ſpiritus teneritudine oſculati; partem ſibi ſinguli ſuarum veſtium, vnguium, & capillorum, vt in reliquias viri ſanctitate inſignis vendicantes: per ciuitatē vero vbi primum fuit illius mors cāpanarum

rum tinnitu diuulgata, ciues in hæc communiter verba prorupere: obijt Sanctus, obijt. sicque preces ad eum, veluti ad sanctissimum virum effundere: subsequenti vero die, quando diei ferme dimidium euolauerat, sepulturæ fuit mandatus in templo Collegij nostri Sassaritani, iuxta Euangelij cornu Sacelli maximi, funeream celebrantē Missam Bosensi Episcopo, ad eamque ingenti concurrente mulierum, ac virorum multitudine, eorum præsertim, qui nobilitate, ac literis erant clariores.

Sed quo tempore ipsius cadauer in sepulturam erat inferendum, ea fuit deuotio, commotio potius in omnium animis excitata, vt ad cultros singuli, & pugiones forficesque, quas secum deferebant, manum admouentes, ipsius vestem talarem, aliasque internas cœperint incidere, discerpere, ac dilacerare, non valentibus eos patribus, verbis vllis, ac minis à cadauere arcere. At non contenti vestibus, in cadauer ipsum tanto cum impetu, & ardore animi irruerunt, vt non nullos ex pedibus digitos amputauerint; ex quorum vulneribus sanguis difluxit, quo & sudariola potuerint alij intingere, postquam quindecim horæ à suo obitu effluxissent, quod non potuit non magnam præsentib⁹ parere admirationem, cruor enim, qui decurrebat, adeo purus erat, & nitidus, vt à corpore non emortuo, sed viuo erumpere videretur. Omnes tandem eius reliquiæ, quas sibi cæteri asportauere, cunctis infirmitatum generibus fuere salutares, totque miraculis Deus eas illustrauit, vt tractatum integrum scor-

ſeorſim efflagitent; quem laborem, quod ab alio ſuſceptum agnouerim, hac de re prorſus ſuperſedere decreui, non enim plura hæ annuæ literæ, vbi breuitati conſulitur, efflagitant.

COLLEGIVM CALARITANUM.

Receuſet Calaritanum Collegium Socios quinquaginta. Miſſi ex his octo in vicinos pagos, & oppida ſacri Ieiunij tempore feſtis diebus, ad verbum Domini diſſeminandum, quorum exemplo, & doctrina vberrimi collecti fructus, futuræ horum magnitudinis maxima ſpes, deſudant quippe viriliter in ſpiritus, & ſcientiarum acquiſitione, ſeniorum exciti exemplo, & ædium noſtrarum dilatatione, quibus nouæ fabricæ acceſſio facta non mediocris in ſexdecim diuiſæ cubicula ſatis commoda; quo videmur omnino anguſtia illa liberati, qua premebamur adeo tamdiu, vt ſæculares homines noſtrorum tolerantiam admirati, impoſſibile vitam nos in murium cauernis viuere prædicabant. Quatuor Congregationum fructus noſtrorum labori, qui præſunt, fideliter reſpondet. Reliqua quia communia, alto ſilentio premam. Equites vero, & Primarij viri, ex quibus alia Sodalitas conflatur, frequenti Sacramentorum vſui, Chriſtianæ pietati erga eos, qui cuſtodia publica detinentur, & Xenodochia, egeniſque omnibus ſtudét acerrime. Nec ſuo caruit fructu opificum Sodalitas, quibus & pietas, & Salutationis ſuæ ſtudium non negli-

negligitur. Curata etiam in hoc Collegio æris alieni, & famæ restitutio: præbitæ generalium sordium expiationibus aures. Omnes ferme inclusi carcere ad nostrorum pedes peccatorum sarcinam deposuere: bis saltem in hebdomada, nisi aliter vrgeat pietatis opus, eos nostri adeunt, vt solent, & ea, quæ eorum siue animis, siue corporibus, quoad fieri licet, prodesse iudicant, suppeditant. Duæ fœminæ à perdita, qua volutabantur peccatorum sentina, ereptæ, quarum altera matrimonio collocata, altera in pagum missa ad parentes non sine sufficienti pecunia ad matrimonium: exorta contentio inter duos fratres ex nobilioribus Regni ex rei familiaris diuisione, multæ vtrinque diuidebant animos difficultates, nostrorum tamen industria, præter hominum expectationem compositi.

Diffidebat animo Ecclesiasticus quidam à suo Præsule, vtriusque animi nostrorum hortatu reconciliati. Ad ea vsque verba quidam Equites processerant, vt duello rem decernere statuerint, tempestiua tamen nostrorum industria ad concordiam reuocati. In extremis laboranti seruo Mauro, Christianisque omnium colloquijs reluctanti pater adfuit, hisque eum diuino afflante spiritu, sermonibus adiuuit, vt paulo ante obitum, sacro renatus fonte, sectam expuerit Maumeticam, egitque animam, dulcissimum inuocans nomen Iesu. Moniales quædam prima genitæ nobilitate Ordinario subiectæ, ita nostrorum monitis (eodem instante Præsule) ad u æ priuatis exhortationibus, vt alias paruo temporis in-

teruallo

teruallo iudicares. Accedunt frequentius ad ſacram menſam, factuſque illis familiaris ſpiritualium exercitiorum vſus, in quibus non paucæ, quæ ſeſe exercuere, cæteris virtutum omnium genere relucent. Vacant orationi quotidie per duas horas,& publicas corporis afflictiones,quorum vſus intepuerat, vel ſecreto tantum fieri ſolebant, exercent. Eo efferbuerant duorum primariorum hominum animi in quodam oppido,non ſine famæ, reique familiaris iactura maxima,vt non niſi extrema vitæ miſeria expectaretur,noſtri tum cuiuſdam hortatu res ita compoſitæ, vt iam alter alteri non ſecus ac ſibi conſulat.

DOMVS PROBATIONIS CAlaritana.

NVmerat Probationis Domus ſeptem ſupra viginti Socios.

Xenodochium ab his inuiſitur bis in hebdomada: audiuntur confeſſiones: nouiſſime laborantibus ſuccurritur, nullumque prætermittitur pietatis officium. Accola quidam conſcientiæ torminibus ita diſcruciabatur, vt nuſquam terrarum requiem potuerit inuenire; febris noſtrum coegit accerſere, qui laborantis animum, auribus confeſsioni præbitis, ita ſedauit, vt inde præteritorum criminum nunquam amplius orta fuerit tempeſtas, quæ olim turbabat animum conſcientiæ æſtibus, vexabatque corpus.

Cano-

Canonicus, cui centum aureos quot annis soluere solet Domus, remisit sex supra viginti, toto eo tempore, quo vitales has capiet auras. voluit primarius Eques aliquandiu intra nostras ædes, vt à sæculari quiesceret tumultu, commorari. nec sine fructu, & desiderio nobiscum longius commorandi. Alius Ecclesiastici Ordinis se in nostri Beati Patris Ignatij meditationibus exercuit magno sui spiritus profectu. Aureos nummos quinquaginta erogauit eques, vt Sanctorum reliquiæ decenti aptarentur loco. Empta serica peristromata, quibus satis est nostrum decenter conuestire templum: emptus campus, & fons nostris adiacentes ædibus, quo fiet maior dilatandarum ædium, hortusque construendi copia. Tyrones etiam ex more Societatis probationibus exercitij fructus non pœnitendos retulere.

A tribus è nostris per varia oppida excursum Quadragesimæ tempore, summa alacritate omnes excepti; modo vnum excipias, cui Clerici obstitere, sinistra cuiusdam hominis præcipui opinione ducti; vbi vero rei veritatem agnouere, opinione deposita, alacriter exceperunt. Frequẽs in his iurandi vsus abolitus, Christianæ fidei rudimenta pueris, rudioribusque tradita Dominicis diebus sub vespertinum tempus, iuniores etiam his rebus exercebantur manum à rustico amouentes labore; qui cereis Agnis, sacris imaginibus, & varijs nostræ religionis muneribus adducti, non poterant non templum summo discendi desiderio adire. Confessiones generales auditæ: subuentum pauperibus affluenter: exa-

gitati

gitati officij Christiani casus cum Sacerdotibus, nec sine fructu. Mulier ab inhonesta vita abducta, & ad eam redacta, vt se in aliam mutatam prædicaret, præcipue sacro refecta cibo. Fouebat latrunculos quosdam oppidanus præcipuus; is cõcione audita, in qua eos Cruci iterum Dominum affigere noster asseuerabat, qui suæ protectionis clypeo huius furfuris homines munirent, à se perditos illos homines abegit; nouamque viuendi formam assumpsit. Gener cum socero dissutam amicitiam consuere decreuit; adeo enim vnius animus in alterius necem exarserat, vt obligaret se voto Hierosolymam adeundi, ni eum interficeret; at patris concione audita mutauit animum ac scelera confessione expurgauit. Peccatorum, sarcina grauati duo de æterna salute desperabant: eos animos addidit infœlicibus pater, vt confidenter peccatorum sarcinam deposuerint, & meliorem sperarent vitam.

Æger quidam, qui iam naulum portitori parabat, generum oderat cordicitus, adit gener veniæ petendæ gratia adstante patre, veniæ loco mille senex generum insectatur maledictis; quod vbi audit pater æternas minatur homini pœnas, increpat inuerecundam frontem, & illico à dæmonibus raptum iri promittit; annuit senex, malle se in tartareas, æternasque mortis pœnas perpetuo comburendum detrudi, quam vel semel alloqui generum: nec eo victus pater insanum deserit, bis, & tertio hominem alloquitur, fatigat Deum precibus, & corporis assidua maceratione; donec inuitum illum animum flectit,

& ad confeſſionem magno præteritorum criminum dolore adducit, expiatus poſtridie reddit animam. Diuturnam ægritudinem adeo impatienter ferebat homuncio, partim egeſtate, partim dolorũ vi, vt nil aliud ſuo promeret ex ore, quam maledicta. dæmonum nomina, & impatientis omnino animi verba, patris oratione, ita permotus, vt nunquam inde impatientis animi ſignum ediderit. Homo à meretricia voragine, qua mergebatur, ereptus, tam ſalutarem inſtituit vitam, vt admirationi & exemplo fuerit impoſterum, quibus quondam fuerat offendiculo. Maximus tandem in noſtri ordinis homines omnium animis inhæſit amor, & ſi non defuerit; qui aliquam molirentur tempeſtatem, quod obſtaretur eorum turpibus anſis, Dei tamen benignitate, antequam progrederetur quieuit.

COLLEGIVM ALGVErenſe.

NOſtrorum hoc anno numerus duodenarium non excesſit. Duo ex primoribus vrbis, boni nominis imminuti prætextu, excanduerant adeo animis, vt ad necem vſque perrecturos autumares, adfuit tempeſtiua noſtrorum induſtria, qua ita pacati animi, & in arctiſsimum neceſsitudinis vinculum redacti, vt & toti fuerint ciuitati admirationi, & præcipue patri vnius ex aduerſarijs, qui non adeo bene in Societatem erat animatus, qui & noſtros in poſterum

rum amare, & suspicere cœpit. Nostrorum hortatu permota fœmina, quæ sui corporis copiam iampridem perdito cuidam fecerat, confessione expiata, turpem cordicitus horrens consuetudinem, ad meliorem frugem, & Sacramentorum vsum se recepit. Vituperonis cuiusdam linguam cote maledicentiæ erga nostrum Sacerdotem acuminatam, ita noster suæ humilitatis exemplo obtudit, atque compescuit, in multorum concione, vt ganneonem suis tinctum coloribus, & inuerecunda fronte rubore perfusum veniam in genua prouolutum poscere compulerit: persimile accidit Senatori plus iusto in nostrum inuehenti asperis verbis, qui conscientiæ morsu, & longa nostri patientia victus poplite flexo vtroque coram adstantium omnium conuentu veniam expostulauit. Honesta quædam fœmina filio tantum comitata puero templum Cœnobitarum adijt oratura: aderat nemo præter æditum, qui religiosam negligens constantiam, totus in fœminæ concupiscentiam ardens, eam compellat; In sacellum deuotionis prætextu concedit, vulpinantis pellem pietatem existimans. Vbi vero ventum ad sacellum, pellem exuens ouinam rapax ille lupus, contendit miseram illam comprimere, restitit illa totis viribus, & ab inferni erepta satellite, domum repetit tremebunda, & tota exalbescens varie.

Vir rei nouitate permotus causam inquirit, narrat illa, rem totam ex ordine, qua cognita, tanto furore corripitur, vt è vestigio ense

abrepto in perditum illum verbotenus Religiosum irruisset, ni pia fœmina nostrum accersisset Sacerdotem, qui furibundum reuocans à nece virum, agit, vt superiori religiosæ illius familiæ rem exponat; ille, iniquo licet animo, paret patris monitis: quo datis ab æditu pœnis, eiusdem vitæ, & totius familiæ consultum opinioni.

COLLEGIVM ECCLE-siense.


SVnt in hoc Collegio Socij vndecim. Nihil detractum de pietate, & frequentia in audienda matutina exhortatione in nostro templo diebus Dominicis, siue assiduitatem spectes; siue diligentiam, & fructum. Partheniæ duæ Congregationes, tam ea, quæ Scholasticorum, quam quæ Laicorum hominum fruges edidere lætas, ac tempestiuas. Numerus, ac pietas augetur indies. Ab hinc tribus annis sæculares parthenones suis sumptibus necessaria parare solent quadraginta horarum supplicationi, quæ hoc anno cæteris omnino antecelluit, cum candelarum numero, & curiosiori apparatu, tum vrbis totius pietate, & frequentia.

Sacri Ieiunij tempore nostrorum vnus in templo maximo concionatus quotidie, non sine fructu, & omnium approbatione. Diuinæ Prouidentiæ adscribendum, quod licet omnes eodem ferme tempore morbo tentati fuerimus, amisimus tamen nullum. Emicuit nostrorum patientia in tanta rerum omnium penuria, dum

&medi-

&c medicorum cura; cum non ſint; & medicinarum remedium, & adminiſtrantium ſolicitudo deſiderabantur, tandem diuina eluxit benignitas, quæ latitare videbatur, qua exciti præcipui ciues, noſtrorum anguſtias attentius intuentes, cibo, & cæteris ægritudini rebus accommodatis, ita ſubueniunt, vt omnes paulo poſt conualuerint.





ANNVÆ LITTERÆ SOCIETATIS IESV ANNI M.DC.VIII.

PANORMITANVM COLlegium.



Entum viginti alit Panormitanum Collegium: Sacerdotes quinque ſupra viginti, è quibus duo Theologiam docent. Vnus diuinarum litterarum myſteria, alter iura ad conſcientiam pertinentia explicant. Tres Philoſophiæ Profeſſores, duo Rhetoricam. Quatuor humanas literas & Grammaticam docent. Scholaſtici ſeptuaginta. Reliqui opera domeſticis opportunitatibus inſeruiunt. Diſcentium numerus auctus. Rhetoricæ claſsis hoc anno primum inſtituta Poeticæ, & eloquentiæ exercitationibus ſedulo dat operam. Mathèmatica (noua Panormitanis adoleſcentibus ſcientia.) Hoc etiam annò primum incepta felices habitura euentus viſa: vnde vel ab ijs qui Panormi proceres exiſtimantur, addiſcitur; quorum numerus frequētiſsimus adeo eſt, vt aulam pro Gymnaſio neceſſe

necesse sit vsurpare. Est cur diuinæ bonitati gratias agamus immortali. Ex nostris Scholasticis Metaphysicis diem obijt extremum Nicolaus Montapertus Agrigentinus nobili loco annos natus circiter viginti, è quibus in Societate quinque transegerat tanta cum omnium probatione vt in diuturna, molestaque corporis ægritudine qua tandem consumptus occubuit, nemo cadentem animis viderit. Ex Theologis vero Pater Dominicus Chilona Mamertinus extremo Theologicarum disciplinarum curriculo ad cœlestem suorum studiorum, laborumque mercedem consequendam emigrauit. Eximia in proximos quauis charitate, & suijpsius despicientia insignis.

BIBONENSE COLlegium.

DEcem & nouem in Bibonensi Collegio, Sacerdotes quinque, quorum vnus ægrotans in Sanctæ Margaritæ prioratu nostro degit, mutandi cœli gratia. Magistri duo, reliqui opera domi præstanda occupati, in vrbe solita cum fructu Societatis ministeria præstita.

Pluuiæ caritate à nobis quadraginta horarum supplicatio instituta, eos reddidit fructus vt non solum ciues ad Sanctissima Confessionis & Eucharistiæ Sacramenta frequentanda verumetiam ad eliciendas lachrymas, effundendumq; per totam vrbem sanguinem diuinitus in-

citarit, ita vt miseratus Deus exoptatam pluuiam vberrime tradiderit.

MARSALENSE COLlegium.

HIc Confessarij ex nostris industria fœmina, quæ peccatum suo Cōfessario texerat confessa. Hæc cum ad Sanctissimam accederet Eucharistiam donec peccatum iam detegit diminutam semper Hostiam sibi visa percipere, at detecto scelere totque iteratis confessionibus integram deinde percepit. Adhæc quædam alia diaboli vexata supplicijs P. Pauli Achillis tacta reliquijs, quas sæcularis quidam Sacerdos faciebat maximi, vociferari primo se pœnis affici ab illo, qui degebat in cœlis Achille, deinde liberata iam Deo Patrique Achilli gratias habuit immortales. Alius, cum Pater noster recitaret, verba illa: sicut in cœlo, & in terra: in, sicut in cœlo, & in mari mutare consueuerat, quod & à fratre suo, & à religioso quodam viro didicerat. Hinc humani generis hostis homini turgidum, turbatumque mare serenum, tranquillumque callidus indicare; ille priusquam id scelus (vt postea fassus) detegeret, cum ad templum nostrum accederet ter (à quo nam spiritu aiebat ille, prorsus ignorare) deiectus repulsusque inde discesserat. Tandem miseratus Deus hunc cum fratre in pristinam amicitiam per pœnitentiæ Sacramentum reuocauit.

SA-

SACCENSE COLLEGIUM.

HOc anno 1609. decimo quarto Kalend. Iulij die D. Calocero vrbis petrono dicato Deo Duce Saccense Collegium institutum tanta ciuium omnium, Magistratuumque præsertim acclamatione, vt à tanta, insperataque lætitia vix animos cohibere possent suos. Adfuit P. Prouincialis, cuius meritis vrbis Vicarius (Agrigentinus enim Episcop⁹ aberat) rem diuinam fecit in Æde nostra. Gymnasia hoc item anno instituta. Religiosus vir ex Dominicanorum familia antea Societatis non amicus grauissimo morbo correptus B. Ignatij meritis impetrata valetudine, se beneuolentissimũ est nunc professus. Iulian⁹ Bouonius de Collegio bene merentissimus maligna febri laborans cuius intemperie ne vnam quidem horam cibum retinere poterat B. Ignatij meritis conualescit.



ANNVA PROFESSORVM MESSANENSIS DOMVS M.DC.VIII.

PRofeſſorum Meſſanenſis Domus nimium quantum ab omnibus optabatur: tandem aliquando à Hieronymo Conte opulentiſsimo viro fundata fuit. quam ad promouendam magis indies, ac magis ob commune Meſſanenſium omnium deſiderium è nobilitate complures opera ſua ſedulo dedere. Et præcipue Philippus III. Hiſpaniarum Rex, ipſeque vrbis Senatus, qui liberaliſsimum plane ſemper erga Societatem noſtram ſe præbuit, vt priſtino Collegio in domum commutato (quia ad obeunda Societatis munera commodiſsimus omnino videbatur ſitus) nouum alibi Collegium ea pecunia excitaretur. Sunt igitur in hac Domo ſexdecim noſtri Sacerdotes, totidem alij Coadiutores, qui nouis viribus ad proximorum ſalutem, perfectionemque incumbunt maxime. Ac ne quo ſpiritu replendi eſſent cæteri, eo ipſi funditus carerent, priuſquam ſuis quiſque muneribus præeſſet, B. P. N. Ignatij ſpiritualia exercitia inſolito animi feruore, & charitate omnes ſimul obiere. Ex ſenis congregationibus, tres ſolum hæc ſibi domus retinet; tres quippe aliæ diſcipulorum cum Collegio alio translatæ ſunt.

Co-

Coguntur in vnum locum Æthiopes, quorum numerus in hac vrbe est plane incredibilis, & ab vno è nostris cum Christianis legibus, tum euangelicis moribus, ac dogmatibus erudiuntur.

Obijt hoc anno P. Franciscus Paladinus, ijs virtutum insignibus ornatus, quæ Societatis Iesu veteranum Sacerdotem decebant.

COLLEGIVM MESSANENSE.

SVb anni huius initia seiunctum est à Professorum Domo Collegium: & cum Hieronymus Conte multa auri millia nobis testamento legasset ad exædificandam domum Professam, cessit illi Collegium, quod templo capaciori, & columnato, tum etiam apto nostris muneribus loco esset. Ea tamen lege vt Domus Professæ impensis alio deduceretur Collegium. Igitur Principis viri domus ampla coëmpta est, augusta facie, amœno prospectu, aperto salubrique aëre, & fundi latitudine, vt suo tempore in debitam amplitudinem patefiat, ad hæc profluente aqua & familiari pomario commendata.

Fuit in vinculis, qui post anteactos pessime plures annos Confessarij adhortationibus admonitus, & ad se reuersus, nihil iam nisi æterna sibi debita supplicia animo voluebat. Nunc se damnatum, nunc se esse dæmonem censebat; alias se iam apud inferos esse, interdum etiam trementem sub pedibus terram, & sibi dehiscentem, videre videbatur. Secundum quietem item diabolos somniare, & se per pedes catena vinctum deorsum trahi, solitus.

Inte-

Interea temporis, ecce tibi in somnis quadam nocte immenso candidatam lumine fœminam, Beata Virgo credita est, quæ turbationibus hisce iactatum solata, integrum ab angoribus liberationem spopondit; igitur animum haberet. Nec vana visio. Vni ex nostris per Exomologesim sua commissa confessus, serenum animum est consecutus, & adhuc omnibus prælucet exemplo.

COLLEGIVM CATANENSE.

ALumnos hoc anno 30. Collegium Catanense habuit. Horum plerique in vtraque votorum renouatione carcere detentos pro more eleemosynis recrearunt, & sex præter alios, quod in hac ciuitate antehac inuisum inauditumque, iumento fimum ostiatim conquisitum per compita & publicos vicos omnium summa cum approbatione deportarunt.

Quod ad communem omnium pietatem attinet, festi Beatorum nostrorum dies, templo aulæis ornato, habita concione, & magna omnium Ordinum etiam Magistratuum celebritate culti sunt. Interna etiam animi pietas aduersus nostros Beatos multis argumentis testata fuit. Crebro videas ad remedium tum animo tum corpori poscendum accurrentes, crebra votiua lumina accendentes. Et accepti beneficij memoriam argenteis laminis plurimi significarunt. Sex pendent coram B. Stanislai effigie, quatuordecim coram B. Aloysio, ante B. Franciscum

30.ante Beatum Ignatium ſeptuaginta. Omiſſis coronis quæ ſingulis ſingulæ ex argento conflatæ ſunt. Pietatem excitant crebra miracula. Laborabat iamdudum carcinomate quædam fœmina religioſis clauſtris incluſa, & cunctis iam Chriſtianis myſterijs perfūcta, extremam horam opperiebatur. Miſſam à noſtris thecam reliquiariam ſibi applicuit, ſimul Beatum Aloyſium com precata lecto ſurrexit, & ad ſalutem integram reuocata eſt. Item alia omni ope humana deſpecta, & in vno Beato Aloyſio ſpe poſita ex vulnere, quod habebat in brachio breui conualuit.

Nobilis quædam fœmina in templo noſtro diuina myſteria ſæpe obire ſolita erat. Huius maritus ipſo Sanctorum Innocentium anniuerſario die trucidatus fuit; quem cum illa animam agentem poſt ſuſceptam Euchariſtiam auditamque concionem ſinu teneret, non ſolum lachrymis temperauit, ne tali tempore hominem interturbaret, verum & morientem pie adiutabat, & ad condonandam inimicis iniuriam adhortabatur. Et quarto ab inde die Dominicæ Circumciſioni ſacro vna cum ſocru ad diuinam menſam noſtro in templo, quo totius fere ciuitatis eſt eo die cōcurſus, acceſſit. Scilicet omnibus & dignum animo Chriſtiano viſum id nouum. Nec vltra cum inimicis expoſtulauit iniuriam noſtrorum videlicet monitu in hanc ſententiam adducta.

COLLEGIVM MELItense.

NVmerauit in vniuersum Socios quindecim hoc anno Melitense Collegium, à quibus omnibus solitis Societatis ministerijs strenue est insudatum.

COLLEGIVM MINAense.

CVm primum in Minaensi Collegio è Societate quindecim vitam degerunt, septem & quinquagita in præsens commorantur, ij namque Socij qui Panhormi Philosophiæ vacabant. Minus studendi causa transmigrarunt.

Duo ex nostris Metaphysicis in Indiam versus profecti sunt, quorum vnus natione Calaber Franciscus Galuzzus dicitur, Siculus alter Ioannes Baptista Mazzullus, eaambo probitate, ac virtute viri, vt in magna apud omnes sint expectatione: hi enim iamiam discessuri lætitiam agitantes animum ad extrema omnia experiunda præseferebant. Horum vnus Ioannes Baptista Mazzullus à primo suo in Societatem ingressu eo animo patris, parentumque memoriam deposuit, vt nullis vnquam precibus ad illos reuisendos sese adduci passus sit; quinimo (id quod opinionem omnium exuperat) P. Rector cum Minæ à Caltaierone decem millia passuum circiter

citer diſtarent huiuſcemodi occaſionem minime prætereundam arbitratus illum ad ſe acciri iubet, cognatis hoc vnum in vita ne deneget precatur, nec tamen ad mentem ſuam illum vt flecteret perficere potuit, in quo quidem à B. P. Franciſco Xauerio ſecundus omnium opinione habitus eſt: atque adeo meritus eſt, vt in eodem die à P. Præpoſito Generali ad Indos euocaretur.

Quotidie defunctis iuſta ſoluebantur eorum perpaucis, quibus ampliſſimæ fortunę erant, quo inimicum facillime circumuenire poſſent (graues enim inimicitiæ cum illo exercebantur) clādeſtinis conſilijs in ipſiuſmet inimici domicilio ſeſe occultarunt, ille vero huiuſmodi rei inſcius vt cubitū diſceſſit in eundem diſtrictis pugionibus impetum faciunt, & ad mortem percutiūt, qui quamuis viginti confoſſus vulneribus in priſtinam tamen reſtitutus valetudinem, Auctore P. Rectore, inuitis fratribus, cæteriſque ſibi tum beneuolentia, tum ſanguine coniunctis in noſtro Collegio inimicitijs depoſitis omnibus inimicos amplexus illorum ſibi gratiam conciliauit.

Vnus ex noſtris Coadiutoribus è ſcalis miſerabiliter delapſus lætabunda tamen voce Ieſu imploratus opem, cuius imaginem pro Patribus geſtabat abſque vlla corporis offenſiuncula ſubito ſtetit, grateſque ſummo Deo egit idque nimirum ſpectantibus ſummæ lætitiæ admirationique fuit.

COL-

COLLEGIVM RHEGINUM.

HOnesto quidam loco natus ex ijs vnus qui ciuitatis Prouinciam per id tempus obtinuerat vehementi laterum dolore laborabat, ita vt noctes totas insomnes duceret è patribus Societatis vnum ad se acciri iubet: cum venit Pater ægrotum, & vt B.P.Ignatij suppetias postularet, precibus incitauit, tanto consilio ægrotus assentitur, identidemque B. P. Ignatium pronunciabat, & vt sibi fieret copia B. Ignatij imaginis recolendæ postulauit, futurum est enim, inquit, vt aliquantulum quiescam: confestim domestici omnes accurrunt, Collegium adeunt, & rem vt sese habebat patribus, cum aperuissent B. P. Ignatij imaginem obtinuere, visa prope hostium imagine, Pater qui ægroto assidebat, cucurrit, illumque apprehendit, & ad ægrotum conuersus, inquit: En B.P. imaginem habe: ille vero magna voce ipsius imaginis solo visu se sanitatẽ recepisse fatebatur, & è lectulo protinus surgens sanitatẽ se recepisse testabatur: quadrãtis horæ spatio magna animi iucunditate (id pro maximo su⁹ ferebat animus) deambulauit. Nonnullis huius rei causam aliquid naturale arbitrantibus, responsum ipse reddidit, nullo pacto id aut astronomorum influxui; aut alij huiuscemodi caussæ acceptum referendum esse, dedi & ego, inquit, hisce artibus operam meam. Quamobrem, & ipse cæterique omnes genua flectentes

gra

gratias egerunt Christo Domino qui ægrotantis optatis B. P. Ignatio intercessore, tandem aspirasset.

Adolescens qui per summam libidinem vitam agitabat nostrorum opera, atque industria ad bonam frugem redactus est, id quod nonnulli talibus imbuti moribus admirati idem assequi curauere.

Per summum laborem curatum est ne nobilis quidam interficeretur ab ijs qui malo dolo indies illum obseruabant: atque etiam à cognatis mulier quædam adulterij nomine suspecta vna cum adultero ne iugularetur.

Duo Adolescentes clarissimis maioribus oriundi inuicem sese iniurijs affecerant, quapropter timor omnes incesserat, ne simul confligerent, vtpote alteruter iuuenibus eiusdem factionis qui sub armis erant concitatus incedebat, fuisset sane fraude totius ciuitatis. Quibus cognitis illos vnus ex nostris aggressus in pristinam traduxit consuetudinem, quorum vnus sæpe eidem Sacerdoti peccata committit.

Reifamiliaris causa diuidendæ inter complures sanguine coniunctos graues inimicitię susceptæ sunt, quæ quidem graue excidium minabantur, his sese obiecit vn⁹ ex nostris Sacerdos remq; ad otium deduxit, id enim perfecit, quod permulti antea docti viri non valuere: nimirum vt tota res duobus arbitris committeretur, & illorum sententiæ vt vnusquisque staret publico fœdere.

Vnus è Societate S. Petrum de Patti (oppi-

dum ita dictum) adijt propriæ vocationis munia vt exerceret, cuius oppidani, vt fama tenet, fœneratores habentur omnes, atque adeo spiritalia nequidquam pensi habent, illuc vbi primum peruenit omne studium, operā, ac laborem omnem ad pueros Christianis dogmatibus erudiendos contulit: ter in singulis hebdomadis tali munere fungebatur, insuper & à prandio die Dominico, id quod supra quam cuiquam credibile est animorm vtilitati fiebat. Complures anteactæ vitæ sacro confessionis Sacramento animum expiarunt, summas Deo grates Confessarijs agentibus, quandoquidem tot Christiani in pristinam vindicabantur libertatem: adeo diuinam legem ignorabant, vt permultos qui vxores duxerant rursus Christianorum ritu matrimonium celebrare necesse fuerit. In die Annunciationis B. M. Virginis, Patre Auctore, è ciuibus nullus ad Christi corpus degustandum templum non adijt.

Maurus quidam cum in sententia sua multos perstitisset annos: nimirum nullo pacto futurum vnquam vt sacro baptismate ad abluendum induceretur, ipsius Patris opera de Christianæ fidei elementis edoctus (cum proxima nocte in somniis ad id etiam à Diuo Blasio inuitaretur) baptizatus est.

Copiosus quidam fœneratoris nomine suspectus iamiam animam exhalaturus per præconem iussit notum omnibus fieri, si quis aliqua in re ab ipso defraudatus fuisset illi in omnibus satisfactum iri.

DO-

DOMVS PROFESSA PLVtienſis.

DEcem è Societate hanc Domum incolunt anno præſente primum ingreſsi;admodum mirifice ſeſe nobiſcum habentibus & habituris (vt confidimus) ciuibus omnibus.

Accidit vt vnius ex iuuenibus iampridem amore capta mulier, multoties illum aggreſſa & ſibi nunquam ſatisfactum,in eius cubiculum tandem petulanter inuaſerit, quem quidem laboribus defatigatum à prandio ſe inſopitum inuenit. Hic illi experrecto nefanda mulier mentem ſuã aperit, vt huiuſcemodi cruciatus ne ad multum temporis deducere velit enixe precatur. Tum iuuenis toruis oculis impudicam mulierem intuitus acerrime reprehendit primo, & ab ſe diuellere verbis per quam aſperis conatus eſt:ratus enim nefas eſſe cum parentum coniugiſque honoribus ſatis honeſtatum ab vxore per ſummum dedecus nomen maculari, tum diuina iura contemni,ne ambo,inquit,luxuriæ inſtrumenta tibi ſint cariora, quam decus atq; pudicitia, ſi parum adhuc pudicitiam quo iure quaque iniuria habuiſti. His tamen magis accenſa mulier iocum mouebat molli, ac procaci ſermone illum in ſuam libidinem deducere conabatur; non longius iniurijs laceſsita ſtetit,quin illi propius aſſedit.quo viſo caſtus iuuenis ſtricto gladio expulit atq; exturbauit, cuius animo mulieri comperto nunquam alias tale tentatum eſt.

Nonnullorum etiã indies innotescit voluntas, de nobis bene merendi: forte accidit vt ad prandium panes nobis non sufficerent cum ex improuiso SS. fœmina atqꝫ optima decem prægrandes panes ad nos misit eo animo tamen eadem hebdomada denuo vt farinæ massam subigi necesse foret cum semel famulis pistoris munus obire mos esset. Verum ô factum literis memorięq;.prodendum, nobiscum admodum beneuole sese mulier habuit, satis tamen mirifice cum illa omnium Pater atque Princeps; quidquid enim panis erat reliquum omnium domesticorum per hebdomadam expleuit famem.

FINIS,

